




382
A. d. W EZEL
De Connubiali
D
12

197










ABRAHAMI à WESEL, JC.

Et Provinciæ Ultrajectinæ Advocati Fisci

TRACTATUS
DE
CONNUBIALI
Bonorum Societate
ET
PACTIS DOTALIBUS.





AMSTELODAMI,
Apud HENRICUM & THEODORUM BOOM.
M DC LXXIV.



GENEROSISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO VIRO, AC DOMINO, DOMINO GODARDO ADRIANO, BARONI DE REEDE, TOPARCHÆ D'AMERONGEN, GINCKEL, ELST, ETC. REGII DANICI ORDINIS, QUI ALBI ELEPHANTIS EST, EQUITI. EX EQUESTRI ORDINE PROVINCIÆ ULTRAJECTINÆ, IN CONSESSUM CELSISSIMORUM AC POTENTISSIMORUM ORDINUM UNITARUM BELGII PROVINCIARUM DEPUTATO, ETC.

GENEROSISSIME DOMINE.

QUoties recordor meritorum Tuorum, quibus causam publicam, itidemque beneficiorum, quibus privatam meam adjuvisti, (recordor autem quotidie) non possum non quin omni loco, & tempore Te summâ vene-

veneratione complectar. Ad primum me obligat boni Civis, ad alterum vitæ, fortunarumque mearum ratio. Quis enim abhinc permultis annis majori dexteritate, fide, ac diligentiâ, Patriæ utilitatibus invigilando, Te vicit? Quis magis promptè, rem ſuam publico bono poſthabendo, tot Regias, & Principales Aulas Legatus adivit, nec ventos, tempeſtateſque moratus eſt, & extimuit, ut communi cauſæ conſuleret, Patriamque non conſervaret modò, ſed & amplificaret, atque augeret in eo dignitatis faſtigio, in quo, plusquam ſeculum, ad miraculum Orbis, effloruit? Veſtra virtus, & rerum agendarum aptitudo, Potentiſſimo Daniæ, & Norvegiæ Regi, FREDERICO TERTIO, tam ſpectata, & probata fuit, ut Te Legatum à ſe non aliter dimiſerit, Regnoque ſuo exire paſſus fuerit, niſi poſtquam Te auguſtiſſimo illo Ordine, qui Albi Elephantis eſt, decoraverit, atque eo Te in cenſum tot Virorum Principum receperit. Nonne Te Primum Legatum vidit Hiſpania, & admirata fuit, poſtquam Remp. noſtram declaraſſet pro libero populo, in quem nihil amplius juris prætenderet? Nonne idem munus apud quinque Sacri Imperii Electores, Patriæ bono, obiiſti? Cumque poſtea per viciſſitudines rerum humanarum, & præcipuè per arcana conſilia Divinæ iræ, res

 no-

noſtræ paulatim cœperunt retrorſum ire, & velut tabe quâdam atteri, atque hoſtium invidia, & nocendi ardor eo magis incendebatur, quod Patria noſtra Præfecto, ac Imperatore erat deſtituta, (ſubverſis antiquis Reip. fundamentis, quibus Deus Ter Opt. Max. eandem adeo ſpectabilem ac formidabilem effecerat, atque ſtabiliverat,) quantum curarum, quantum ſudorum Tu non ſumpſiſti, ut Reſp. noſtra ad priſtinum & avitum illum vigorem, ac ſplendorem reduceretur, utque ille Princeps, quem Deus poſthumum nobis genuerat, etiam poſt mortem Patris nobis reſtitueret ea commoda & prærogativas, quas ejus Majores, Feliciſſimæ recordationis, nobis pepererant, quæque eo ipſo momento occiderunt, quo Præfecti jubar obnubilari cœpit, Patriæque illucere deſiit, &, quod omnino conſequens fuit, quo Reſp. in partes ſciſſa, factionibus diviſa, & ob id ab univerſo Orbe depreſſior habita fuit. Hæc, me de Vobis tacente, vel acta publica loquerentur. Judicabas enim mortalitate extincto Patriæ Rectore, non alium ei quærendum eſſe ſucceſſorem, quam eum quem ipſe Deus continuò poſt nobis indicaverat, cum Principem Marem poſthumum, non Fœminam nobis dediſſet; nec ulli tutius Remp. poſſe committi, quam tali Principi, talis Nominis, cujus Aba-

vus

vus eandem ſanguine ſuo in libertatem aſſeruerat, Avus illam Reip. libertatem, vel ipſâmet Hiſpani Regis declaratione, glorioſiſſimæ pacis conditionibus factâ, ſtabiliverat. Pater autem nos in eadem libertate ad extremum uſque vitæ ſpiritum confirmaverat, quæque, paucorum poſt annorum interregno, pœne in miſerrimam, eamque perpetuam ſervitutem declinaverat. In ſanctisſima hac propoſiti ratione non horruiſti auctoritatis Tuæ imminutionem, non aliorum odia, non perſecutiones, præ quibus etiam cordati viri, in piiſſima illa cauſa animis defecerunt. Tu enim, Vir Excellentiſſime, cæterorum invidias poſthabuiſti ſynceræ conſcientiæ, mille pro bona cauſa teſtibus, amori, & ſervitio Patriæ, quam ſine Præfecto ac Imperatore non magis ſubſiſtere poſſe rebaris, (ut eventus docuit) quam corpus ſine capite & anima, quæque defectu talis Præfecti pœne exanimis evaſit. Non ſupererat ergo, nec extrahendum tempus in indagando malo (quod & communi ſenſu præditis, & mediæ ſortis hominibus, imò vel ipſi plebeculæ perſpicuum erat) verùm ad præſentem medicinam erat confugiendum ægræ, atque afflictiſſimæ Reip. In hoc rerum articulo hoſtis ternis exercitibus Patriam invaſit, & velut diluvies tot Provincias noſtras tam celeri curſu inundavit, ut fidem non ſint habituri ſcri-

pto-

ptores, cum posteritas talia leget consignata monumentis, dum interim vix quicquam apparatûs & provisûs inveniretur ad resistendum hosti, ne tum quidem cum assidua causa terroris supra caput erat. Inde pars plebis, cum corruptissimam militiam cerneret, seque quotidie perire sentiret, fremere, fallaciter, insidiosè, & simulatè omnia esse composita, ut hostis accerseretur, & introduceretur in Patriæ meditullium, artificiosè alterutrum esse fabricatum, ut vel acerbæ servitutis jugum subire, vel ad degeneres ac fœdas pacis conditiones delabi cogeremur. Sinones in sinu nostro latere, apertis hostibus longè magis formidolosos. Pars quietior, idem quod Romani post excessum Romuli, queri, hactenus solùm de libertate paucorum, suâ autem omnium servitute certatum fuisse, dum enim pauci nihil aliud cogitabant ac spirabant quam de sufflaminando Principe Arausionensi, ne is summæ rei præesset, non modicam Imperij possessionem amissam, & ab hostibus occupatam esse. Multiplicatam ergo esse servitutem, centum pro uno Dominos esse factos. In tantum, ut nec militiæ Præfecti probè scirent, quorum Dominorum dictis & mandatis audientes esse deberent, dum hac atque illac imperitabatur, ut cum in rem præsentem

tem progrediendum foret, exclamare necesse habe-
rent cum Syro illo Terentiano. *Non hercle hîc quidem durare quisquam, si sic fit, potest. Scire equidem volo, quot mihi sint Domini, quæ hæc est miseria?* Esse igitur aliquod caput placebat, cujus nutu & voluntate regeretur castrorum disciplina. O lamentabile ac confusum Patriæ nostræ chaos! Nec enim intus plebs compesci, nec extus hostium impetus sustineri poterat. In tanto rerum omnium perturbatarum, ac deploratarum statu Deo Opt. Max. visum fuit, misereri sui Populi, temporibus afflictis mederi, rebus lapsis, fortunisque communibus succurrere: renunciando Principem Arausionensem, (Cœli illud depositum peculiare) Unitarum Provinciarum (depositæ ferè salutis Patriæ) Præfectum ac Gubernatorem, Terrâ, Marique Imperatorem: tanta cum acclamatione bonorum omnium, ut videres oppletas ubique vias, referta tecta ac laborantia, angustumque solummodo tramitem relictum Principi, dum undique concurrerent boni ad conspectum ejus, & convolarent ad complectendum Conservatorem suum, ad salutem, sanitatemque suam. O exundantis lætitiæ magnitudinem, tam subitò, tam cœlitus nobis partam! O exortum Solis jubar, in quo nos, tum sub alieno jugo adhuc

anhelantes, tanquam in ſpeculo contemplabamur futuram Patriæ lucem, & ab hoſtibus liberationem! Nec vanâ ſpe. Quam enim pulchram faciem adepta mox fuit concuſſa Reſp. poſtquam in ſinum tanti Principis confugit, ejus tutelam amplexa? Suæ formæ fuit reddita. Non aliter enim antiquitus viſa fuit & dilecta „eſſe, & temperata, quam cum ad Optimatium imperium, ex Ordinibus compoſitum, legitimus accederet Principatus. Per Principatum Majeſtatem aſſecuta. Ecce veritatem rei! Declarato Præfecto, conſedit ſtatim omnis tumultus. Correcta emendataque fuit corrupta illa Caſtrorum diſciplina, collapſa militia inſtaurata. Cumque ad hoc externi milites eſſent conſcribendi, quis non avebat ſtipendia facere, & arma ferre ſub ſignis Arauſionenſibus? Quo concurſu omnium nationum univerſi Orbis? Imò quæ matrum deërant, quæ non filios ſuos concupiſcerent jam jam eſſe armis habiles, ut pugnare poſſent pro Patria, pro tanto Principe? Vel iis ipſis qui ante imbelles & effœminati fuerant, animos addebat, ad fortiter pugnandum, ſolus conſpectus, præſentiaque tanti exercituum Ducis. Nonne paulo poſt accidit, ut, quando hoſtiles binæ claſſes navales Regiæ, quæ oras & portus noſtros infeſtaverant, non inſidiabantur ſolùm aureæ no-

Grotius de Antiq. Reip. Batav. cap. 1.

ſtra-

ſtratium navigationum meſſi, verùm & univerſam Patriam peſſundare, ac ſub jugum mittere parabant (audita enim erat publica Oratoris vox, in Nos converſa *Delendam eſſe Carthaginem*) Archithalaſſi noſtri ad eas fugandas, ac portibus noſtris arcendas, pellendasque, non alio, ad confirmandos navales ſocios ac milites, argumento, & incentivo uſi fuerint, niſi quod ſcirent ſe pugnaturos pro Principe Arauſionenſi? Id enim animis, & ingeniis noſtris à natura inſitum, & infixum eſt, ut qui Principem nominat, is Patrem Patriæ, is libertatem Civium, is ſalutem, incolumitatemque populi, uno verbo, pronunciet. Cumque res Patriæ tam pulchrè ac feliciter Mari ſuccederent, ter uno anno cæſis, profligatisque hoſtium claſſibus, quâ vigilantiâ, quo labore, quâ alacritate, quâ contentione non niſus fuiſti Tu Legatus, ut Imperii Principes inclinares, & in partes noſtras vocares, ut, quantum in Te erat, & Terra non diſſimiliorem fortunam nanciſceretur, utque adunatis viribus tantam non in nos ſolum, ſed in univerſum Imperium Germanicum conſpirantium Regum, & mercenariorum quorundam Epiſcoporum vim & potentiam avertere, & noſmet ipſos in quieta ac tranquilla poſſeſſione Reformatæ Religionis, Uxorum, Liberorum, fortunarumque noſtrarum tueri, at-

 que

que recuperare possimus quæcunque loca viribus armorum expugnata, vel fraudibus circumventa, se à communi causa distraxerant, atque in hostium potestatem alicubi perfunctoriè, alicubi perfidè redacta erant. In eo dum totus eras, visum fuit Potentissimo Daniæ, & Norvegiæ Regi CHRISTIANO QUINTO, qui in præsens felicissimè regnat, sponte suâ, & sine ullo Tuo ambitu, Elephantini Ordinis dignitatem, à Patre suo Beatissimo, in Te ante collatam, augere atque amplificare Titulo Baronis Regni sui. At quâ ratione motus tantus Rex? Liceat mihi Regiis verbis uti, *quia omnibus Pacis artibus eras illustris, multisque Legationibus præclarè functus.* Nota enim erat Regi Augustissimo animi Tui in iis obeundis fortitudo, cujus proprium est nihil extimescere. Subiisti namque discrimen non sanitatis Tuæ, sed vitæ, perpessus es naufragia, ne charissima Patria naufragium ferret. Hæc animi Tui magnitudo in eo quam maximè emicuit, ut cum hostis videret, quam strenuè rem Patriæ gereres, atque ejus armis Te Legatum opponeres, sciret quoque quam par esses gravibus negotiis, quantâque dignatione & gratiâ apud Viros Principes polleres, Te non unis affixis programmatibus & edictis evocaverit, ut in hac Provincia Te sisteres, ubi

na-

natale ſolum, unde initium Veſtræ dignitatis, ubi caſtrum, ubi poſſesſiones Veſtræ ſitæ erant, adjectâ comminatione niſi Te ſubderes ſuo Imperio, omnia Veſtra exinanitum ac direptum iri, Tu ſalutem propriam ſalute communi poſteriorem duxeris, atque illud caſtrum, tam auguſtum, a Majoribus Tuis extructum, & continuatâ ſerie ad Te devolutum, omnesque Tuas poſſesſiones pro derelictis habueris, easque furiis & incendiis hoſtium reliqueris potius quam ut conſilium Tuum, quam ut operam ſubtraheres fatiſcenti Patriæ, ejusque inſtauratori, tanto Principi. Et cum ſubſidia aliquorum Ducum, etiam omni veſtrâ adhibitâ diligentiâ, fideliſſimisque perſuaſionibus, non ex voto ſuccederent, ita enim ſe habent rerum humanarum vices, ut bonum incœptum, atque exorſum non ſemper proſper eventus ſecundet, nonne Tu mandato & nomine Principis Arauſionenſis, atque eâ auctoritate quam diuturnis Legationibus in aulis Principum, ac Ducum Germanorum conſecutus eras, conſcripſiſti quater mille bene exercitatos milites Germanos, quibus, atque aliis per Sapientiſſimum Principem coactis copiis, & iis quibuſcum fœdere jungebamur, exercitu Status noſtri aucto, initium factum eſt collapſæ Reip. inſtaurandæ? Tanto ſucceſſu ut urbs Narda

 (Pro-

(Provinciæ noſtræ clavis) munita ter mille præſidiariis hoſtibus , à Celſiſſimo Principe quatriduo, quam cœpta erat oppugnari, expugnata ſit. Quid eſt laboranti Patriæ opem ferre, ſi non hoc eſt ? Cui glorioſiſſimæ victoriæ hoc fuit conſequens , ut CELSITUDO SUA validiſſimo exercitu, juncto reliquis auxiliatricibus copiis , Ditionem Colonienſem invaſerit, BONNAM, munitiſſimam urbem, Epiſcopalem ſedem ; Arcem Broelam, ubi in caput noſtrum conjuratum erat, aliaque loca expugnaverit , & per hoc tantum terroris ac pavoris hoſtibus incuſſerit, ut collectis ſarcinulis, relictâ tamen non modicâ prædarum, ac commeatuum parte , Provinciæ noſtræ , unà cum plurimis aliis urbibus, & propugnaculis, ſine pugna & certamine cedere, vacuamque poſſeſſionem Principi Arauſionenſi relinquere coacti fuerint. Verùm quid dico ſine pugna & certamine ? In continenti errorem iſtum corrigo. O longas Principis manus ! O admirandum gladium Arauſionenſem ! Stringit eum in exteriori Colonienſis Ditionis tractu, hic autem lethifera vulnera cordibus ac viſceribus hoſtium infert. Sic ferè miraculo Maximi Principum in priſtinam libertatem reſtituti, & ab intolerabili hoſtium ſævitia ac tyrannide liberati ſumus. O annalium rem ad memoriam poſteri-

tatis

tatis ſempiternam, tanto Principe dignam! Nihil enim famâ celebratius, & æternitate dignius ſub ſole geſtum eſt abhinc permultis annis. Non hic prætereundum eſt Principali voce prædicatas fuiſſe bellicas virtutes, & res in omnibus hiſce expeditionibus armatâ manu præclarè geſtas, unici Veſtri, & cognominis Filii, Viri fortisſimi, qui ab ineunte adoleſcentia artem militarem edoctus, in præſens aliquot alarum equeſtrium Præfectus apud Principem eſt in flagranti gratia. Poſt hæc tam feliciter ab Arauſionenſi geſta, Te, Virorum Generoſisſime, hactenus à Patria exulem, ſed bono Patriæ, unà cum Triumphatore Sereniſſimo Principe redeuntem videmus in hanc urbem, in Senatum euntem, de ſtabilienda Republica, de conſervandis non ſolum per Glorioſisſimum Principem partis, ſed & de fugando hoſte à reliquis Patriæ oris deliberantem. O geſtientis, atque exultantis lætitiæ bonorum & oppreſſorum Civium argumentum! Deſinunt enim priſtinam accuſare pauperiem, domuum direptiones, agrorum ſuorum vaſtationes & ſterilitates, infandasque exactiones; deſinunt odiſſe anterioris temporis duritiem & immanitatem. Reſpirant, & recreantur ex tot ærumnis, & miſeriis, quod vivant illum diem, ſuis, & omnium bonorum votis exoptatiſ-

ſimum;

ſimum, Principem Arauſionenſem (quem naſcendi ſors, ſuprema populi ſalus, favor bonorum omnium, & Heroicæ virtutes gubernaculis Patriæ jam dudum deſtinaverant) libertatis ſuæ inſtauratorem, ſtatorem, vindicem: Gubernatorem eſſe Ultrajectinæ Provinciæ, antequam gubernaret. Vident eum reconciliare æmulas civitates, intercedere Magiſtratuum iniquitatibus, infectumque reddere quicquid fieri non oportuerat. Vident Amerongium Baronem Celſiſſimi Principis adminiſtrum fideliſſimum. Cumque optimus quisque Tuum, Vir Excellentiſſime, felicem adventum in Provinciam noſtram gratuletur, ego ſupra alios omnes potisſimum obligor, ut ex intimis ſenſibus ſummâ lætitiâ geſtiam de auſpicatisſimo Veſtro in hanc urbem introitu, poſt tot, tantasque res, publicè privatimque, domi forisque, pro Patria tam proſperè geſtas. Ex quo enim mihi contigit vitæ, ſtudiorumque meorum ea felicitas, ut Tibi, Vir Generoſisſime, innotuerim, quàm in me fuiſti cumulatè benignus, ut meditando vix explicare posſim, quid primum, quid poſterius, quid denique mihi prædicandum foret? Itaque redigor ad ſilentium, non ingratus, ſed opprefſus beneficiis Tuis: quæ etiam tanta fuerunt, ut aliorum invidias in me excitaverint; quæ tamen non fregerunt animum

mum

mum meum, ſed erexerunt tanto magis in vigilias & ſtudia, quorum in præſens exhibeo partum. Hæc omnia beneficia, Virorum Optime, nulla de cauſa in me contuliſti, ſed ſolo generoſæ voluntatis inſtinctu, & naturæ Tuæ moderatione, quâ cum in omnes bonos Cives benignitate prolixus, in me perpetuus eſſe voluiſti. Nonne ego jam turpiſsimam ingrati notam incurrerem, ſi pro ea beneficiorum Veſtrorum exuberantia non teſtarer memorem animum? Imò quod eundem teſtarer, edicerem, & profiterer univerſo Orbi, ut & ventura poſteritas noſcat tam rarum, & illuſtre generoſitatis exemplum? Et cur ego finem facerem tam grata profitendi, cum Tu finem non facias mei ornandi? Quanquam autem Tu, Vir Eminentiſſime, hæc omnia taceri malles, quam prædicari, pietas tamen mea rumpit ſilentium, nec ego ſolum conſidero, quid aures Veſtræ pati poſſint, quàm quid virtutibus Veſtris debeatur. Itaque quæſo veniam, quod amantiſsimum nomen Veſtrum, quod inſignia Veſtra operi meo præfecerim, Teque ſelegerim & conſtituerim ejus Patronum, qui mihi, meisque rebus tantus Patronus ſemper extitiſti. Non committam ego ut Te generoſitatis Tuæ erga me unquam pœniteat, ſed ut ſemper intelligas Te officia, & beneficia Tua

apud hominem memorem, minimeque ingratum posuisse. Precaborque porro Deum, ut consilia, dicta, factaque Tua ritè moderari, ac secundare dignetur, & Te, Tuamque Illustrissimam familiam, auspiciis hujus ineuntis anni, & quam diutissimè sospitet Patriæ, sospitet Principi. Ultrajecti CIↃ IↃC LXXIV.

Vestri Nominis

Devotissimus Cultor.

ABRAHAMUS à WESEL.

Gra-

Ad Virum dignitate, doctrinâ, & facundiâ excellentem

ABRAHAMUM VESELIUM JC.

Advocatum Fiſci Dioeceſeos Ultrajectinæ

Cum, in medijs turbis, & armorum Gallicorum ſtrepitu, ſuas de Connubiali Bonorum Societate *diſſertationes ederet.*


ESELI patriæ decus, medulla
Suadæ, quem Themis in ſuos receſſus
Abſtruſos populoque non videndos
Admiſit, reſerans ſacrata legum
Illa ænigmata, Scævolæque nodos
Solvens, ut celebrent tuam domum omnes
Quos lites agitant calumniæque,
Quas tu diſcutis optimè; furores
Inter Martis atrociter frementis,
Inſanoque timore territantis
Cunctos attonitos metu ruinæ
Totius patriæ, gravique curâ
Exeſos, cruciatuumque plagis,
Quas inflixerat hoſtium proterva, et

Audax colluvies ferociorum,
Tu pacis meditatus es beatæ
Victurum innumeris opus diebus,
Quod ſemper manibus terent patroni,
Laudeſque ingenij ferent ad aſtra
Tui, quo tenebris facem intuliſti
Illuſtrem, & patrij tot expediſti
Tricas juris ita aptè & eleganter.
SIC quos fœdere junxit auſpicato
Juno conjugii Deum precantur,
Per te ſollicitudinis carentes
Morſu, lætus agas ut omne tempus
Curis liber acerbitatibusque.

JOANNES GEORGIUS GRAEVIUS.

Gra-

Gravissimo, Clarissimoque Viro, & Jurisconsulto,

D. ABRAHAMO à WESEL,

In Ultrajectina Provincia Fisci Advocato,

politissimum *de Connubiali Bonorum Societate* Tractatum in lucem edenti.

E*rgo eat, & magnum penetret* Weselius *Orbem,*
Famaque per terras jura, Virumque canat;
Qui, dum Battavicis Mars Liliger aufugit oris,
Edidit Astrææ Lilia, *juris opes;*
Doctrinæque vagum latè diffundit odorem,
Et flore ingenii luxuriantis ovat.
Errorum ô ingens domitor, Themidisque Propago,
Quàm quadrant meritis congrua serta tuis!
Trajectina dedit tibi primam Astræa coronam,
Inclyta cum luci scripta priora dares:
Iam redit & Virgo; & redeunt Nassovia Regna,
Teque, novumque iterum Virgo coronat opus.

Qui ſcopus Auriaco *juſtis ſucceſſit in armis,*
Civibus ut preſſis ſtet rediviva ſalus,
Hic animo ſcopus ipſe tuo eſt; jamque ore diſerto,
Publica jam ſcripto commoda jure juvas.
Aurea cæruleis hoſtilia lilia ſignis
Lapſa cadunt, nitidus dum tibi ſurgit honos.
Cantat Arauſiacos *Mavortia Buccina bombos,*
Tu loquere, &, ſi vis, Buccina juris *eris.*
Hîc loquitur mutus *pro te tuus ille* Magiſter,
Quo thalamus leges, quæ latuêre, ſapit.
Participem conſors diſcit Nigrina *Maritum,*
Computat & dotem nupta Batava ſuam.
Miſcet opes, diſtinguit opes cum conjuge conjux,
Par mirum, & ſocii corporis una caro:
At quàm par miſerum, quoties communis Erinnys
Diſcordes animos, lite furente, quatit!
Tuque tuas tibi res, *vir clamat,* habeto, *Megæra,*
Virque illi ſpolium, præda ſit illa viro.
Iſta cadat rabies; en! adſunt fræna, catenæ,
Pactaque pacando jam ſtabilita thoro.
Magne Vir, ô quantum tibi vincla jugalia curæ!
Quàm tibi debendi Vir Mulierque rei!
Te duce dotatus nubit ſecurior orbis,
Ridet ovans Juno *pronuba, ridet* Amor.

Vincta

Vincta ſedet centum lecti diſcordia *nodis,*
Captivosque ſimul nos tua Suada *tenet.*
Ipſa Themis ſignat, quæ ſcribis, fœdera nuptis:
Sic age, ſic famæ ſcande theatra tuæ.

L. VAN DE POLL.
Prof. Ultraj.

ELEN-

ELENCHUS MATERIARUM.

TRACTATUS PRIMUS.

De Connubiali Bonorum Societate.

TRACTATUS SECUNDI.

CAPUT I.

De Pactis Dotalibus.

II.

De Quæstuum inter conjuges communione.

III.

De Damni inter conjuges communione.

IV.

De Finienda vel continuanda connubiali bonorum Societate.

V.

De Pactis super futura succesſione interpoſitis.

VI.

De Pactitia futurarum ſuccesſionum renunciatione.

ABRA-

ABRAHAMI à WESEL, JC[ti].

DE CONNUBIALI BONORUM SOCIETATE.

TRACTATUS I.

SUMMARIA.

1. *LEge Romuli inter conjuges omnimoda fuit bonorum communio.*
2. 4. *Postea verò ea communio sublata fuit.*
3. *Honoraria tamen communio inter eos remansit.*
5. *Multarum Regionum placitis restituta est inter conjuges bonorum communio, licet non ubique eodem modo, & effectu.*
6. *Apud nos plenissimè inter conjuges viget ea communio; cujus ratio redditur, & laudatur.*
7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. *Eadem communio tenet apud Hollandos, Gelros, Transisulanos, Zelandos, Medioburgenses, Bergizomios, Buscoducenses, Brugenses, Cortracenses, Iperenses, Bellenses.*
17. *Origo & progressus conjugalis bonorum communionis examinatur: adduciturque Grotii opinio.*
18. *Quæ D. Ant. Matthæo displicuit.*
19. 20. *Neostadii conjectura refellitur.*
21. 22. 23. 24. *Auctoris sententia refertur, & confirmatur statutis Brugensium, Cortracensium, Bellensium.*
25. *Plutarchi placito.*
26. *Ad eam communionem contrahendam non refert, Nobiles, an plebeji conjuges sint.*
27. *Alter dives, alter verò pauper.*
28. *In quo Cypræus refutatur.*
29. *Inter sponsum & sponsam non contrahitur bonorum communio.*

30. *Nec solæ contractæ nuptiæ apud nos in id sufficiunt, requiritur præterea ingressus thori.*

31. *Quid ergo si sponsus cum sponsa furtim congressus, ante Ecclesiasticam benedictionem mortuus, atque ex eo coitu posthumus natus fuerit?*

32. *Quid si sponsus cum sponsam vitiaverat, post solennes promulgationes nuptias contraxerit, moriatur autem ipso nuptiarum die? Filius quidem legitimus est.*

33. 34. *Sed an introducatur communio bonorum? Id placet Hollandis, Velavis, Transisulanis. Daventriensibus, Zutphaniensibus, Tilensibus, Bergizomiis, Lusitanis, Gallorum multis.*

35. *Nostrum statutum ultra Ecclesiasticam benedictionem, unius mensæ, thorique participationem requirit ad communicanda bona.*

36. *Recensentur consentientes aliorum consuetudines.*

37. 38. 39. *Mores Siculorum, Messanensium, Catinensium & Silesiorum.*

40. *Quid si novi conjuges statim post benedictionem sacram thalamum anticipaverint, eritne inter eos bonorum communio? Id affirmat D. Matthæus.*

41. *Cujus sententia refellitur.*

42. *Quid si sponsus miles ab ipsis epulis surrexerit, & in expeditionem iverit, atque in acie ceciderit, nondum cognitâ uxore? Pro communione respondent multi.*

43. *Quorum sententia rejicitur.*

44. 45. *An autem, præter ingressum thori, congressus Venereus requiratur? Affirmativa quorundam sententia refellitur.*

46. *Hispanorum inverecundus mos refertur.*

47. *Ex solo concubitu probatur matrimonii consummatio.*

48. *Recensentur consentientes Saxonum, Lubecensium, Ruremundensium, Danorum consuetudines:*

49. *Quid si sponsus prorsus impotens coëundi fuerit?*

50. *Ex causa impotentiæ dissolutum matrimonium omni lucro, fructuque caret.*

51. *Mulier quæ nunquam de impotentia mariti questa est, gaudet communione bonorum.*

52. *Quid si sponsa in mora fuerit consummandi matrimonii?*

53. *An communio locum habeat in matrimonio putativo? Distinctione expeditur.*

54. *Stockmanni sententia improbatur.*

55. *Quid si filiusfam. absque parentum consensu matrimonium contraxerit?*

56. *Communio bonorum non contrahitur inter concubinum & concubinam.*

57. *Nisi postea matrimonio ritè copulati sint.*

58. *Com-*

58. *Communio hæc an locum habeat in secundis, tertiisque nuptiis, si ex priori matrimonio liberi superstites fuerint? Late discutitur.*
59. *Bona feudalia in hanc communionem non veniunt.*
60. *Quod multorum locorum consuetudinibus speciatim sancitum est.*
61. *Nisi ea sine consensu Domini alienari possint.*
62. *Alias nihil refert, nováne an antiqua feuda sint.*
63, 64. *Divenditi feudi pretium an alteri conjugi soluto thoro communicandum?*
65. *Feudum stante matrimonio emptum an commune sit? Distinguitur.*
66. *Refellitur eorum sententia, qui docent semissem pretii esse refundendum uxori, quæ feudi expers est.*
67. *Quid si maritus communem fundum allodialem cum feudali permutaverit?*
68. *Quid si utrique conjugi donetur feudum?*
69. *Quid si marito soli?*
70. *Officium, stante matrimonio, marito gratuitò datum, ne quidem æstimatione tenus, uxori, ejusve hæredibus communicatur.*
71. *Quid de feudo, stante matrimonio, commisso vel aperto, postea verò utrique conjugi renovato?*
72. *Feudum renovatum non antiquum, sed novum appellatur.*
73. *Quodnam tempus in feudo empto æstimando spectandum est?*
74. *Quid si feudum non emptum, sed permutatum, donatum, renovatum sit?*
75. *Circa alluviones singulare Hollandorum jus refertur.*
76. *Alluvionis incrementa appellatione fructus non veniunt.*
77. *Impensa alluvionis acquirendæ causa facta ex communi sarcienda est.*
78. *Marito integrum est, uxorem, consensu Domini, in partem feudi admittere.*
79. *Quod multorum locorum consuetudinibus sancitum est.*
80. *In quo uxoris conditio deterior est.*
81. *Donec pretium vel æstimatio persolvatur, retentionis jure sibi consulere potest conjux superstes.*
82. *Apud nos nihil refert, quâ actionis formulâ æstimationem consequamur.*
83. *Communionem non recipiunt bona genearchica, quæ lineæ inhærent.*
84. *Quid de Emphyteuticis?*
85. *Censualibus?*
86. *Nec in eam communionem veniunt bona fideicommisso obnoxia.*
87. *Sive fideicommissum purum sit, sive in diem, vel sub conditione relictum.*
88. *Nisi conditio defecerit.*


Ege Romuli, atque ita Regio antiquo jure, inter conjuges societas, non modò quoad sacra & prophana, verùm etiam quoad bona omnia in-
troducta fuit. Sanxerat enim; *Mulierem nuptam,* 1
quæ juxta sacras leges in manum Viri convenisset, participem esse omnium bonorum & sacrorum, æque ac illum, domus esse dominam, in ejus defuncti bona succedere hæredem, sicuti filiam in parentis, ex asse quidem, si is sine liberis, ac intestatus decederet, quod si prolem haberet, ex æquo cum liberis. Dion. Halicarn. *Antiq. Rom. lib. 2. cap. 26.* Ita, *ut nihil conspiceretur in domo dividuum, nihil quod, aut maritus, aut uxor sibi proprium esse diceret.* Columell.
lib. 12. Tractu temporis displicuit Romanis universalis illa in- 2
ter conjuges bonorum communio, existimantibus satis superque cautum uxoribus, si lucri & damni expertes, soluto matrimonio
dotes suas salvas haberent. Itaque sola honoraria inter conjuges 3
remansit communio: dum matrimonium definitur, divini atque humani juris communicatio *l. 1. ff. de rit. nupt.* uxor socia rei humanæ & divinæ domus *l. 4. C. de crim. expil. hæred.* & domina quodammodo rerum mariti vocatur. *l. 1. ff. de act. rer. amot.* dum idem forum, eandem familiam, & dignitatem cum marito participat. *l. 65. ff. de judic. l. 12. C. de dignit. l. ult.*
C. de incol. l. 8. C. de Senat. Novell. 105. c. 2. in pr. Distinctis 4
tamen utriusque patrimoniis. Id quod dotalia, paraphernalia, & receptitia uxorum bona, & quod ea maritus, earum ingratiis,
ne attingere quidem possit, evidenter demonstrant. Postea com- 5
pertum est, hanc inter conjuges bonorum discretionem, atque effectus inde resultantes, genio plerarumque gentium non bene convenire; quæ, contra quam Romanis placuit, communionem bonorum inter conjuges amaverunt, licet non eodem ubique modo & effectu. Singularum gentium, circa eam, placita recensere non est operæ pretium, laborem hunc præripuit nobis

6 Lamb. Goris *in adverſ. tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 13. *& ſeqq.* Belgarum multi univerſalem illam ſuperiorem omnium bonorum inter conjuges communicationem exiſtimarunt naturæ, concordiæque matrimonii magis convenire: promovere magis amorem, induſtriamque conjugalem, dum communia, communi ſtudio, curant, ſpe communis lucri: inconveniens eſſe, per matrimonium corporum & animorum communicationem fieri, non etiam bonorum: individuam vitæ conſuetudinem contrahi, & tamen relicto, circa meum & tuum, quotidiano inter conjuges diſcrimine, perfidiæ imò ſæpe divortii cauſam in connubio generari. Itaque per nuptias ad exemplum ſpecialis omnium bonorum ſocietatis, *de qua in l.* 1. *§.* 1. *l.* 2. *l.* 3. *§.* 1. *ff. pro ſoc.* omnia quæ ante matrimonium coëuntium fuere propria & peculiaria, quæque eo contracto, hæreditate, legato, donatione, aliove honeſto titulo, vel fortunæ beneficio alterutri obveniunt, confeſtim alteri communicantur. Uti apud Ultrajectinos. *Coſtuym. van Utrecht*
7 *rub. van Houwelijckſe voorwaerden art.* 1. Hollandos. Grot.
lib. 2. *Iſag. part.* 11. *n.* 4. Groeneweg. *de ll. Abrog. ad tit. Inſt.*
8 *quib. alien.* Gelros. Goris *d. cap.* 1. *n.* 27. Fred. à Sande. *de Feud.*
9 *Gelr. tract.* 2. *tit.* 2. *cap.* 3. *n.* 1. Trans-Iſulanos. *lantr. part.* 2.
10 *tit.* 2. §. 2. Buſius. *ad l.* 3. *& §.* 1. *ff. pro ſoc. n.* 2. Zelandos. *Coſt.*
11 *en Keuren van Zeelandt cap.* 2. *art.* 20, 21, 22. Medioburgen-
12 ſes. *van Rechten aengaende man en wijf, art.* 1. Bergizomios *tit.*
13 18. *van verſterffeniſſen, &c. art.* 1. Buſcoducenſes. *tit. van*
14 *Rechten den gehoude luyden aengaende, art.* 5. Brugenſes. *Coſt.*
15 *der Stede Brugge tit. eod.* 3. *art.* 1. Cortracenſes. *part.* 3. *rub.*
16 12. *eod. tit.* Iperenſes. *rub.* 10. *art.* 15. Bellenſes. *Rub.* 5. *van Contracten, &c. art.* 2. *& rub.* 6. *van ſterfhuyſen tuſſchen man en vrouw art.* 4.

17 De origine & progreſſu hujus apud noſtrates inter conjuges bonorum communionis, laborarunt viri docti. Grotius à Germanis veteribus originem derivat: apud quos, Tacito teſte, *ipſis incipientis matrimonii auſpiciis, admonebatur mulier, venire ſe labo-*

bo-

borum, periculorumque sociam, idem in pace, idem in prælio passuram, ausuramque. Hinc, inquit Vir Excellentissimus, Batavis in hunc diem pro lege servata bonorum inter conjuges communio. *de Antiq. Reip. Batav. cap.* 2. De veritate hujus conjectu- 18
ræ in dubium venit Clarissimus quondam Præceptor noster D. Ant. Matthæus *in opusc. posth. paremiar.* 2. *n.* 5. solis idem conjecturis fretus. Neostadius aliam hujus originis causam pro- 19
fert, ex eventu nempe natam esse bonorum communionem: antequam enim, ait, consuetudo esset, Jus Romanum in usu fuit, quo solius mariti erat onera matrimonii sustinere, dos autem illibata restituebatur mulieri, lucri & damni experti: verùm cum nubentes viderent maritos mercaturæ deditos opulentissimas sibi parare facultates, nec tamen in partem quæstus venire uxorem, frequentes adeo in coëundis nuptiis intercessisse communionis bonorum stipulationes, ut paulatim, etiam eædem omissæ, ex tacita contrahentium mente pro expressis habitæ fuerint, &, quod amplius, jus publicum constituerent. *de pact. Antenupt. observ.* 9. *in not.*: quem postea secutus est Coren *consil.* 7. *lit. l. & consil.* 20
25. Horum conjecturam in nostro ad Novellas Constitutiones Ultrajectinas commentario jam pridem oppugnavimus. *ad art.* 6. *n.* 40.: & interest ut pressius ea examinetur, cum illi invento superstruant id, quod & cum recta ratione pugnat, & cujus contrarium apud nos Edicto Ordinum est sancitum, *ut suo loco demonstrabimus.* Non enim solis puellis Batavis, mercantes procos amplexis, hæc communio placuit, sed universæ genti Batavæ, etiam non mercanti. Et quid ea conjectura Gelris applicari posset, qui militari & agrariæ rei potius operam dederunt, quam mercaturæ? Quid Trajectinis nostris, qui mercatura numquam celebres fuerunt, quique tamen communione bonorum semper gavisi sunt? Quorsum videmus Batavas puellas in coëundis nuptiis assiduè dotem salvam sibi fore stipulari, datâ præterea iisdem optione, ut post viri mortem bonis conquisitis renunciare, ac simul æri alieno maritali semet eximere possint, nisi quod ille mos gratio-

tiosior & tutior sit mulierculis, quæ, quanquam industrios mercatores sortitæ, nolunt tamen cum iis de communi, dubiâ negotiationis aleâ, periclitari. Quapropter nondum pœnitet me opinionis
21 meæ. *ad d. art.* 6. Regium illud Romanorum jus antiquum nostratibus indesinenter esse observatum. Suadent ad hoc antiquissima illa hujus urbis statuta *anni* 1342. quæ de sponso & sponsa loquuntur: *want komen sy tot eenre tafel, en tot eenre bedde, soo ist gemeene, want sy alleene een lijf sullen wesen.* Id est, *nam simulac unius mensæ thorique fuerunt participes, bona communia*
22 *sunt, quoniam una caro sunt.* Expressius Brugenses, qui titulum de conjugali bonorum communione inchoantes *d. art.* 1 ajunt. *Alsoo de lichamen van man en wijf tusschen henlieden zijn gemeene, soo zijn (ten ware daerinne andersints werdt voorsien by contracte van Houwelijcke) insgelijcks gemeene, haer-lieden beyde goedingen, &c.* Id est, *Quemadmodum corpora mariti & uxoris mutuò sunt communia, ita quoque (nisi pactis dotalibus aliter provisum sit) communia sunt utriusque bona, &c.*
23 Cortracenses *d. art.* 4. inquiunt. *Naer de consummatie van den Houwelijcke, soo is tusschen man en wijf waerachtige gemeenschap, soo wel van goede, als van lichame.* Id est. *Post consummationem matrimonii inter virum & uxorem vera est communio, tam bonorum, quam corporum.* Ita quoque Bellenses *d. art.*
24 2. Itaque à commixtione personarum, commixtionem bonorum, & commixtam domum, & familiam intulerunt. Id quod & Plu-
25 tarcho placuit *in conjugal. præcept. cap.* 10. *Ait Plato felicem, beatamque eam esse urbem, in qua hæ voces, meum, non meum, rarissimè audiuntur. E conjugio multò magis tolli istæ voces debent. Etenim sicuti vincula alternis nexibus robur mutuò accipiunt, ita communitas conjugum reciprocam benevolentiam utrimque usurpantium constet. Ipsa enim natura miscendis corporibus nostris utrimque partem sumit, eaque confundit, ut amborum commune sit quod producitur, neutrique liceat, quid suum, quid alienum sit discernere. Proinde talis opum communitas* maxi-

maximè conjûgium decet, ut in unum omnia congerant, commisceantque substantiam, neque pars habitus alia propria, alia aliena habeatur, sed omnia propria ducantur, nihil alienum. Et rursus *cap.* 18. *Sicut autem* (inquit) *humores Physici dicunt totos totis permisceri, ita oportet matrimonium contrahentium corpora, opes, amicos, familiaresque invicem confundi.*

Quocirca apud nos non refert, cujuscumque conditionis 26
conjuges sint, nobilis, an plebeiæ. Quod enim Neostadius *de pact. antenupt. observ* 9. *in not.* eumque secutus Groenewegen, *ad tit. Inst. quib. alien. lic. vel non* referunt, in suprema Hollandiæ Curia concordibus votis judicatum esse, Magnates, sive Majorum Gentium Nobiles semper intelligi secundum jus scriptum, & absque bonorum communicatione nuptias contraxisse, id apud nos receptum non est. Hollandi enim mercaturæ rationem, quæ communes loculos exigit, statuunt communionis bonorum introducendæ causam, quæ consideratio in Magnatum nuptiis cessaret. Nos verò communionis inter conjuges bonorum fundamentum omne, in unione maris & fœminæ, commixtioneque corporum constituimus: quæ ratio in cujuscunque & quantævis conditionis conjugibus obtinet. Quâ de causa nec 27
intererit, an conjugum alter dives sit, alter vero pauper, qui ne nummum quidem plumbeum matrimonio conferre potest. Non 28
rectè enim Cypræus *De Matrimon. cap.* 8. *n.* 7. *vers. ex quibus.* taliter inopi conjugi communionem bonorum denegat, quasi dici non possit bonorum communionem contraxisse is, qui nihil habuit quod in commune conferre potuerit, propterea que necesse videatur, ut conjux qui communionis beneficio frui cupit, aliquid alteri conjugi attulerit, Etenim non ex communicationis actu, sed, *uti diximus*, ex unione personarum & corporum profluit bonorum communio. Itaque cum & inops uxor cum locuplete marito una caro, & dimidium viri facta sit, rationis quoque est, ut & dimidium patrimonii per id sit consecuta. Doctores &

consuetudines in hanc sententiam citavi *in comment. ad Novell. constit. ultraj. art*:10. *n*. 38.

29 Inter conjuges ergo apud nos per nuptias contrahitur bonorum communio, non inter sponsum & sponsam per sponsalia, etiamsi per verba de præsenti, ut loquuntur, contracta fuerint. Quod enim quidam existimant, ea sponsalia verum esse matrimonium, id jam pridem *in d. nostr. comm. ad art*. 11. *n*. 10. refutavimus. Si enim matrimonium sunt, qui possunt esse sponsalia, si sponsalia, qui matrimonium, cum omnis promissio rei futuræ sit. Itaque sponsalia de præsenti habentur solummodo pro matrimonio, quantum ad fidem invicem debitam.

30 Nec solis contractis nuptiis nostras Legislator contentus, thori conjugalis ingressum præterea desiderat. Verba statuti nostri hæc sunt. *Rub*. 22. *art*. 1. *Item die goeden van man en wijf en sullen niet gemeen wesen, ten sy datse eerst haer geboden in de H. Kercke gehad, en malkanderen voor die Kercke getrouwt en ingeleyt hebben, en daer na tot eenre tafel geweest, en malckanderen beslapen hebben, en dat gedaen zijnde, soo sal haer beyder goet eerst gemeen sijn, en zullen gelijck deylen.* Id est. *Mariti & uxoris bona non erunt communia, nisi præviis in sacra Ecclesia promulgationibus, in facie Ecclesiæ matrimonio copulati, & postea unius mensæ, thorique participes facti fuerint, quibus peractis, tum demum utriusque bona communia erunt, æqualiter inter eos dividenda.* Inde legislator nostras occurrit variis quæstionibus, quæ circa hanc communionem introducendam à Do-

31 ctoribus moveri solent. Quid enim si sponsus cum sponsa furtim congressus ante Ecclesiasticam benedictionem mortuus, atque ex isto coitu posthumus natus fuerit, eritne inter eos bonorum communio? Nullo modo: non enim quivis congressus, sed legitimus, & qui antedictis gradibus secutus est, communionem bonorum parit. Et qui possit de communione hoc casu sermo haberi, vix enim est, ut talis filius pro legitimo sit habendus, cum patri ejusque amicis hæres agnatus non videatur. Etenim si

qui

qui adversus edicti nostri præcepta coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium intelligitur. §. 12. *Inst. de Nupt.* Ita in *d. comm nostro ad art.* 14. *n.* 56. *Non est filius tuus, nuptiis enim solennibus non est natus: civis ergo nisi faces accenderit, & Fescennina cecinerit, pater esse non poterit*, inquit Calpurn. Flaccus *declam.* 44. Igitur cum patri hic filius hæres esse non possit, subjectum communionis bonorum deficit. Et in hanc partem judicata proferunt Carpzov. *part.* 3. *defin. forens. const.* 19. *defin.* 6. Moller. *ad eand. const.* 19. *n.* 5. 6. Sim. D'Olive *en ses act. forens liv.* 3. *act.* 13.

Quid si sponsus cum sponsam vitiaverat, post solennes pro- 32
mulgationes nuptias contraxerit, moriatur autem ipso nuptiarum die? Quod ad natum ex eo coitu filium attinet, eum quidem legitimum pronunciabimus, cum & in articulo mortis contractum matrimonium filios faciat legitimos. Covarr. *de matrim. part.* 2. *cap.* 8. §. 4. *n.* 10. Choppin. *de Privil. Rustic. lib.* 3. *cap.* 9. *Famil. ercisc. n.* 6. Charond. *liv.* 7. *resp.* 94. Petr. Barbos. *ad Rubr. ff. solut. matrim. part.* 2. *n.* 109. Polid. Ripa *de act. in artic. mort. cap.* 2. D'olive *en ses notabl. quest. liv.* 3. *chap.* 1. Automne *en sa confer. du droict. ad l. Julianus* 20. *ff. de jur. dot. vers. le mariage.* Perez. *ad Cod. lib.* 4. *tit.* 27. *n.* 14. Ipso enim momento, quo in facie Ecclesiæ, vel alias conjugibus benedicitur, eorum matrimonium perfectum est. Verum trahetne illa 33
perfectio statim secum communionem inter Neogamos bonorum? Id Hollandis placet. Grot. *lib.* 1. *Isag. part.* 5. *n.* 24. Neostad. *de Pact. Antenupt. obs.* 15. 16. 17. Groenew. *de ll. Abrog. ad l.* 6. *ff. de rit. nupt. & ad l.* 6. *& l.* 16. *C. de donat. ant. nupt.* nuptias enim consensus, non concubitus facit. *l* 30. *ff. de R. I.* Et sponsa statim atque ducta est, uxor est, quamvis nondum in mariti cubiculum venerit. *l.* 15. *ff. de condit. & demonst.* Itaque si eopse die, quo matrimonium publicè erat celebratum, conjuges naufragio, vel alio casu perierint, vel illud ipsum morte alterutrius diremptum fuerit, etiam nondum habitâ consuetudine

conjugali, judicatum apud Hollandos fuit bona urimque ex æ-
34 quo esse dividenda. Idem receptum est apud velavos *tit.27.n.2.* Transisulanos. *part.2.tit.2.§.2.* Daventrienses *part.3.tit.2.art.3.* Zutphanienses *Stadrecht tit.26.art.2.* Tilenses *tit.5.art.4.* Bergizomios *tit.14.art.14.* Lusitanos. Alv. Valasc. *de partit. & collat. cap.5.n.1.* Gallorum multos, quos vide apud Coquille *sur Nivernois tit. des droicts de gens mar. art.*
35 *2. au commenc.* Præfatum statutum nostrum ultra Ecclesiasticam benedictionem, unius mensæ, thorique participationem requirit ad communicanda bona. Coitus autem non præcedere, sed sequi nuptias debet: nec nuptias retrotrahere possis ad tempus concubitus. Itaque non alias bona communia erunt, quam si sponsus, qui ante ut amator, præfestinato gaudio, thorum puellæ vitiavit, jam ut maritus thorum uxoris intret, decentique hoc ingressu
36 præcedens vitium purget. D. Matthœus *d.n.14.* Consentiunt Ruremundenses *part.1.tit.2.§.2.n.1.* Omlandi *lib.3.tit.1.§.17.* Leodienses. Car. de Mean. *observ.55.n.8.* Saxones.
37 Lubecenses, Dani. *infra n.48. citandi.* Apud quosdam Gallos annum & diem prius eandem domum incolere oportet, quam bona communicentur; quos referunt Argentr. & Belordeau *ad consuet. Brittann. art.424.469.* Choppin. *ad Andegav. lib.3.tit.2.n.1.* Tronçon *sur Paris art.220. verb. benediction.*
38 *nuptiale.* Siculi alterutrum, aut annuam cohabitationem, aut procreatam sobolem requirunt. Muta *ad consuet. Panormit. §.43.* Gars. Mastrill. *lib.1. decis. Reg. Sicil.75.* Alii vero præ-
39 cisè natos filios exigunt. Uti Messanenses. Giurba. *ad statut. Messan. cap.1. à pr.* Catinenses. *tit.3. consuet. un. & ibi Nepita in comm. Idem tit.4.n.69.* Quod & in plerisque Silesiæ Provinciis obtinet. Hennet. *in mantiss. de commun. bon.* Verum redeamus in Patriam.

De sacra benedictione, & quod ea ad essentiam matrimonii necessaria sit, diximus *in d. nostr. comm. ad Novell. ultraj. art.*
40 *14.n.46. & seqq.* Quid si novi conjuges statim post benedictionem

nem ſacram præcipiti congreſſu, thalamum anteverterint, priſcorum Ebræorum morem in contrahendis nuptiis imitati, de quo Doctiſſ. Seldenus. *de jur. Natur. & Gent. juxt. diſcipl. Ebræ: lib. 5. cap. 4.* verſo textu Ebræo, ex Moiſe Marmonide, hæc. *Ante legem datam, ſi fœminæ in publico occurriſſet vir, & tam hæc, quam ille in matrimonium conſenſiſſet, is eam domum ducebat, &, remotis arbitris, cum ea concumbebat, atque ita ei fiebat ea uxor.* In mediis autem epulis, uterque vel alter, ferro, vel alio fato perierit? Reſpondet D. Matthæus *d. parœm. 2. n. 53. in fine.* benignius eſſe, ut inter eos bonorum communionem introductam eſſe ſtatuamus. Etenim ilicò poſt benedictionem ſacram maritus & uxor facti ſunt, per eam conſecuti jus & poteſtatem in corporis uſuram. Itaque non eandem eſſe audaciam, ſi novum illud par, præoccupato gaudio, ad congreſſum ruperit, an verò ſponſus & ſponſa ante ſacram benedictionem coierint: evidens enim eſt hos ludibrio ſacram benedictionem habuiſſe, dum ſtipulatâ manu, & per os miniſtri Eccleſiæ, ceu Dei ipſius, copulari, novoque matrimonio beneprecari curant, quod ipſi clam ante corporum commixtione conſummarunt. Verum de 41
hac ſententia non ſine ratione addubitaveris. Si enim ante conſcenſionem thalami uterque perierit, qui poterunt proximi hæredes bonorum communionem prætendere ex indecora illa congreſſus allegatione? Et quis judicum eos ad probandam illam impudicitiam admitteret, quod ſpreto ſtatuti noſtri ordine, ſponſus ilicò poſt benedictionem ſacram in coitum ruerit? Quâ fronte ſponſus, cujus ſponſa in ipſa nuptiarum feſtivitate, inopinatâ morte, ſuccubuit, coram judice ſuſtinebit, non contentus ego communionis introducendæ requiſitis, nec expectatâ ſponſæ ab amicis in cubiculum deductione, remotis arbitris ſeceſſi cum ea clanculum, atque rem habui? Quid, ſi ſponſa, cujus ſponſo ea calamitas ſupervenit, ſeptimo menſe poſt pariat, quis ei fidem adhibebit, ex præoccupato, poſt benedictionem, & ante epulum nuptiale, congreſſu (quam opportuno!) partum editum fuiſſe,

ut bonorum communionem adipiſcatur? Quin potius credemus, vel ex anteriori, vel ſaltem inter proclamationes publicas laſcivienti congreſſu natum partum, quo tamen caſu Vir Doctus communionem bonorum ſponſæ denegat. Quid, ſi ſponſa duodecimo poſt menſe pariat? (quo tempore poſt mortem mariti editus partus à Senatu Friſiæ legitimus declaratus eſt. Sande *lib.* 4. *tit.* 8. *def.* 10. Quem ſequitur Groenewegen *ad l.* 12. *ff. de ſtat. homin.*) quis non credat, ſponſam quæ nunquam cum ſponſo thorum conſcendit, *eidem mortuo vicariam, & quaſi poſthumam ſobolem ſupparaſſe*, (ut dicebat Tertullianus *de Monogam. cap.* 7. *p. m.* 678.) in id mutuato mœcho, ut & ſponſa communione bonorum gaudere, & reliquam hæreditatem propinquis intercipere poſſit? Itaque ſatius erit, ut hiſce machinationibus feneſtram occludamus, & hoc prætexto caſu, ſponſo vel ſponſæ communionem bonorum denegemus, quod & ex proxime dicendis uberius apparebit.

42 Quid ſi ſponſus miles in ipſis epulis ad repentinum hoſtis inſultum illicò ſurrexerit, & nondum cognitâ uxore in expeditionem iverit, atque in acie ceciderit? (ejusmodi caſus in aulis Principum, inter viros Proceres etiam ipſo nuptiarum die eveniſſe refert Peckius. *lib* 4. *de teſtam. conjug. cap.* 11. *n.* 7.) Et quidem Mevius Lubecenſe ſtatutum, quod requirit *das beylager vollzogen.* Id eſt *concubitum ſecutum*, non ita accipit, quaſi ipſe concubitus & carnalis copulatio præciſè requiratur, ſed ſufficere ait illuc omnia eſſe deducta, ut nihil amplius obſtet, & honeſtè fieri poſſit. *lib.* 1. *tit.* 5. *art.* 15. *n.* 14. Ita quoque Cypræus *de matrimon. cap.* 3. §. 4. *in fine.* Ut ſi ſponſa poſt benedictionem ſacram deducta ſit in domum mariti, etſi non in thalamum. Idem Mevius *part.* 2. *tit.* 2. *art.* 12. *n.* 278. Gamma *deciſ. Luſitan.* 124. Choppin. *de morib. Paris. lib.* 2. *tit.* 2. *n.* 2. Daſſel. *ad ſtatut. Lunæburg. art.* 8. *n.* 11. Moller. *lib.* 3. *ſemeſtr. cap.* 23. *n.* 2. *vers. taceo* (*quod caput integrum transſcripſit ad conſtit.*
43 *Saxon.* 19. *à pr.*) Verum ſtatuti noſtri verba ſuadent, ut aliud à prio-

priori hic non dicamus, ingressumque thori præcisè erigamus ad communicanda bona. Ait enim non aliàs bona conjugum fore communia quam cum post sacram benedictionem, unius mensæ thorique participes facti sunt. Idem apud Saxones, qui simili statuto gaudent, definitum est. Carpzov. *part.* 3. *const.* 19. *def.* 3. Moller. (*sibi fere contrarius*) *ad d. constit.* 19. *n.* 5. *&* 6. Concubitu enim verè consummatur matrimonium, eoque nomine ac ratione apud nos, primâ nuptiarum die, neonymphi, etiam inter epulandum, sponsus & sponsa vocantur, posterâ demum die sponsa novi mariti, propinqui verò affinitatis nomine superbiunt.

Inde quæsitum est, an præter ingressum thori etiam congressus 44
concumbentium venereus requiratur? Non desunt qui & copulam carnalem additam desiderant, quasi ex commixtione corporum, commixtæ opes nascantur. Cothmann. *vol.* 2. *consil.* 78. *n.* 98. Rol. à Valle *de lucro dot. quæst.* 108. Id quod speciali ordinatione apud Lusitanos sancitum est. Barbosa *ad d. rubr. ff. sol. matrim. part.* 2. *n.* 111. Nostrum statutum exigit *malckanderen beslapen hebben*. Verbum autem *beslapen* communiter *coitum* designat. Inde de corrupta, atque impraegnata muliere honestiori sermone apud nos dicitur, *sy heeft haer laten beslapen.* Antiquissimum item præfatum statutum tenet. *Want komen sy tot eenen tafel, en tot eenen bedde soo ist gemeene, want sy alleen een lijff sellen wesen.* Id est, *nam simulac mensam thorumque communicaverint bona communia sunt, quoniam unum corpus erunt*: unum corpus autem, & una caro,
corporum mixturam designare videtur. Verius tamen est solum 45
ingressum thori sufficere: suadet enim pudicitiæ ratio, ne curiosè inquiramus, quid inter solum & solam actum fuerit, præsumuntur enim omnia solenniter acta fuisse. Alioquin futurum erat, ne honesti per se facti, quod Cicero dicit, non honesta allegatio, atque adeo impossibilis ferè probatio exigatur. Inverecun- 46
dus certè Hispanorum mos est, idemque fallacissimus, apud quos

Matro-

Matronæ, poſtridie concubitus, cruenta toralia, in ſignum amiſſæ virginitatis de feneſtra oſtendunt, clamitantes *viergen la tenemos* uti referunt & demonſtrant I'oubert *en ſes erreurs populair. liv.* 5. *chap.* 4. Marc. Donat. *lib.* 4. *Hiſtor. Med. memorab. cap.* 15. Paul Zacchias *in quæſt. Medic-legat. lib.* 4. *tit.* 2.
47 *quæſt.* 1. Itaque verbum *beſlapen* commodè non de *coitu*, ſed de *concubitu* intelligas: ex eo enim ſolo benè probatur matrimonii conſummatio. Boer. *deciſ.* 22. *n.* 36. Faber *in Cod. tit. de ſecund. nupt. def.* 4. *n.* 2. Maynard. *lib* 4. *deciſ.* 53. Zypæus
48 *in notit. jur. Belg. tit. de jur. dot. verſ. in aliquibus.* Id quod Saxonibus placet, qui conſcenſione thalami contenti. *Wenn. der breutgam das brautbedde beſchritten hat.* Beuſt. *de jur. connub. part.* 3. *cap.* 5. Moller. *d. conſt.* 19. *n.* 2. Carpzov. *d. conſtit.* 19. *def.* 4. Lubecenſes ajunt *wann das ehebedde betreten.* Mev. *d. art.* 12. *n.* 271. Ruremundenſes *na dat ſy het gemeene bedde betreden hebben, part.* 1. *tit.* 2. §. 2. *n.* 1. Dani, facetâ ſanè parœmiâ. *wann die deckel uber den kopff iſt, iſt alles gemein, und beyde gleich reich.* Id eſt, *ſimulac uno ſtragulo tecti ſunt, omnia communia ſunt, uterque æque dives.* Cypræus *d. tract. cap.* 8. *n.* 7. Quid enim ſi mutuo conſenſu (pro reverentia nimirum benedictionis, ut vult Pontifex. *cap. ſponſus & ſponſa* 33. *diſt.* 23.) vel carminibus abacto ſemine (de quo Bodinus *lib.* 2. *dæmon. cap.* 1.) Hymenæum diſtulerint, interimque alter deceſſerit? Quid ſi conſenſu pari inter ſe matrimonii debitum ſuſtulerint, voluntarii ſpadones? (ut dicebat Tertullianus *lib.* 1. *ad uxor. cap.* 6. *p. m.* 185) Profecto iniquum foret hiſce caſibus communionem bonorum excludere Moller. *d. cap.* 23. & *ad d. conſt.* 19. *n.* 2 Berlich. *part.* 3. *concl.* 25. *n.* 34. Argentr. *ad. d. art.* 429. *gl.* 4. *n.* 2. Carpzov. *d. l. defin.* 4. *n.* 4. Mev.
49 *d. art.* 12. *n.* 279. D. Ant. Matthæus *d. parœm.* 2 *n.* 54. Verum idemne dicendum, ſi ſponſus præ ſenio prorſus impotens, vel faſcino, aut veneficio ita læſus ſit, ut nec ope medicâ, nec ullâ aliâ ratione reſtitui potuerit? Coeundi potentiam in genialem thalamum

mum ingreſſo requirunt multi. Gamma *deciſ.* 187. Argentr. *d gl.* 4. *n.* 3. Muta *ad conſuet. Panorm. cap.* 43. *n.* 19. *& ſeqq. & cap.* 45. *n.* 1. *& ſeqq.* Belordeau *ſur Bretagne art.* 450. Verecunda enim ea cogitatio, quæ Hymenæi additi præſumptionem inducit ab actu propinquo, & à conſcenſione thori, præſupponit quod agens potuerit, ſi voluiſſet, aut certo impedimento, ſed illo temporario, impeditus ſit. Eſtque evidens, corporum commixtionem fingi non poſſe, ubi omnimoda ineſt agendi impotentia; cum lex nunquam fingat ſuper impoſſibili. Et quidem ſi ex cauſa im- 50
potentiæ divortium legitimè factum ſit, ſicut ab initio inutiliter conſtitit matrimonium, ita & omni fructu, lucroque carebit. Beuſt. *d. cap.* 5. *verſ. circa.* Gail. 2. *obſerv.* 80. *n.* 2. Argentr. *d. gl.* 4. *per tot.* Borgn. Cavalcan. *part.* 2. *deciſ.* 18. Wames. *cent.* 5. *conſil. civil.* 80. Si verò mulier uſque ad vitæ exitum vi- 51
ro cohabitaverit, nec ei unquam ob impotentiam litem divortii moverit, verum pudica corporis cruciatum cum divitiis mariti compenſare voluerit, acquieveritque iſti Ælii Veri effato, *uxoris nomen non voluptatis ſed dignitatis eſſe*, non erit ei à mariti propinquis invidendum, quod quæ tam patienter triſtes noctes tulit, jam gaudeat bonorum communione. Id quod pluſculis arreſtis confirmatum vide apud Carpzov. *d. conſtit.* 19. *def.* 5. Mev. *d. art.* 12. *n.* 282. Berault *ſur les couſt. de Normand. art.* 367. *verb. au coucher.* Godefroy *ſur le meſme art.* Automne *ſur Bourdeaux art.* 47. *verſ. à ce propos.* Charond. *ſur Paris art.* 269. *& en ſes pand. liv.* 2. *chap.* 5. *p. m.* 189. ubi refert Præſidem Lyſetum pronunciando ſententiam edixiſſe: *idque in præmium conſervatæ pudicitiæ, & amoris conjugalis.*

De eo dubitari poſſet. Solennes promulgationes in Eccleſia 52
ritè factæ ſunt. Dies certa celebrandis nuptiis præfinita fuit, ea per ſponſam protracta eſt, urgente conſummationem matrimonii ſponſo, per quem non ſtetit, quo minus matrimonium omnibus numeris, & publicâ benedictione, & conſcenſione thori ſit abſolutum, interea obiit ſponſa. Hoc caſu ſponſum ſuperſtitem

portionem statutariam lucrari, mortem vero prædefuncti sponsi, ad consummandum matrimonium parati, sponsæ morosæ non proficere tradunt. Berlich. *d.concl.*25.*n.*38. Carpzov.*d.const.*19. *def.*9. Mev.*ad d.art.*12.*n.*272. non enim moroso sua mora prodesse, aut ei, cui nihil imputari potest, nocere debet. Vereor tamen ne id communioni bonorum apud nos applicari possit: nuspiam enim legimus per moram alterius ex desponsatis introduci bonorum communionem: nec sponsa, ut maximè adigi possit ad consummandum matrimonii fœdus, compelli etiam posset, ut sub communionis commodo id fiat, sæpissimè enim fit, ut pactis dotalibus communioni isti obrogetur, *ut suo loco dicemus*. Itaque hoc casu sponso superstiti non aliam, quam ad damnum & interesse actionem dandam judicio, officio judicis moderandam. Bacquet *des droicts de justice chap.*21.*n.*332. Automne *aud.traicté art.* 48.*vers.sur ce subject.* Cypræus. *d.tract part.*1.*cap.*13.§.3.

53 Hæc omnium bonorum communio contrahiturne etiam in matrimonio (ut barbarè loquuntur) putativo? Fac matrimonium contra leges contractum esse, dum ignorabatur impedimentum, quod postea detegitur, puta cognatio, vel affinitas, quid juris? Et rectè responsum à Doctoribus puto, quamdiu veritas vitii matrimonii in obscuro est, communioni locum fore, modo utrimque mala fides absit, quâ detectâ, cessare communionem. Chassan. *ad consuet. Burgund. rub.* 4. §. 2. *verb. femme. n.* 4. *& seqq.* Rat. *ad Pictav. art.* 229. *n.* 2. *verb. sont communs.* Nepita *ad Catinens. tit.* 3. *cons. un. n.* 88. Muta. *ad Panormit. cap.* 44. *n.* 59. *& seqq.* Argentr. *ad Brittan. art.* 408. *gl.* 3. *in fin.* Did. Perez. *ad ord. Regn. Castell. lib.* 5. *tit.* 4. *leg.* 4. *vers. dubitari sæpe vidi, & vers. utrum autem bona.* Gamma *decis.* 220. Charond. *en ses Pand. liv.* 2. *chap.* 4. *vers. j'ay veu p.m.* 183. *&* 2. *resp.* 37. Barbosa *ad l. si cum dotem.* 23. §. *fin. ff. sol matrim. n.* 13. Castil. Sotomaj. *lib.* 2. *quotid. controv. cap.* 11. *n.* 40. Giurba *d. cap.* 1. *gl.* 1. *n.* 27. Sande *lib.* 2. *tit.* 5. *def.* 2. Goris *in advers. d. cap.* 1. *n.* 26. *in not.* Quid si alter ignorave-

raverit, alter autem sciverit impedimentum? Ignorantia soli ignoranti proderit, non etiam scienti. Itaque si pauperior erraverit, poterit uti bonorum communione, si locupletior, scientem doli exceptione à communione arcebit, ne dolus ei in lucro sit. *arg. l. 4. C. de incest. & inut. nupt. l. 22. §. ult. ff. sol. matr.* Covarr. *de matrim. part. 2. cap. 7. §. 1. n. 8.* Costal. *in advers. ad d. §. ult.* Barbos. *ibid. n. 16.* Rod. Zuares. *tit. de bon. conquis. n. 17. vers. Cogitabam.* Costa *de scient. & ignor. cent. 2. dist. 38.* D. Ant. Matthæus *d. parœm. 2. n. 17.* Quapropter 54
probare non possum sententiam Stockmanni *decis. Cur. Brabant. 62.* Dum indistinctè statuit, ex tali matrimonio universalem illam omnium bonorum communionem gigni non posse, sed eorum tantum, quæ ex quæstu & negotiatione descendunt: errorem, bonamque fidem hactenus solum proficere, ne alteruter damno afficiatur, nequaquam verò extendi posse ad lucri inde capiendi occasionem. Æquitas enim præfatæ nostræ distinctionis contrarium suadet. Eandem scientiæ & ignorantiæ distinctio- 55
nem rectè idem D. Matthæus *d. l. n. 18.* adaptat argumento, quod de matrimonio, sine parentum consensu contracto proponitur, per quod juxta Carolinum *anno* 1540. itemque nostrum edictum *de rapt. virg. anno* 1650 promulgatum, communio bonorum non introducitur: ut sc. decipientem solummodo illa edicta feriant, non verò deceptum. Quid enim si filiusfamilias peregrè profectus simulet se sui juris, patremque familias esse? uxor decepta rectè defendet bonorum communionem, si forte in re lautiori sit maritus, bonaque propria habeat. Nec enim præfata edicta in talium nuptiis communionem bonorum præcisè excludunt, sed solummodo decipienti lucrum ex fraude sua denegant. Ait enim Carolinum edictum. *Indien yemant hem vervordert te sollicitteren of verleyden eenige jonge dochter.* Id est, *si quis præsumpserit sollicitare, vel seducere virginem*: & rursus: *insgelijcx indien eenige dochter of vrouwe haer vervorderde te contracteren Huwelick met eenen soon, niet excederende*

de den ouderdom van xxv. jaren, sonder consent van vader of moeder: Id est. *Si qua virgo aut mulier præsumpserit contrahere matrimonium cum minore xxv annis, absque consensu patris vel matris.* Verba enim *præsumere, sollicitare, seducere,* fallentis sunt non ignorantis. Ex quibus apparet, decipienti & seducenti soli communionis commodum, cæteraque lucra denegari, quod si is ampliores habeat facultates, non esse præfata edicta impedimento quo minus deceptus, vel seductus minor communionis lucro frui possit. Zypæus *in notit. jur. Belg. tit. de sponsat. vers. negat.* Groenew. *ad Grot. Isag. part.* 2. *cap.* 11. *n.* 6. *& de ll. Abrog. ad l.* 8. *C. de nupt. n.* 4. Confer. Wamez. *cent.* 5. *consil. Civ.* 96.

56 Ex eo quod diximus apud nos communionem bonorum non alias introduci, quam cum sponsus & sponsa post benedictionem sacram unius mensæ thorique participes facti fuerint, manifestum est, eam communionem inter concubinum & concubinam non contrahi. Si enim jus uxorium apud Romanos denegatum fuit concubinæ, quibus concubinatus dicebatur per leges nomen assumpsisse, extraque legis pœnam erat. *l.* 3. *§.* 1. *ff. de Concub.* quanto magis hodie denegandum erit, postquam talis cohabitatio turpis, & inhonesta habita, prohibitaque est. Gars. *tract. de acquæst. n.* 164. Giurba *d. gl.* 1. *n.* 21. D. Ant. Mat-
57 thæus *d. parœm.* 2. *n.* 15. Si quis autem postea in uxorem duxerit concubinam, cum qua ei nuptias contrahere licebat, non dubium est communioni inter eos locum fore. Lup. de Palat. Rub. *in repet. Rubr. de Donat. int. vir. & uxor.* §. 62. *n.* 24. Chassan. *d.* §. 2. *verb. mariée in fin.* D. Matthæus *d. l. n.* 16.

58 Videamus an etiam secundis, tertiisque nuptiis bona communicentur, si liberi ex priori matrimonio superstites sint. Antehac silebat apud nos dispositio legis *hâc edictali C. de secund. nupt.* cum absque pactis dotalibus, viduus viduave novas nuptias aggressi fuerant; statutique beneficio confestim inter conjuges vigebat omnium bonorum consortium, pactitias solummodo munificentias

ficentias largiores ad filialem portionem lex ista restringebat: quo jure etiamnum hodie utuntur Hollandi. *Dixi ad art.* 10. *Novell. Const. Ultraj. n.* 39. *& seqq.* Dubium oritur ex d. art. 10. ubi sanxit Legislator nostras. *Dat man of vrouw komende te trouwen een weduwe of weduwenaer voorkinderen hebbende, van den selven uyt krachte van statutaire of consuetudinaire gemeenschap, Huwelijcxe voorwaerden, gifte of maecke, of van eenige andere wijse niet meerder en sal mogen genieten als een kints gedeelte, of in cas van veel kinderen, als de portie van het kint minst genietende bedraecht, welverstaende dat geen legitima voor afgetogen sal werden.* Id est; *Mas vel fœmina nuptias contrahens cum viduo, viduave, qui, quæve ex anteriori matrimonio liberos habet, ex ejus bonis nec statutariâ vel consuetudinariâ communione, nec pactis dotalibus, donatione, vel alio quo modo ultra filialem portionem capito, quod si plures liberos inæqualiter institutos habeat, novi conjugis portio portionem ejus cui minimum relictum est ne excedito: Legitimam tamen liberi ne præcipiunto.* Quibus verbis innuere videtur, cessare in secundis nuptiis bonorum communionem, si ex primis liberi supersint. Statuerim tamen veram, & hoc casu, bonorum communionem contrahi, restringendam tantum ad filialem portionem, si in ercifcunda familia reperiatur eam communionem plus liberis ablaturam fore. Quid enim si vir, majoris census, viduam cum liberis in uxorem ducat, certè nihil oberit, quo minus inter eos, per matrimonium, bonorum communionem introductam esse statuamus. Illud solummodo præfatum edictum nostrum cavet, ne præjudicio liberorum anterioris thori, plus, occasione secundi matrimonii, commodo novi mariti cedat, quam quæque liberorum portio: non tamen illud fit per modum impediendæ, sed tantum restringendæ istius communionis. Itaque si præmoriatur liberorum mater, in obligatione quidem est bonorum communio, facultas tamen illinc removendi secundum maritum, oblatâ ei defunctæ uxoris bonis, tantâ portione

quanta liberorum ſingulis continget, in præſtatione erit. Sic ut hæc filialis portionis, ex ſuis bonis, præſtatio, redemptio quaſi ſit communionis lucri, quod, mero jure, novo marito competierat. Exemplis res fiet clarior. Vir improlis bis mille aureos in bonis habens ducit in uxorem viduam, quæ, unà cum ſorte decies mille aureorum, beata erat quatuor liberis. Cumulatum ergo utriusque patrimonium conſtituit duodecies mille aureos. Præmoritur uxor. Si ex lege communionis familia foret erciſcunda, auferret vitricus ſemiſſem, ſexies nempe mille. Conſultius ergo erit liberis, redimere ea communionis jura, vitricoque permittere, ut res ſuas ſibi habeat (bis ſc. mille aureos, quos matrimonio intulerat) eumque admittere in numerum liberorum ad dividenda materna bona, quo facto ſolos alios bis mille aureos conſequetur, ita ut liberi retineant reliqua duo millia, quæ alias communionis poteſtate vitrico ceſſiſſent. Rurſus, novi mariti patrimonium eſt quater mille, mulieris, alteri tanti, puta octies mille aureorum, habet ea ex anteriori matrimonio filium unicum. Præmortuâ uxore, ſatius huic filio erit, confuſas eſſe utrimque facultates, dimidiatim dividuas, ut uterque ſexies mille aureos habeat: filialis enim hoc caſu data portio foret quater mille, qui cum propria mariti ſorte conſtituerent octies mille aureos. Poteſt & evenire ut liberis perinde ſit, ſive vitricus communionis lege utatur, ſive virilis portio eidem præſtetur. Ut ecce, vir in bonis habet ter mille aureos, mulier vidua novem, itidemque duos liberos: bonorum ergo cumulus rurſus ſunt duodecies mille aurei: quod communionis lege cederet marito, jam facto viduo, ſemis eſt, ſexies mille. Prohibeamus jam vitricum iſta communione. Relinquamus ei propria illata bona, ter nempe mille aureos. Adſciſcamus eundem in numerum liberorum. Dividamus matris bona in tres partes. Attribuamus ſingulis ter mille aureos. Utique hic filialis vitrici portio, juncta propriis bonis, efficiet rurſus tantundem, ac eidem vitrico ex communionis lege obveniſſet. Hæc bonorum partitio vix habet repugnantes liberos,
ubi

ubi mater vitâ prædefuncta eſt. Quid ſi mater novum maritum vitâ ſuperaverit, familiaque inter viduam, maritique hæredes dividenda ſit? Putaverim idem cum priori dicendum eſſe, ut vidua hæredes mariti, vel ex communionis jure in dimidiatum patrimonium admittere, vel ſi ea communio liberis nociva ſit, eandem communionem, datâ hæredibus virili portione, redimere debeat. Etenim communionis bonorum jus ilicò poſt conſummatum matrimonium marito acquiſitum eſt, cujus poteſtate mariti hæredes, antequam edictum deciſorium eſſet, viduæ dimidiatas avellebant facultates: imo et hodie illud fit, ſi (uti modo ſchemate propoſuimus) virilis portio aſcendat ad dimidium hæreditatis. Cum Ergo præfato edicto, in eo ſolum à veteri jure receſſum ſit, ne novus maritus ex bonis viduæ, quæ ex anteriori matrimonio liberos habet, vi ſtatutariæ vel conſuetudinariæ communionis, ultra filialem portionem capere poſſit, utique affirmandum eſt, ſubſtitutam, in locum communionis, portionem ejusque redemptricem, continuo poſt mortem mariti illius hæredibus cedere. Illud verum eſt, ſi novus maritus, eventu longioris vitæ, filialem portionem ſtipulatus eſt, prædefuncto marito, nihil hæredibus ejus deberi, nondum orto mariti jure, qui ſibi ſoli, in ſolatium amiſſæ uxoris, caverat. Verum hoc nihil ad rem noſtram, ubi agimus de jure ſtatim poſt conſummatas nuptias nato. Ponamus enim maritum pactis dotalibus communionem bonorum cum vidua, quæ liberos habet, ſtipulatum, uxorique prædefunctum eſſe, quis dixerit ipſius hæredibus nihil deberi? Quinimo ſi vel cumulus bonorum, vel numerus liberorum id fert, ex æquo cum viduâ divident hæreditatem. Quod ſi verò communionis jus liberis iniquius deprehendatur, certè rationis eſt, ut mariti hæredes tantam portionem ex hæreditate capiant, ad quam communio illa per legem reſtricta eſt. Itaque in erciſcunda, hoc caſu, familia, exquirendaque quantitate virilis portionis, neceſſario inſpiciemus tempus ſoluti matrimonii, ſecundum quod hæreditas cum vidua dividenda venit, computabimusque libe-

rorum

rorum numerum, ad instituendam cum hæredibus vitrici bonorum separationem, eo tempore, quo ipsis liberis nihil adhuc juris in bonis superstitis matris competit.

59 Cum diximus per matrimonium omnia bona fieri communia, id spectat rerum genera, non species singulis generibus subjectas. Quædam enim bona sunt, quæ in hanc communionem non veniunt. Ubi primo occurrunt bona feudalia. Hæc cum absque domini consensu alienari non possunt, nec communicari poterunt, ne in ercifcundæ familiæ judicio dimidium feudi, invito domino, transeat in alienam familiam, eidemque invito novus vasallus obtrudatur. Præs. Everh. *cons.* 53. *n.* 9. Clar. *§. feudum quæst.* 31. *n.* 10. Muta *ad consuet. Panorm. cap.* 43. *n.* 1. *& seqq.* Giurba *d. cap.* 1. *gl.* 2. *n.* 55. *& seqq.* Carpzov. *part.* 3. *const.* 20. *defin.* 20. Mev. *ad jus Lubec. d. art.* 12. *n.* 310. Grot. *Isag. lib.* 2. *part.* 11. *n.* 8. Coren *consil.* 25. *n.* 19. *& seqq.* Fred. à Sande *de Feud. Gelr. tit.* 2. *cap.* 3. *n.* 4 Consult. IC. Batav. *part.* 1. *cons.* 144. Goris *in advers. tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 33. *& cap.* 3. *n.* 4. Groenew. *ad tit. Inst. quib. alien. lic. n.* 2. *& ad. lib.* 2. *Feud. tit.* 26. *si de feud. defunct.* §. *in generali.* Id
60 quod statutis multorum Belgii locorum speciatim sancitum est. Uti apud Transisulanos *Lantr. part.* 2. *tit.* 2. *art.* 2. Zutphanienses *Stadr. tit.* 26. *art.* 4. *en Lantr. tit.* 16. *art.* 3. Daventrienses *part.* 3. *tit.* 2 *art.* 4. Brugenses *Cost. van Brugge tit.* 3. *art.* 1. Bellenses *Cost. der stede en Castelrie van Belle rub.* 5.
61 *art.* 2. Inde palam est, quod si feuda ejus naturæ sint, ut inscio domino, & irrequisito ejus consensu alienari possint, tum ea, cessante præfatâ ratione, inter conjuges communia fieri. Burgundus *ad consuet. Flandr. tract.* 3. *n.* 19. Goris *d. cap.* 3. *n.* 7. D.
62 Matthæus *d. parœm.* 2. *n.* 23. In cæteris vero nihil interest num nova, an antiqua sint, ante contractum matrimonium ad alterum conjugem spectaverint, an vero constante eodem legitimâ successione ad eundem delata sint, adeo ut nec ei, qui feudorum expers est, æstimatio eorundem communicetur. Fred. à Sande *d. loc.*

Quid ſi feudum ab uxore illatum ſtante matrimonio vendatur, 63
eritne pretium, ſoluto thoro, ejus ſolius ad quem feudum non diverditum pertinuiſſet? Pro negativâ facit, quod pecunia ex feudo reducta non habeat naturam feudi. *arg. §. ſi vaſallus de benef. tit. ſi de feud. defunct. cont. ſit.* Quodque hoc caſu, feudo conſenſu domini alienato, ceſſet præfata communionis negatoria ratio: cauſaque videatur jam incidiſſe in eum ſtatum, ac ſi ab initio, & ante matrimonium feudum venditum, atque pecunia inde redacta pars uxoriæ ſortis fuiſſet. Sande *d. tit. 2. cap. 5. §. 1. in fin.* Carpzov. *part. 2. conſt. 12. def. 3. & part. 3. conſt. 30. def. 1.* Goris. *d. tract. cap. 5. n. 5. verſ. quæſitum in notis.* Ve- 64
rum fortior alia ratio ſuadet, ut effectu inſpecto, pretium illud marito non communicetur, ſed in erciſcundâ familiâ tantundem præcipiat uxor. Etenim apud nos quævis gratificatio ſtante matrimonio conjugibus eſt interdicta: itaque ſi illis integrum eſſet, feudum (cujus alter expers eſt, etiam æſtimatione tenus. *Uti modo diximus*) conſtante matrimonio vendere, ut hâc viâ idem ille in dimidium pretii veniret, continuo conſecuti forent ſibi invicem gratificandi poteſtatem. Quapropter hanc rem non malè ejuſdem juris cenſebimus, ac ſi maritus fundum uxorium vendidiſſet, quem expreſſa antenuptialis conventio communioni ſubduxerat. *De quo ſuo loco latius.* Ita D. Rodenburg. *de jur. conjug. tit. 2. cap. 4. de gratif. poteſt. n. 26. p. m. 274.* Bacquet. *des droicts de juſtic. chap. 21. n. 314.* Cui congruit illud quod habet Choppinus. *lib. 3. ad ll. And. tit. 2. n. 4.* De conjugibus Andegavis, qui Lutetianum fundum, alteri peculiarem, diſtraxerant, pretium ejus fundi rectè ab illius hæredibus repoſci, tanquam juſti patrimonii ſuccedaneum, nec ſocietatis mutuæ bonis permixtum atque confuſum, ex diverſâ lege domicilii ipſorum Andegavenſis, alioquin enim, ait, conjugum alteri liberum foret, Pariſienſis ſui hæredii alienatione, bona largiri alteri, in fraudem prædiariæ legis, conjugalium donationum prohibitoriæ. Confer eundem *d. lib. 3. tit. 3. n. 14.*

65 Veniamus ad feudum stante matrimonio à marito communibus loculis acquisitum. Ruremundenses hoc feudum inter virum & uxorem commune esse statuunt. *Lantr. part.* 1. *tit.* 2. §. 2. *n.* 2. Quod & à Brabantinâ Curiâ judicatum esse refert Stockmans *decis.* 49. Apud nos interest, an alteruter solus, an verò uterque investitus sit, priori casu ad eum, ejusque hæredes solidum pertinebit, qui solenni concessione ad dominium possessionemque missus est: nisi tamen maritus tutorio uxoris nomine investitus fuerit, tum enim penes uxorem, ejusque hæredes remanebit. Posteriori casu iterum intererit, an feudum sit dividuum, & tum cedet communioni, soluto matrimonio æqualiter dividendum: an verò sit individuum, & hoc ad maritum, ejusve hæredes integrum pertinebit. Ita tamen ut quocunque casu alter conjux, feudi acquisiti expers est, æquali pretio indemnis servetur. Sande *d. cap.* 3. *n.* 7. *& seqq.* Coren *consil.* 25. *n.* 28. Grot. *lib.* 2. *Isag. part.* 41. *n.* 19. Goris. *d. cap.* 3. *n.* 11. *& seqq.* Bort. *de feud. part.* 9. *art.* 2. *quæst.* 1. D. Matthæus *d. parœm.* 2. *n.* 23. Quod autem pleri-
66 que præfatorum Doctorum tradunt, hoc casu uxori, ejusve hæredibus semissem pretii esse refundendum, id perquam inconsideratè ab iis factum est, versamur enim in communione bonorum inter conjuges consuetudinariâ, in quâ ex communi arcâ quæsita confestim & ipso jure utrique conjugum fiunt communia, imò & ipsa feuda forent communia, nisi individua illa eorum natura obstaret, quæ exigit ut uni soli acquisita feuda cedant. Sicuti ergo maritus, ejusve hæredes, ipsum feudum integrum præcipiunt, ita vicissim æquum est, ut uxor, ejusve hæredes, ex communis patrimonii asse integrum pretium præcipiant. Quod enim Sande *d. l. n.* 10. sententiam eorum, qui semissem pretii refundendum dicunt, cum ea quæ de integro pretio præcipiendo loquitur, in hunc modum conciliare conatur, ut ea semissis erogatio fiat non ex communi utriusque patrimonio, sed ex illius solius bonis, qui feudum præcipit, in eo frustra est. Communionis enim omnium bonorum ratio impedit, quo minus maritus dicere possit, quod semissem

ex propriâ crumenâ uxori eroget. Itaque rectius dicemus, uxorem, ejusve hæredes, in erciscundâ familiâ tantum præcepturos, quantum ob acquisitionem feudi (quod maritus habet) communi patrimonio decessit. Grotius *d. n.* 19. Zutphanienses *Lantr. tit.* 16. §. 4. Si enim semisse pretii uxor contenta esse juberetur, vide quorsum res evaderet. Maritus sibi soli prædium feudale emit decies mille aureis, hoc integrum in erciscundâ familiâ retinet, si jam semissem hujus pretii, puta quinquies mille uxori, ejusve hæredi ex reliquo communi patrimonio tribuas, utique jacturam faceret primò alteri tanti, deinde dimidii istius semissis, ille enim semis adhuc ex bonis utrimque communibus uxori erogaretur. Itaque in vicem decies mille aureorum, quæ maritus propter feudum haberet, uxor, ejusve hæres solummodo consequeretur duo millia cum dimidio. Inde patet de semisse refundendo sermonem injici non posse, nisi inter conjuges, qui vel ex statuto, vel ex pacto, non omnimodâ, sed quæstuum tantum communione utuntur, & consequenter ubi alteruter ex propriis bonis explere posset lacunam pecuniæ communis, in acquisitionem feudi insumptæ. Imò nec & hoc casu semper. Fac enim tales conjuges stante matrimonio vicies mille aureos superlucratos esse, maritum autem ex communi istâ pecuniâ fundum feudalem decies mille aureis sibi emisse, hic nullâ refusione opus, cum uxor reliquos decies mille aureos ex communi arcâ capiat, salvâ manente utriusque illatâ sorte. Quapropter tum demum ad refusionem refugimus, ubi ex communi pecuniâ æquam portionem capere uxor nequit, uti evenit quando sola decem aureorum millia lucrati sunt conjuges, maritus autem ea integra impendit in emptionem feudi, jam quoniam ex pecuniâ communi maritus illud feudum sibi soli acquisivit, æquitas postulat, ut semissem pretii uxori, ejusve hæredi de suo refundat (*de quo suo loco latius.*) Et ita exaudiendum statutum Civicum *rub.* 23. §. 25.

Quid si maritus communem fundum allodialem stante matrimonio cum feudali permutaverit, & suo nomine investitus sit? 67

Solius mariti erit: res enim ex re meâ, vel loco rei meæ acquisita non statim mea fit. *l. venditor.* 21. *ff. de hæred. vel act. vend. l.* 2. *& tot. tit. C. si quis alt. vel sibi*: & in particularibus surrogatum non assumit naturam ejus, cui surrogatur, quando surrogatorum diversa natura & conditio est. Hæc disparitas in feudis est evidens, quæ invito domino alteri communicari non possunt. Rosenthal. *de feud. cap.* 4. *concl.* 8. *per tot.* Moller. *lib.* 1. *semestr.* 3. Carpzov. *part.* 3. *const.* 30. *def.* 1. *n.* 11. 12. Bort. *d. part.* 9. *cap.* 2. *n.* 12. D. Matthæus *d. parœm.* 2. *n.* 23. *in fin.* Itaque uxor ab hoc feudo, præstitâ æstimatione removebitur.

68 Quid si utrique conjugi donetur feudum? Si dividuum illud sit commune erit, sive uterque conjux, sive maritus communi nomine investitus sit. Sin individuum, in partes quidem scindi non poterit, invito domino, jus tamen communionis exigit, ut
69 æquo valore uxori satisfiat. Sande *d. cap.* 3. *n.* 11. Bort *d. part.* 9. *cap.* 3. *n.* 2. Si verò marito soli donatum sit, nec in partem feudi, nec æstimationis uxor venire potest. Bort *d. cap.* 3. *art.* 1.
70 *n.* 9. *& art.* 2. *cap.* 4. *n.* 2. D. Matthæus *d. l.* Inde quoque rectissimè respondit D. Rodenburgius, non posse venire in æstimationis partem hæredes præmortuæ uxoris, ratione officii stante matrimonio gratuitò marito dati, utcunque illud officium, Ordinum placito, venditu vel resignatu difficile non sit: ideòque illud officium adinstar feudi, vel alicujus individui & incommunicabilis, dimidiatim marito, ne quidem æstimatione tenus, avelli non posse. Extat excellentissimi viri responsum *part.* 5. *resp. IC. Batav.* 75. cui nihil est quod addi possit. (de fructibus & obventibus talis officii stante matrimonio perceptis non est in præsens noster sermo, cum isti uxori quoque actutum cesserint, ut suo loco dicemus infrà.)

71 Ecquid verò si feudum à marito illatum, stante matrimonio commissum vel apertum sit, posteà verò utrique conjugi à Domino renovetur, redibitne ad veterem dominum maritum, an verò uxor per id æstimationis lucrum consequetur? Non loquimur

de

de feudo commiſſo, quod dominus ilicò remiſit, vel ubi commiſſum eſſe declaravit quidem, verum antequam jure ſuo uſus erat, mentem mutavit. Nec loquimur, ubi contingit ſententiam ex præexiſtenti materiâ infirmari, ſi fortè cujuſquam bona confiſcata ſint ex contumaciâ, falſis probationibus, aut ab his cauſis, quæ retrò agunt, & judicatum conſiſtere non patiuntur. His enim caſibus videri non debet cauſa proprietatis immutata. Loquimur de feudo propter commiſſum patrimonio Domini unito & commixto, cujusque poſſeſſionem jam nactus fuit; vel ubi judicatum oppugnari non poteſt, ſed ipſe Princeps judicio ademptum, condemnato indultum vult: iſta cum fiunt, ab abſolutâ Principis poteſtate promanant, ideòque quod hoc modo tribuitur, novus titulus putatur, & ex die conceſſionis acquiritur ante perditum. Quapropter rectè à Doctoribus reſponſum eſt, etiam hujus feudi dimidio, ſi dividuum eſt, ſin individuum, ejus æſtimatione uxorem gaviſuram. Argentr. *ad conſuet. Brittann. art.* 418. *gl.* 2. *n.* 19. 20. Parlad. *lib.* 2. *rer. quotid. cap.* 16. Sande *d. cap.* 3. *n.* 12. Bort. *d. part.* 9. *cap.* 3. *n.* 3. *&* 4. Inde vi- 72
deas hoc modo renovatum feudum non antiquum, ſed novum appellari. Caldas *de renovat. emphyt. lib.* 1. *quæſt.* 4. Ferron. *ad conſuet. Burdeg. tit. de retract.* §. 11. *&* 23. Imò tantò minus uxori hoc lucrum invidebimus, quod adjectâ uxoris perſonâ Dominus ſatis declarat, ſe commiſſi veniam propter ſolam uxorem indulgere. Abſit tamen omnis fraus, & colluſoria inter conjuges machinatio, ut eâ viâ ſibi invicem gratificandi anſam datam putent. *Per ea quæ tradidimus paulo ſuperius n.* 64.

Diximus ſæpius dato pretio uxorem à feudo removeri. Sed 73
quodnam tempus in eo æſtimando ſpectandum ſit, erogati pretii, an verò quod nunc eſt, diviſionis tempore ſcire intereſt, cum magnum effectum habeat in augmento, vel diminutione bonorum, poſteà contingente. Et præſentem æſtimationem ſpectandam eſſe, volunt Sande. *d. cap.* 3. *n.* 13. Goris. *d. cap.* 3. *n.* 11. Tranſi-

ſulani *part.* 2. *tit.* 25. *art.* 15. Noſtras verò legiſlator ſancivit, in feudis emptis nullâ æſtimatione opus eſſe, verum uxori, ejuſve hæredibus tantum repræſentandum, quantum emendo communi patrimonio deceſſit. *Ordinat. Civic. d. art.* 25. D. Io: à Someren *de jur. Noverc. cap.* 14. *n.* 3. & 5. Montfortenſes *Ordonn. der Stede Montf. rubr.* 9. *art.* 6. Quod & placet Hollandis. Neoſtad. *de feud. cap.* 5. *n.* 12. Grot. *lib.* 2. *Iſag. part.* 11. *lit. b.* & *d. part.* 41. *n.* 19. Bort. *d. art.* 1. *cap.* 4. Zutphanienſibus *Lantr. tit.* 16. *art.* 4. Brugenſibus *tit.* 3. *art.* 1. Cum enim pecuniâ communi emptum eſt, pretium incertum eſſe nequit, emptionis enim tabula, venditor, teſtes, imo ipſa fama id plerumque manifeſtant. D. Matthæus *d. parœm.* 2. *n.* 30. Itaque ſatius putavit Legiſlator expenſum pretium reſpicere, nec eſſe conſiderandas extrinſecas illas rixoſas æſtimationum mutationes, ſatisque uxori conſultum eſſe, ſi feudi acquiſiti nomine tantum conſequatur, quantum habuiſſet, ſi pecunia in arcâ retenta fuiſſet. Quam rationem reddunt Gandenſes *part.* 4. *rubr.* 25. *art.* 10. *Als man en wijff ſamen in Huwelijck weſende, conqueſteren eenich leen, of leenen met heurlieder gemeene penningen, wie dat van hemlieden daer af ten erffven komt, ſoo is den koopſchat van den voorſeyden leene ter eerſter doot van hemlieden deelſaam tuſſchen den houdere of houderige van den ſterfhuyſe, en den hoirs half ende half, gelijck gelt in coffre.* Id eſt, *Cum conjuges ſtante matrimonio feudum vel feuda communi pecuniâ ſimul acquiſiverunt, eaque, diſſoluto morte alterius matrimonio, uni obtigerunt, tum erogatum pretium dictorum feudorum æqualiter dividetur inter ſuperſtitem, & defuncti hæredes, uti pecunia in arcâ retenta.* Totidem ferè verbis loquuntur Cortracenſes. *part.* 4. *rubr.* 16. *art.* 4. 5. Iperenſes. *rubr.* 10. *art.* 40. Caſſetenſes. *Coſt. der Stede Caſſele tit. van parta-*
74 *gien art.* 57. 59. Quod ſi feuda non ſint empta, verum aliis modis acquiſita, puta permutatione, donatione, renovatione, *de quibus actum ſuprà*, hiſce caſibus cum nullum pretium ſit erogatum,

gatum, evidens est ad æstimationem esse deveniendum. *Corpora autem, si qua sunt in bonis defuncti, secundum rei veritatem æstimanda erunt, hoc est, secundum præsens pretium.* Inquit Ulpianus *in l.* 62. *ff. ad. L. Falcid.* Et in hoc rectè Sande *d. cap.* 3. *n.* 4. Bort. *d. art.* 2. *cap.* 4. *n.* 3.

Jam de iis videndum quæ alluvione, ædificatione, plantatione, aliisve modis, stante matrimonio, feudo alterius conjugis accesserunt. Quantum ad alluvionem, apud Hollandos singulare jus est. Hi enim distinguunt inter incrementum adjectum aggeribus jam cinctis, & adversus maris & fluctuum vim munitis, & necdum cinctis & munitis. *bedijckte en onbedijckte Landen.* Quæ incrementa aggeribus jam cinctis adveniunt, ea in fructu computant, & tanquam communia ex æquo dividenda, non cincta ipsi prædio feudali cedere, & vasallum sequi volunt. Grot. 2. *part*: 42. *in fin.* Neostad. *d. cap.* 5. *n.* 26. Bort. *d. tract. part.* 12. *n.* 3. Seu quod inibi aggeres magno sumptu constent, & quod ope aggerum cinctorum exsiccata terra non videatur obvenisse ex liberalitate & concessione Domini, verùm labore, sumptu, & industriâ aggeratorum: seu ut eo magis homines allicerentur ad exsiccanda & munienda ea loca, publico bono. Cæterum alluvionis incrementa appellatione fructus non veniunt, verùm terra accreta fundi pars est, & feudi naturam retinet. §. 20. *Inst. l.* 7. §. 1. *ff. de acquir. rer. domin.* Si verò alluvionis acquirendæ causâ ex communi arcâ impensa facta sit, ejus ratio habenda erit, sicut & cæterarum meliorationum. *De quibus opportunius infra, ubi de acquisitis stante matrimonio dicemus.* 75 76 77

Planè si maritus, ejusve hæres (quem diximus posse erogato pretio, & refusis meliorationibus feudum retinere) omnes molestias, quæ in iis taxandis oriri possunt, evitare velit, malitque, impetrato Domini assensu, uxorem, ejusve hæredem, in partem ipsius feudi admittere, nihil ei ad hoc impedimento erit: nam quæ aliàs sola obstabat individuitatis & dominici juris consideratio, 78

cessat, cum dominus pariter ac vasallus favori pro se introducto renunciat. *d. cap.* 3. *n.* 10. *in fine.* Bort. *d. part.* 9. *art.* 1. *cap.*
79 2. *n.* 2. *& art.* 2. *cap.* 2. *n.* 2. Quæ vel retinendi, vel communicandi feudi optio, etiam marito concessa est apud nostrates Montfortenses. *d. rub.* 9. *art.* 6. Transisulanos. *d. tit.* 25. *art.* 13. Gandenses. *d. rubr.* 25. *art.* 12. Zutphanienses. *Lantr. tit.* 17. *art.* 8. Cortracenses. *d. rubr.* 16. *art.* 7. Brugenses. *d. tit.*
80 3. *art.* 1. *in fin.* Iperenses. *d. rubr.* 10. *art.* 41. In quo evidenter uxoris conditio deterior est: marito enim (cui soli competit emendi potestas) integrum erit, feudum viliori pretio emptum sibi retinere, carius autem feudum uxori communicare.

81 Illud apud nos certum est, posse superstitem conjugem retentionis jure sibi consulere, donec pretium vel æstimatio persolvatur, excluso interim feudi successore. Neostad. *d. cap.* 5. *n.* 16. Goris. *d. cap.* 3. *n.* 11. Bort. *d. art.* 1. *quæst.* 5. *n.* 2. *& art.* 2. *quæst.* 5. Gandenses. *d. rub.* 25. *art.* 11. 13. Cortracenses. *d.*
82 *rubr.* 16. *art.* 6. 8. Igitur, ut recté monet Bortius, apud nos superflua est ea Doctorum altercatio, quâ actionis formulâ pretium vel æstimationem consequamur, an actione rei utiliter gestæ, uti placet Neostadio *d. l. n.* 15.: an condictione, uti Sandio *d. cap.* 3. *n. fin*: dum enim is qui in feudum succederet, eo carere cogitur, quousque pretium persolutum fuerit, adigi potest à superstite conjuge, qui apud nos Massarius est, ut voluntatem, vel habendi, vel communicandi feudi intra certum tempus declaret. Ita Gandenses. & Cortracenses *dd. ll.*

Communionem quoque bonorum non recipiunt bona ge-
83 nearchica, quæ aliis gentilitia, seu familiaria, patrimonialia, truncalia, paterna, & antiqua hæredia nuncupantur, *Stamgoederen.* Mev. *ad jus Lubec. part.* 1. *tit.* 10. *art.* 6. *n.* 7. Hæc enim cum lineæ inhærent unde profecta sunt, alteri conjugi communicari nequeunt. *Idem part.* 2. *tit.* 2. *art.* 12. *n.* 38. Goris. *d. cap.* 1. *n.* 32. *&. ibidem in notis.* Itaque quantum ad alienationes naturæ feudorum accedunt. Mev. *d. art.* 6. *n.* 8. Berlich. *part.*

2. *concl.*

2. *concl.* 13. *n.* 8. Carpzov. *part.* 2. *const.* 12. *def.* 1. *&.* *def.* 3. *n.* 3.

Quid de Emphyteuticis? Ea apud nos in duplici differentiâ 84
snut. Altera allodio comparantur, & divisionem patiuntur: altera feudo, & individua sunt. *Costuym. van Duc d'Alva* §. 78. *&* 79. Prioris generis communicantur alteri conjugi, posterioris non item. D. Rodenburg. *de statut. divers. part. pr. cap.* 2. *tit.* 3. *n.* 5. *in fin. p.* 135. Coren. *d. consil.* 25. *n.* 28. D. Matthæus *d. parœm.* 2. *n.* 37. Confer Giurbam *ad Messan. cap.* 1. *gl.* 2. *à. n.* 17. *usque ad n.* 37. Idem de censualibus nostratium bo- 85
nis judicium est. D. Matthæus *d. l. n.* 40.

Præterea in conjugale bonorum consortium non veniunt bo- 86
na ex fideicommisso post mortem conjugis, alteri restituenda. Etenim propter jus fideicommissario in iis quæsitum, pro alienis habentur, quæ alieno juri applicari nequeant. *l.* 3. §. *sed quia & seq. & Auth. res quæ C. commun. de legat.* Grot. *lib.* 2. *Isag. part.* 11. *n.* 8. Coren *d. consil.* 25. *n.* 19. *& seqq.* Giurba *d. gl.* 2. *n.* 87. *& seqq.* Carpzov. *part.* 3. *const.* 20. *def.* 21. *& de jurib. fœmin. decad.* 8. *posit.* 5. *n.* 22. Mev. *d. art.* 12. *n.* 303. Goris *d. cap.* 1. *n.* 28. D. Matthæus *d. loc. n.* 50. Neque interest 87
fideicommissum purum sit, an in diem, vel sub conditione relictum: spes enim illa fideicommissario quæsita omninò exigit ne illi per communicationem vel divisionem hæreditas intervertatur. Illud videbatur supervacuum monitu, si defecerit conditio, 88
res relictas retrò fieri communes: tum enim remotus est obex, qui solus communicationem eorum inhibebat.

In communionem item bonorum non cadunt ea quæ maritus 89
uxori, nuptiarum causâ, donavit; qualia sunt arrhæ sponsalitiæ, & morganatica donatio, seu matutinale donum, quod mane diei nuptiarum dari solet, quæ jocalia vulgò nominantur, consistuntque plerumque in monilibus, margaritarum lineâ, armillis, catenâ aureâ, aut certâ pecuniæ quantitate, sponsæque donantur in pudicitiæ delibatæ pretium & remunerationem. Hæc enim jocalia

calia pleno jure acquiruntur sponsæ statim atque secutæ sunt nuptiæ. Arrhæ autem sponsalitiæ tam firmo jure ei addicuntur, ut nec, si sponsus atne contractas nuptias moriatur, hæredibus ejus sint restituendæ. *uti latius probavi ad Novell. const. Ultraj. art.* 8. *n.* 17. *& seqq.* Molin. *de justit. & jur. disp.* 230. Duard *de societ. lib.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 4. *n.* 34. Stockmans *decis. Cur. Brabant.* 46. D. Brouwer *de jur. connub. lib.* 2. *cap.* 27. *n.* 25. D.
90 Matthæus *d. parœm.* 2. *n.* 51. 52. Sunt tamen apud quos morganatica donatio non aliter ab uxore præcipitur, quam si maritus sine liberis decesserit, cæterum si liberos ex eâ reliquerit, aut maritus uxori superstes fuerit, donatio intercidit. Zutphanienses. *Stadr. tit.* 27. *art.* 1. *& Lantr. tit.* 15. *art.* 1. Daventrienses *part.* 3. *tit.* 2. *art.* 5.

91 De jure Patronatus quod alteri conjugum ante nuptias competiit, quæsitum fuit, ingrediatur illud, nec ne, conjugale bonorum consortium. Et incommunicabile illud jus esse tradit Muta *ad consuet. Panorm. cap.* 44. *n.* 78. eam ob rationem, quia individuum est, jusque præsentandi honor foret personalis. Re-
92 ctior mihi videtur sententia Lupi de Palac. Ruv. *ad rubr. de donat. int. vir. & uxor.* §. 62. *n.* 23. etiam jus Patronatus communione contineri. Cum enim bona omnia, quibus dotatâ fundatâ, ædificatâve ecclesiâ jus Patronatus alter conjugum consecutus est, communia forent, si non illa dos data, ecclesiaque fundata, ædificatave fuisset, utique jus illud Patronatus, quod exin-
93 de reliquum est, communioni cedet. Individuum quoque jus Patronatus solummodo est in se, dividuum tamen quoad exercitium præsentandi: cum duo possint esse ejusdem juris Patronatus socii, qui vel simul, vel alternis vicibus præsentent. *Clement. plures* 2. *in fin. h. t.* Roch. de Curt. *de jur. Patron. Rub. jus Patronatus an sit temporale n.* 12. Nicol. Garcias *de benef. part.* 5. *cap.* 9. *n.* 53. Mornac. *in observ. posth. ad l.* 13. *ff. de stipul. serv.* Reinkingk *de Regim. secul. & Eccles. lib.* 3. *class.* 1. *cap.* 9. *n.* 10. *& seqq.* Finckelthaus. *de jur. Patron. cap.* 4. *n.* 57. 59.

Ita-

Itaque sola individuitas non protinus facit rem alteri esse 94
incommunicabilem, sufficit jus Patronatus, ex quo constitutum est, commercio non esse exemptum. Garcias *d. cap.* 9. *n.* 10. *& seqq.* Matth. Stephan. *de jurisd. lib.* 3. *part.* 1. *cap.* 17. *n.* 9. *& seqq.* Mornac. *in observ. posth. ad l.* 62. *ff. de acq. rer. domin.* Reinkingk. *d. cap.* 9. *n.* 71. Finckelth. *d. cap.* 4. *n.* 96.
Verum quoque non est jus præsentandi personalem esse hono- 95
rem ei, qui ante nuptias jus illud habuit; tametsi ea opinio suos habeat assertores. Tiraquell. *ad ll. connub. gl.* 5. *n.* 221. Gratian. *tom.* 3. *discept. forens.* 521. *n.* 21. Verior enim est adversæ 96
partis sententia, castro, vel quoquam alio, cujus ratione jus Patronatus competit, ab uxore in dotem dato, solum maritum, non verò uxorem jus præsentandi exercere. Maritus quippe constante matrimonio dominus est dotis, administratione, exercitio & fructu tenus. Sunt autem juris Patronatus fructus ipsæ præsentatio- 97
nes. Ferron. *ad consf. Burdeg. tit.* 4. *de dote.* §. 1. Faber *ad Cod. lib.* 6. *tit.* 1. *defin.* 5. Coquille. *en ses quest. & resp. chap.* 296. *vers. aussi disons nous.* Grivell. *decis.* 37. *n.* 15. Reinkingk *d. cap.* 9. *n.* 17. Carpzov. *in jurispr. consistor. lib.* 1. *tit.* 3. *def.* 43. *n.* 7. *& defin.* 44. *n.* 7. Quare rationis est, eo jure gaudere mari- 98
tum, ad quem fructus spectant universæ dotis. Roch de Curte *d. tract. rub. de translat. jur. Patron. n.* 62. 63. Rebuff. *de nominat. quæst.* 17. *n.* 56. Gutierr. *de tutel part.* 3. *cap.* 29. *n.* 3. Garcias *d. cap.* 9. §. 1. *n.* 177. Sarmient. *lib.* 3. *select. interpr. cap.* 10. *in fin.* Finckelth. *d. tract. cap.* 6. *n.* 15. *& seqq.* Nicol. van der Hooch *singul. jur.* 27. *n.* 10. Quin imo moribus nostris, uxore patronâ, exercitium istius juris, etiam exclusâ bonorum communione, soli marito competit, vi potestatis & imperii maritalis: quod argumentum, prolato Revisionis judicato, latius exornat D. Rodenburg. *de jur. conjug. cap.* 1. *tit.* 2. *de marit. potest. in contrah. n.* 4. *p. m.* 197. Quod si ergo stante matrimo- 99
nio exercitium uxorii præsentandi juris per legem, vel consuetudinem soli marito competat, quidni ipsa uxor, contractâ bono-
rum

rum communione, ipsum Patronatus jus societati ita conferat, ut in erciscundâ posteà familiâ illud ipsum jus marito obtingere possit? Mar. Giurba *ad consuet. Messan. cap.* 1. *gl.* 2. *n.* 39. *& seqq. ubi ita judicatum refert.* Confer Did. Perez. *ad ordin. Regn. Castell. lib.* 1. *tit.* 6. *leg.* 1. *vers. Dubitatur etiam. De jure Patronatus stante matrimonio acquisito, utrique conjugi communicando, dicemus infra suo loco.*

Jam videndum de effectu communionis bonorum in statuto-
100 rum conflictu. Videmus enim sæpè alia circà bonorum communionem esse statuta in loco contracti matrimonii, alia in loco domicilii mariti. Rursus, alia in loco domicilii, alia ubi prædia sita sunt. De quibus agamus ordine. Quantum ad primum attinet, rectè à Doctoribus responsum est, interesse quo animo matrimonium contractum est, an maritus decreverit in domicilium uxoris sedes transferre, quo casu sine dubio locum contractus inspiciemus: conjuges enim in contrahendo matrimonio id voluisse videntur, quod volunt territorii leges, in quo negotium geritur, cum consuetudo influat in contractus, quos dirigit & format. An verò uxor in domicilium viri sit traducenda, & tum inspiciemus statutum, seu consuetudinem habitationis mariti, non ubi uxor ducta est, aut solennitas nuptiarum celebrata. *text. elegans in l. exigere* 65. *ff. de judic.* ubi ait Ulp. Non oportet spectari locum, *in quo instrumentum dotis factum est, sed eum, in cujus domicilium & ipsa mulier per conditionem matrimonii reditura est.* Animi enim destinatione in domicilio viri contraxisse intelligitur, ibidem ætatem actura. Inde fiet, ut, si matrimonium contractum est, in loco ubi jus scriptum observatur, & dotes sunt, dotiumque privilegia; vel in Frisia, ubi nulla alia quam quæstus communio viget, mariti autem domicilium Trajecti est, communio bonorum inter eos obtineat. Rol. à Valle. *de lucro dot. quest.* 13. Chassan. *ad consuet. Burg. rub.* 4. §. 2. *gl. au Duchè.* Pellicia *ad Aversan. cap.* 3. *n.* 197. *& seqq.* Ferron. *ad Burdegal. tit.* 4. *de dote* §. 6. *vers. Præterea.* Muta *ad Panorm. d. cap.*

cap. 43. *n.* 99. Valasc. *tom.* 2. *rer. judicat. cap.* 138. & 175. Bacquet. *des droicts de justic. chap.* 21. *n.* 74. Garsias *de conjug. acquæst. n.* 140. & *seqq.* Faber *in ration. ad d. l. exigere.* Cancer. *var. resol. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 157. Giurba *d. cap.* 1. *gl.* 1. *n.* 65. & *gl.* 7. *n.* 57. & *seqq.* Cabedo *part.* 1. *decis.* 165. Goris. *d. tract.* 1. *cap.* 6. *n.* 4. D. Rodenburg. *d. tract. tit.* 2. *cap.* 5. *n.* 15. *in fin.* D. Matthæus *d. parœm.* 2. *n.* 59. D. Someren *de jure Noverc. cap.* 12. *n.* 2. Sunt, qui existimant tum leges domici- 101
lii uxoris spectandas esse, cum ducta mulier probabili errore, ignoravit leges aut consuetudinem domicilii mariti, adeoque fiduciâ juris scripti contraxit. Inter quos sunt Pellicia. *d. cap.* 3. *n.* 192. Goris *d. l. n.* 8. Vix rectè, scire enim debuit statuta 102
loci quo migrat, quæque, sequendo forum mariti, approbasse intelligitur. Et quis credat, vel mulierem, vel nuptiarum arbitros & pararios tam oscitanter & negligenter matrimonium contrahere, ut non ante inquisiverint in mores & consuetudinem domicilii mariti quo migratum iret? Videmus enim non rarò & compendii causâ nuptias contrahi. Rol. à Valle *d. tract. quæst.* 14. Valasc. *d. cap.* 138. *n.* 18. Giurba *d. gl.* 1. *n.* 68. Busius *ad l.* 6. *ff. de evict. n.* 9. Mev. *d. art.* 12. *n.* 339. Quod si mari- 103
tus pluribus locis habuerit domicilia, diverso jure utentibus, tum illud domicilium spectabimus, ubi frequentius ac diutius commorari solet, rerumque ac fortunarum suarum majorem partem constituit. Chassan. *d. gl. n.* 8. Bacquet *d. tract. chap.* 8. *n.* 14. Mornac *in observ. posth. ad l.* 6. *ff. ad municip.* Schrader. *miscellan. cap.* 2. *n.* 39. D. Matthæus *d. n.* 59. *in med.*

Quid si maritus Trajectinus constante matrimonio domici- 104
lium mutet, illudque cum uxore transferat aliò, ubi conjugale bonorum consortium non obtinet, utenturne conjuges translati domicilii lege, quasi extrinctâ bonorum communione? Affirmativa in tantum placuit Mevio *d. art.* 12. *n.* 401. Ut non fuerit veritus, contrariam sententiam communem errorem apellare:

quasi discedendo maritus renunciaverit legibus loci unde migravit, & subjecerit se foro, quo habitatum ivit, absurdumque videatur aliquem judicari ex prioris civitatis statuto, ubi non am-
105 plius degit, & cujus legibus discedendo exemptus est. Verum in eo fallitur, cum enim ilicò post contractum matrimonium bona ipso jure utrimque communia facta sunt, qui poterit ea communio dissolvi solâ domicilii mutatione? Non enim ea mutatio numeratur inter modos dissolvendæ societatis. Itaque attendi potius debet locus, ubi inita & orta fuit obligatio. Boer. *ad consf. Bitur. tit.* 8. *des mariages art.* 4. *vers. tertia conclusio.* Rod. Suarez *ad l.* 1. *tit. de bonis acquis. n.* 42. Louet *en son recueil. lit. C.* §. 15. Bacquet *aud. chap.* 21. *n.* 67. 68. Delommeau *en sa jurispr. Franc. lib.* 2. *art.* 299. *à la fin.* Mornac. *ad l.* 20. *ff. de judic.* Sande *lib.* 2. *tit.* 5. *def.* 10. Goris *in advers. tract.* 1. *cap.* 7. *n.* 3. *& seqq.* Groenew. *ad d. l.* 65. *ff. de judic.*
106 Hanc tamen communionem non ulterius putaverim duraturam, quam cum contrariam declarationem conjuges eâ de re manifestaverint, si nimirum assumpti domicilii leges contractam antè communionem permittant resolvere. Super quo voluntatem declarasse re ac facto videntur, cum, bonis conscripto inventario divisis, quisque privatim sibi consulit, negotiatur, acquirit: his enim modis societas dissolvitur *l.* 63. §. *ult. l.* 64. *ff. pro soc. cum simill.* Burgund. *ad consuet. Fland. tract.* 2. *n.* 14. *in fin.*
107 D. Rodenburg. *d. tit.* 2. *part. alt. cap.* 4. *n.* 3. *p. m.* 119. Tantundem dicendum est, si conjuges, qui sub solâ quæstuum communione, vel jure scripto contraxerant, domicilium eo transtulerint, ubi societas conjugalis viget. Nam quod Burgundus, eumque secutus Christin. *vol.* 3. *decis.* 133. *n.* 47. putant, per solam mutationem, & translationem domicilii eo loci ubi communio bonorum viget, conjuges intelligi in leges societatis transiisse, nisi per declarationem voluntatis à societate abstineant, & ad loci contractus utilitatem se componant, in eo rectè reprehensi sunt à D. Rodenburgio. *d. n.* 3. sicuti enim socie-

cietas bonorum domicilii mutatione non dissolvitur, ita nec solâ domicilii mutatione eadem societas contrahitur. *arg. l.* 153. *ff. de R. I.* Quod & Bacquetio placet *d. chap.* 21.*n.* 69. Illud certum est, quod Burgundus pro ratione opinionis suæ adducit, leges civiles esse indifferentes, hoc est, in arbitrio conjugum relinquere societatem inire, vel exuere, resumere, & rursus resolvere; verum an conjuges veteris domicilii jura exuerint, non est potestatis, sed voluntatis quæstio. Ergo cum, vel Burgundo teste, conjuges contrahendo matrimonium circa societatis jura id voluisse intelligantur, quod leges sui territorii postulant, cum consuetudo in contractum influat, rectè exigemus præter domicilii mutationem, etiam conjugum super assumptâ societate declarationem, aut realem bonorum confusionem & commixtionem. Quod autem D. 108
Matthæus *d. l. n.* 66. dubitat, an & accedens declaratio, vel bonorum confusio, pristini domicilii jura infringere possit, eo quod ea res incideret in prohibitam inter conjuges donationem, id inconsideratè factum est. Versamur enim in eo casu, ubi conjuges migratum iverunt illuc, ubi iis integrum est stante matrimonio communionis jura stabilire, in quo iis impedimento esse non possunt repudiatæ veteris domicilii leges; quibus quidem ab initio tenebantur ex superiori illo tacito pacto, & subauditâ illâ voluntate de eo quod leges contractus requirebant, sed quibus jam soluti sunt, postquam larem, rerumque ac fortunarum suarum summam apud alios constituerunt, & communionis habendæ voluntatem declaraverunt. Itaque hoc viri docti argumentum 109
non magis stringit, quam si ex eo quod conjugibus nostratibus non licet sibi invicem gratificari, idem de iisdem pronunciare vellemus, si mutatâ sede in Hollandiam se, omniaque sua bona contulerint, inibique supremum elogium commodo alterius condiderint: hi certè non amplius tenentur prohibitoriâ gratificandi nostrati lege, cum & personas, & res suas statuti nostri dispositioni subduxerint. D. Rodenburg. *d. l. n.* 4. Illud citrà disputatio-

tationem damus, si & translati domicilii leges gratificandi licentiam conjugibus inhibeant, non posse eos, stante matrimonio, exuere pristini domicilii jura, & communionis assumere. Verum hoc non descendit ex obstaculo derelictæ Provinciæ, vel Civitatis, sed quia & novi loci Majestas eam gratificandi licentiam suis subditis denegavit.

110 Transeamus ad pugnam statuti domicilii mariti cum situ prædiorum. Puta domicilium Trajecti est, prædia in Frisiâ sita sunt, ubi quæstus solummodò communio viget, vel in aliâ Provinciâ ubi jus scriptum obtinet, & communio bonorum inter conjuges nulla est, censebunturne hæc prædia secundum leges domicilii, an sui situs? Divexatissima hæc quæstio est, si qua alia, adeò ut super ea experiare non solum pugnantes invicem Doctores, verum &, eosque magni nominis, sibi ipsis contrarios. Car. Moli-
111 næus *consil.* 53. ad normam domicilii mariti jus communionis inter conjuges omnium bonorum, etiam alibi sitorum, exigendum esse docet, eo quod per matrimonium conjugalis societas contracta sit. Contra Argentræus. *ad consuet. Brittan. art.* 218.
112 *gl.* 6. *n.* 33. 34. communionis rationem ad singulas rerum sitarum leges componendam judicat, tanto in Molinæum insultu, ut pronunciet eum, solis cogitationibus, & ingenii confidentiâ fretum, illud consilium scripsisse, ut susceptam causam, non ut meliorem tueretur, adversarias autem rationes proterere sicut
113 aper imbelles canes. Relatâ utriusque opinione Burgundus cum Molinæo facit *tract.* 1. *n.* 15. parcius tamen, quam oportuerat, refellendo Argentræi rationes, quibus Molinæum adortus fuerat. Id quod D. Rodenburg. *d. cap.* 5. *n.* 14. *p.* 84. plenius
114 executus fuit. D. Ant. Matthæus *d. parœm.* 2. *n.* 64. post hos omnes dicturus sententiam, Argentræi amplectitur, mutuatis ipsius rationibus ac telis. Hi verissimum putant, conjugale bonorum consortium non ex conventione, sed ex ipso statuto descendere. Quid enim, ajunt, si minor adultus contrahat nuptias, quid si filius familias, nonne bona vi statuti commu-

municantur, tametsi neque ille efficaciter obligetur sine curatore, neque hic, quibusdam in Provinciis sine parentum consensu? Absurdumque videri sententiam statuti ex conventione contrahentium metiri, cum statuta per se firma esse debeant, non ex alieno arbitrio pendere. Ergò cum conjuges nullis conscriptis pactis dotalibus matrimonium contrahunt, non istic esse conventionem de communicandis omnibus bonis ubicunque sitis, verum simplicem assensum & approbationem statuti. Igitur quid statutum sibi velit, non ex voluntate contrahentium æstimandum, sed contrà quid contrahentès voluerint, ex vi & potestate statuti dijudicandum esse, quandoquidem secundum hoc contraxerunt. Statutum non plus virium habere quam à Legislatore accepit, Legislatorem autem non plus quam quantum territorii habet. Itaque causam in eo esse, ac si de successione ab intestato & hæreditate dividendâ agatur, in quo cum spectamus leges loci ubi prædia sita sunt, quidni idem faciamus in dividendâ soluto matrimonio bonorum massâ? Hanc quoque sententiam sequuntur Præs. Everhard. *in loc.* 113. *à nom. dignit. n.* 5. Peck. *de testam. conjug. lib.* 4. *cap.* 28. *n.* 5. Choppin. *ad ll. And. lib.* 3. *tit.* 2. *n.* 4. Charond. *en ses memor. observ. verb. biens, & verb. communautè vers. mais si par le.* Carpzov. *de jur. fœmin. decad.* 8. *posit.* 5. *n.* 15. *& seqq.* Giurba *d. gl.* 2. *n.* 121. Mev. *ad jus Lubec. part.* 2. *tit.* 2. *art.* 10. *n.* 40. *& art.* 12. *n.* 316. Videamus an rectè. Diximus suprà rationem com- 115
munionis nostræ conjugalis omnem descendere ex tractatu matrimonii: cum inconveniens putatum sit, per illud animorum & corporum communicationem contrahi, non etiam bonorum: individuam vitæ consuetudinem coïri, & tamen relicto mei & tui inter conjuges discrimine, divortii causam in connubio generari. Sicuti ergò per matrimonium maritus & uxor unum corpus, una caro facti sunt, ita & unum bonorum cumulum inter eos coacervatum esse oportet. Et quemadmodum conjuges per nuptias consecuti sunt jus in corpora mutua, ubique locorum communican-

dum, ita & consecutos esse jus ad communicanda utriusque bona, ubicunque sita Inde sequitur communionis negotium non descendere propriè à statuto, verum à personis quæ nuptias contraxerunt, & per has societatem non tantum vitæ, sed etiam bonorum, eo quod matrimonii contractui insit hæc rerum communicatio, nec enim ipsis rebus immobilibus ulla ad communicandum inest vis, sed tota ejus rei causa & ratio in contractâ societate consistit. Itaque non rectè adversarii pro ratione opinionis suæ adferunt, statutum non posse egredi territorii fines, nec afficere prædia in alieno territorio sita, quod & nos fatemur. Non enim agitur hic de viribus statuti, sed de legibus societatis à suis subditis coïtæ implendis atque exequendis. Huc igitur res redit cum Legislator nostras edicit.

Post benedictionem sacram, præviis tribus promulgationibus publicis factam, mensæ thorique participationem, bona inter conjuges communia sunto.

Idem est ac si edixisset.

Sponsus & sponsa post nuptias non tantum corpora mutua, sed & omnia bona communicanto.

Inde sequitur, quod quamvis in coëundis nuptiis, nullæ tabulæ, nulla instrumenta confecta sint, de communione, de rebus, nihil reperiatur cautum, sed sola corporum conjunctio in conventione sit, tacitè tamen contractam bonorum societatem intelligi, ex assensu & approbatione statuti, dum coïerunt in fœdus matrimonii hâc qualitate à Legislatore aucti & vestiti. Ita ferè argumentatur Jos. à Sesse. *decis. Regn. Aragon.* 37. In quo nihil firmitati statuti detrahemus, nec quid statutum velit æstimamus ex voluntate contrahentium, (quod perperam nobis objiciebatur) sed contrà, quid contrahentes voluerint dijudicamus ex dispositione & voluntate statuti, quod bonorum communicatio-

tionem conjugibus injunxit, & quam in se suscepisse intelliguntur, eo ipso quod secundum statutum contraxerunt, nec aliter pacti sunt. Quod autem dicebatur, sæpè tales convenire qui ne commercii quidem habent potestatem, quique rerum suarum compotes non sunt, ut filiosfamilias: id nollem à viris doctis huic quæstioni applicatum, cum iis obstet alia communionis introducendæ prohibitoria ratio, *de quo supra n.55. egimus*. Mallem audivisse exemplum minoris cujus bona absque decreto alienari nequeunt, communicabitne is uxori suæ bona omnia, cum
auctore curatore nuptias contrahit? Omninò: cum enim matri- 116
monii sequela sit bonorum communicatio, utique minor, qui matrimonii capax est, & capax erit introducendæ communionis. Mornac. *in observ. posth. ad l.* 4. *C. de Jur. dot.* Maynard. *lib.* 3. *decis.* 42. Bouvot. *en ses arrests tom.* 2. *verb. mariage*. Tantumque hoc casu consuetudo nostra tutorum, propinquorumque præsentiæ & auctoritati tribuit, quantum judiciali Magistratus cognitioni aut decreto. Goris *in advers. tract.* 4. §. 16. utcunque viri sint docti qui contra sentiant. Choppin. *ad ll. And. lib.* 3. *tit.* 3. *de donat. int. conj. n.* 10. 11. Peleus *liv.* 3. *act.* 48.
Caldas *tract. de empt. vend. cap.* 13. *n.* 31. Itaque perperam 117
Argentræus putat, ita posito jure consequens fore, ut minori, opinione facultatum uxoriarum lapso sint dandæ in integrum vulgares restitutiones, & rescissiones, sæpè ex rebus, sæpius ex personis. Imò, inquam ego, eædem minori denegandæ, uti omninò adversus matrimonium ipsum, ita & adversus bonorum societatem per nuptias tacitè contractam: non enim videtur esse circumscriptus minor, qui jure sit usus communi, inquit Imp. *in l. ult. C. de in integ. restit. minor. l.* 28. *C. de Jur. dot.* Ferron. *ad cons. Burdeg. d. tit.* 4. *de dote* §. 6. *vers. secundo extendo*. Cujac. *lib.* 16. *observ.* 14. Ant. D'Esperses *tom.* 1. *tit. du dot. sect.* 2. *n.* 3. Perez. *ad C. tit. de jur. dot. n.* 11. Autumn. & Groenew. *ad tit. Cod. si advers. dot.* Confer Charond. 7. *resp.* 29. Quod porrò D. Matthæus huic quæstioni adaptat argumentum

de successione ab intestato, & hæreditate dividendâ, in quo spe-
118 ctamus leges loci ubi prædia sita sunt, id infirmius est. Immobilia enim alienis territoriis subjecta, alia atque alia censentur hæreditas, non aliter quam si per fictionem unius hominis diversa forent patrimonia. Ex quo fit ut alibi pater, alibi fratres uni succedant: succedat in prædia nostra ex æquo cum primogenito filius Anglus secundo-genitus, absque ullâ consideratione quid in loco domicilii vel originis defuncti obtineat: rebus enim illud jus positum est, citrà ullum actus à personâ peragendi interventum. Coren *Observ.* 20. *n.* 9. *&* 10. Christin. *ad ll. Mechl. tit.* 16. *ad rubr. n.* 4. *& vol.* 1. *decis.* 282. *n.* 17. Burgund. *d. tract.* 1. *n.* 35. 36. Grot. *Isag. lib.* 2. *part.* 26. *in fin.* Sande *lib.* 4. *tit.* 8. *def.* 7. Vinnius *lib.* 2. *select. jur. quæst. cap.* 19. Carpzov. *part.* 3. *const.* 12. *def.* 12. Mev. *ad jus Lubec. in prælim. quæst.* 4. *n.* 29. *& lib.* 2. *tit.* 2. *art.* 10. *n.* 37. *& seqq.* Choppin. *ad ll. And. lib.* 3. *tit.* 2. *n.* 15. Charond. 2. *resp.* 57. *&* 4. *resp.* 41. Casp. Ant. Thessaur. *lib.* 2. *quæst.* 4. Busius *ad l.* 6. *ff. de evict. n.* 18. D. Rodenburg. *de jur. conjug. tit.* 2. *cap.* 2. *de statut. divers. n.* 1. *p. m.* 32.
119 Cum verò patrimonii massa per conjugalem societatem communis effecta dividenda venit, evidens est jus hoc divisionis non ex situ, sed personarum tractatu ortum esse. Quid enim si matrimonium contractum sit in eâ Provinciâ, quæ non utitur communionis jure, alterius autem conjugis prædia sita sint in aliâ, quæ communione gaudet, jam certè ex superiori illâ viri docti sententiâ intrepidè concludendum foret, alterum conjugem qui ex lege sui domicilii in partem venire nequit, habiturum communionis vi dimidiatas alterius facultates, quasi ea sit prædiaria istius Provinciæ lex atque qualitas; sicuti evenit in eo qui contrà leges sui domicilii, vel defuncti, succedit in prædia cujus successionis ex situs consuetudine capax est: quod tamen viro docto displicet, qui *d. parœm.* 2. *in fine* denegat communionem, aliàs ex lege situs debitam, isti conjugi, qui sua prædia communicare non vult. Quid? nonne ipse D. Matthæus *d. l. n.* 59. statuerat, & rectè,

rectè, si in loco matrimonii dotes sint, dotiumque privilegia, aut communio quidem, sed solius quæstus & damni vigeat, in loco autem domicilii mariti jus municipale, seu communio omnium bonorum obtineat, non esse tum spectandum locum celebrati matrimonii, sed domicilii maritalis, cum uxor transeundo in domicilium mariti, etiam secundum leges ejus loci contraxisse intelligatur? Quod certè dici non posset, nisi ipsum matrimonium, secundum Civitatis jura contractum, secum traheret tacitum vel inducendæ vel excludendæ communicationis bonorum pactum. Quò vergunt Transisulani *part. 2. tit. 2. art. 3.* Daventrienses *lib. 3. tit. 2. in fin.* dum cavent, ut si conjugum alter prædia alibi sita (ubi communionis jus non viget) communicare recuset, is nec communione bonorum in suo territorio sitorum gaudere possit: evidenti argumento quod leges apud eos contracti matrimonii conjugibus indiderint necessitatem & alibi sita bona communicandi. Quanquam in eo hallucinati fuerint, quod arbitrio alterius ex conjugibus reliquerint peculiaria sibi ea bona retinere, cum omnimodò adigendus fuisset ad ea communicanda, vi & potestate taciti pacti in coëundis nuptiis initi: non enim contrà refractarium competit ad resolvendum, sed ad perficiendum contractum actio. Dixerim ergò si conjuges matrimonium contraxerint eo loci ubi conjugale bonorum consortium obtinet, alterius autem conjugis bona sita sint ubi solo tractatu, & citrà solennem mancipationem bona transferri possunt, ea confestim post ingressum thori utrimque communia facta fuisse; quod si rursus inibi sola illa communicatio vim mancipandi non habeat, tum dissoluto matrimonio non esse quidem ea bona communia, proprietatemque eorum pertinere ad eum cujus anteà fuerant, pretium tamen in communionem venire ex initiali illâ inter conjuges de communicandis bonis obligatione, quâ alter agat vel in rei partem, vel ad id quod illius interest, bona illa communicata non fuisse. Adstipulatores habeo præter Molin. Burgund. Rodenburg. *supra. alleg.* Grot. *inter consil. IC. Batav. part. 3. cons.* 106.

Bus. *ad l.6.ff. de evict. n.4.* Stockmans *decis. Cur. Brabant.* 50. D. Joan. à Someren *d. tract. cap.1.n.2. in med.* Bacquet. *aud. chap.* 21. *n.* 66. Charond. *en ses Pand. liv.* 2. *chap.* 5. *p.m.* 196. *& liv.* 4. *tit. Regles du droict. art.* 6. *&* 2. *resp.* 64. *&* 7. *resp.* 100. Cald. *de jur. Emphyt. lib.* 2. *quæst.* 14. *n.* 12. Mornac. *ad. l.* 65. *ff. de judic.* Choppin. (*sibi contrarium*) *de morib. Paris. lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 4. *ubi speciatim carpit Everhard. & Peckium contrariæ opinionis assertores.* Antverpienses *tit.* 41. *art.* 63. 65. Cortracenses *part.* 4. *rub.* 15. *art.* 15. Iperenses *rubr.* 10. *tit. van succeßie art.* 16. Hisce ita stabilitis evitare poterimus omnia ea incommoda quibus adversarii premuntur. Fatetur enim D. Matthæus *d. l. n.* 61. suam sententiam bono & æquo non leviter adversari, dum eosdem conjuges alibi divisum, alibi commixtum patrimonium attribuit, cui incommodo sanando, in fine istius parœmiæ, laboraverat frustrà, *uti demonstratum suprà.* Cum nostra sententia omnem tollat incongruentiam: communione enim non obtinente in loco contracti matrimonii, nec communicabuntur bona alterius loci ubi ea communio frequentatur: contrà, si communio ea in loco contractus obtineat, communia erunt, vel communicanda utriusque bona ubicunque sita: utrimque enim ratio voluntatis vertitur, vel introducendæ, vel excludendæ istius conjugalis societatis. Feudalia bona excipias, quæ generali bonorum appellatione vel communione non veniunt, eo quod obstat dominici juris consideratio, *uti dictum suprà.* Itaque tacitum illud pactum communicationis ad ea extendi nequit, cum non nisi solenni stipulatione, & subsequente Domini consensu in communionem venire possint, *ut suo loco dictum est.*

Hactenus actum de lucro, restabat inspectio de damno communicando, itemque de societate eâ continuandâ, vel dirimendâ. Verum cum earum quoque rerum ratio habenda sit, ubi inter conjuges sola quæstuum communio introducta est, reservabimus earundem tractationem, donec & de hac communione actum fuerit, quando de singulis accumulatè.

DE PACTIS DOTALIBUS.

TRACTATUS II.

CAPUT PRIMUM.

SUMMARIA.

1. *GRave est fidem pactis dotalibus datam fallere.*
2. *Pactorum dotalium origo antiquissima est.*
3. *Quibus solennibus veteres hæc pacta confecerint.*
4. *Hodiè etiam pacta dotalia consignari solent.*
5. *An præcisè scripturam desiderent? Quod nonnullis placet.*
6. *Apud nos solummodò adhibentur in rei gestæ fidem.*
7. *Apud quos scriptæ nuptiales tabulæ exiguntur, licet ne earum tenorem testibus probare, si eædem deperditæ proponantur?*
8. *Post consummatum matrimonium non fiunt pacta dotalia.*
9. *Apud Romanos dos & donatio ante nuptias, & pactis, & quantitate æquales debebant esse.*
10. *Quod nostratibus, aliisque displicuit.*
11. *Cujus rei ratio redditur.*
12. 105. *Quæ pactis dotalibus placuerunt, ea precisè servanda sunt, modò non repugnent rationi naturali, æquitati, bonisque moribus, neque statuto, vel consuetudine reprobata sint.*
13. *Apud nos veræ dotes non sunt, nec dotium jura usurpantur, nec dotium differentiæ.*
14. *Dotem nos uno communi nomine vocamus ea bona, quæ uterque conjugum matrimonio infert.*
15. *Jure Romano mater pro filiâ dotem dare non cogebatur.*
16. *Nostris moribus dotandi onus utrique parenti commune est.*
17. *Mulier sine viri auctoritate filiæ suæ dotem constituere nequit.*
18. *An filia dives sit dotanda? Affirmantium sententia, & rationes proferuntur.*
19. *Refutantur.*

20. *Explicatur* l. ult. C. de dot. promiss.
21, 22. *Refellitur Connanus, qui docet filiæ nuptæ non esse dotem præstandam.*
23. *Pater etiam tenetur dotare filiam, quæ ipso dissentiente, auctoritate judicis nupsit.*
24. *Quid si pater, filiæ suæ Curator, simpliciter dotem constituerit, nec adjecerit, ex suis, an ex filiæ bonis id fecerit? Refertur sententia existimantium patrem intelligi ex suis bonis dotem promisisse.*
25. *Etiamsi pater dixerit, de bonis paternis & maternis se dotem constituere.*
26. *Moribus nostris pater curator filiæ, intelligitur dotem ex ipsius filiæ bonis promisisse.*
27. *Mater administratrix bonorum paternorum filiæ, promittendo dotem, eandem de re ipsius filiæ dixisse intelligitur.*
28. *Quid apud Castellanos, & Lusitanos obtineat.*
29. *Apud Hollandos collatio dotis etiam fit in superstitis parentis commodum.*
30. *Itaque superstes ibi intelligitur solum dotem filiæ ad tempus commodasse.*
31. *Apud nos collatio superstiti non prodest.*
32. *Recensentur consentientes Belgii consuetudines.*
33. *Aliæ tamen cum Hollandis faciunt.*
34. *Si parens superstes majorem dotem constituit filiæ, eandem exsolvere tenetur.*
35. 39. *Quid si tutor ampliorem dotem constituerit? Distinctione resolvitur.*
36. 37. 38. *Tutoris scientia & calliditas in ampliori dote promissâ unde dignoscatur.*
40. *Quid si proprio nomine se obligaverit tutor?*
41. *Uterque conjux tenetur reipsâ conferre dotem promissam, vel pati ut alter tantundem præcipiat cum usuris.*
42. *Usuræ dotis debentur ex ipso nuptiarum die.*
43. *Idem obtinet in patre & aliis, qui non ex liberalitate, sed ex necessitate dotem debent.*
44. 45. *Extraneus dotis promissor quamvis non nisi post biennium constituatur in morâ, intrà biennium tamen ad solutionem dotis interpellari potest.*
46. *Ex quo tempore hodiè extraneus in morâ constituitur? Ex die litis contestatæ, Groenewegius.*
47. *Non tamen videtur diversum jus constituendum, inter ipsos contrahentes, parentesve eorum, & inter extraneos dotis promissores.*
48. *Hodiè in restituendâ dote non expectatur annus, sed statim restituuntur, quæ extant, quanquam plerisque in locis, rebus transigendis, & familiæ erciscundæ, sex septimanæ conceduntur.*
49. *Si gener promissam dotem post longius tempus receperit, absque ullâ protesta-*

testatione de usuris, quæ ex morâ debebantur, non superest usurarum petitio.
50. *Quid si maritus dotis usuras, quoad vixerat, non petierit? Profertur sententia existimantium, hoc casu usuras esse remissas.*
51. 52. *Quod moribus nostris non obtinet.*
53. *Si maritus onus, vel hypothecam fundi in dotem dati reticuerit, illud onus de suo solvere tenetur, uxorique, vel ejus hæredi refundere usuras intermedias.*
54. *Quid si maritus fundum in dotem dederit,* ad se pertinentem, *cum tantum certa fundi portio ad eum spectaret?*
55. *Dote in certum diem promissâ, si moriatur uxor ante diei adventum, cedetne marito dotis lucrum, quod eventu longioris vitæ pepigerat? Negativa quorundam sententia refertur.*
56. *Refutatur.*
57. *Si dos vivente uxore promissa non sit, eà defunctâ nulla genero dotis nomine actio competit.*
58. *Quid si dos in diem incertum promissa sit?*
59. *Quid de promissione* cum moriar? *Distinguitur.*
60. *Dies incertus pro conditione habetur, non solum in ultimis voluntatibus, sed & in contractibus.*
61. *Explicatur regula, quod ex conditionali stipulatione spes transmittatur in hæredem.*
62. *Fallit ea regula quando ipsa conditio defecit.*
63. *Dos promitti nequit in tempus soluti matrimonii.*
64. *Sine matrimonio dos nec esse, nec incipere potest.*
65. *Sola mariti apocha non sufficit ad probationem solutæ dotis.*
66. *Nisi ea confessio juvetur aliis conjecturis.*
67. *Cautius coram Notario & testibus pecunia adnumerabitur, vel apocham à parentibus vel propinquis subsignari curabitur.*
68. *Soluta dos post decennium præsumitur.*
69. *Contrà hanc præsumptionem contraria probatio admittitur.*
70. *An autem ille decennii lapsus præsumptionem solutæ dotis adversus maritum inducat? Ajentium sententia adfertur.*
71. *Refutatur.*
72. *Contrà mulierem non currit, manente matrimonio, præscriptio fundi dotalis.*
73. *Quatenus id moribus nostris obtineat.*
74. *Per dotis constitutionem hodiè ipso jure contingit alienatio rerum immobilium in donatarium.*

75. 76. *Referuntur diversorum locorum circà eam rem constitutiones.*
77. *Securius in eum finem desiderabimus, ut actis publicis pacta dotalia professa fuerint.*
78. *Ruremundensium statutum profertur.*
79. *Demonstratur absurdum ejus sententiæ, quæ simpliciter affirmat per pacta dotalia dominium transferri.*
80. *Auctoris sententia circà hoc negotium adducitur.*
81. *Feudi dominium per pacta dotalia non transfertur citrà Domini consensum.*
82. *Consensus ille etiam ex post facto impetrari potest.*
83. *Nec solum à socero, sed & ab ipso genero, vel aliò eorum nomine.*
84. *Leodiensium consuetudo circà pactorum dotalium insinuationem adfertur.*
85. *In insinuandis donationibus apud plerosque sufficit, vel ad donatoris, vel ad donatarii petitionem id fieri.*
86. *Per pacta dotalia etiam sponsæ absenti acquiritur jus.*
87. *Communio bonorum non tantum purè, sed & sub conditione contrahi potest.*
88. *Ejus rei notabilis effectus refertur.*
89. 91. *Auctoris temperamentum.*
90. *Exolevit apud nos* Auth. sed quæ C. de pact. conv.
92. *Conveniri potest, ut non nisi natis liberis bona sint communia.*
93. *Pactis dotalibus occurri potest bonorum communioni, atque rem reducere ad normam juris Civilis.*
94. *Licitum est mulieri dotem salvam sibi fore stipulari.*
95. *Quousque ea stipulatio creditoribus obstet? Remissivè.*
96. *Refellitur Grotius, qui negat conveniri posse, ut conjugum alter sit particeps lucri, immunis damni.*
97. *Quid si pactis dotalibus expressim dictum sit, ut Feuda quoque inter conjuges sint communia? Valet pactum.*
98. *Eoque casu si alter feudum communicare recusaverit, vel neglexerit, in id quod interest actio dabitur, æstimando feudi pretium, quod tempore divisionis est.*
99. *An feuda contineântur omnium bonorum appellatione, vel societate contractâ? Affirmant multi.*
100. *Apud nos requiritur, ut feudorum speciatim sit pacta communio.*
101. *Si firmandis tabulis dotalibus conjuges adhibuerint consensum Domini, tum, generali bonorum enunciato, etiam de feudis pepigisse intelligendi sunt.*

102. Con-

102. *Concessâ vasallo testandi licentiâ, sub generali dispositione bonorum continentur feuda, quando non alia extant quam feudalia bona.*

103. *Pactitia bonorum communio cujuscunque generis bona complecti potest, & ad res ubicumque sitas porrigitur.*

104. *Licitum est conjugibus, initio matrimonii, jus certæ alicujus Civitatis eligere.*

106. *Contrà bonos mores reputatur pactum conventum, ne maritus quicquam imperii habeat, neve absque consensu uxoris mercaturam exercere possit.*

107. 108. *Quid si conventum, ne maritus citrà consensum uxoris domicilium mutare possit? Inutile pactum est.*

109. 110. *Nisi in fraudem uxoris quicquam molitus fuerit maritus, quo casu etsi liberum marito manet migrandi arbitrium, actio tamen dabitur in id quod interest, veteres sedes translatas non esse.*

111. *Non sustinetur dotalis sponsio, ne maritus pro uxore judicio experiretur, sed ut illa ipsa litigatum iret.*

112. *Nec ea quâ conventum, ut stante matrimonio conjugibus liceret sibi invicem gratificari.*

113. *Vel contrà, ne unquam futuris conjugibus fas sit, sibi invicem bonorum usumfructum largiri.*

114. *Vetita quoque stante matrimonio sunt omnia pacta, pactis dotalibus contraria.*

115. *In quo refutatur sententia Stockmanni, qui statuit posse mulierem stante matrimonio, commodo mariti, renunciare lucris, & factis, & faciendis.*

116. *Stante matrimonio convelli, vel alterari nequeunt successionum leges, & regulæ, utriusque fortunis pactis dotalibus scriptæ.*

117. *Non eò magis subsistet posterior illa pactio, quod utrimque amici novis tabulis adhibiti sint.*

118. *Reprehenditur Delommeau, qui putat tum eam stabiliri, si præsentia Iudicis intervenerit.*

119. *Iudicis præsentia non potest tollere vitium negotii intrinsecum.*

120. *Nec in fidejussores actio datur qui posterioribus istis tabulis accesserunt.*

121. *Omnes repromissiones, secretæ pactiones, & antigrapha reprobantur.*

122. *Nec sustentatur pactum, quo viduus vel vidua, qui, quæve ex priori thoro liberos habet, plus in novum conjugem confert, quam erat remansurum apud liberorum singulos.*

1 HActenus egimus de consortio bonorum inter conjuges ipso matrimonii tractatu introducto. Tempus est, ut videamus quid circà hanc consuetudinariam communionem pactis dotalibus immutari possit. *Pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque adversus leges, plebescita, SC.*[ta] *edicta Principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt, servabo*, ait Prætor *in l. 7. §. 7. ff. de pact.*: maximè cum dotis causa interposita proponuntur. *tot. tit. ff. de pact. dotal. & tit.*
2 *C. de pact. convent.* Harum pactionum dotalium origo antiquissima est, cum à primis usque temporibus in usu fuerint. Plerumque certis solennibus adhibitis in scripturam redigebantur, quam *tabulas nuptiales* vocat Tacitus *lib. 11. Annal.* Hæ inter au-
3 spices signabantur, continebantque dotem, & illam solennem conjugii causam, *liberûm quærundorum.* Idem Tacitus *d. lib. 11.* de Messalinâ, Claudii uxore adulterâ, vivo marito, Silium inducente, ita ait. *Nomen matrimonii concupivit — cuncta nuptiarum solennia celebrat — adhibitis qui obsignarent, velut liberorum suscipiendorum causâ convenisse, audivit illa auspicum verba*, &c. *& ibi Lipsius in comment.* Suetonius in Claudio, eandem historiam enarrans, ait. *Messalinam supplicio affectam, dote prius inter auspices consignatâ.* Quò spectat illud Juvenalis

— Signatæ tabulæ, dictum feliciter.

Et rursus

— Ritu decies centena dabuntur,
Antiquo, veniet cum signatoribus auspex.

JC[tus] Scævola ait. *Seia antequam domum deduceretur, tabulæ-*
4 *que dotis signarentur. l. 66. ff. de donat. int. vir. & uxor.* Denique quemadmodum olim, ita & hodiè pacta dotalia solenniter

nco-

conſignari ſolent, adhibitis conventioni & tractatui nuptiarum utrimque propinquis, qui dotis conſtitutionem, conſilio & auctoritate ex æquo & bono moderentur. Tulden. *ad d. tit. Cod. de pact. conv. n.* 5. Exin quæſitum fuit, ſcripturam, nec ne, deſiderent hodiè neceſſariò pacta dotalia, ut eâ omiſſâ non conſtent? 5
Sunt apud quos pactis dotalibus hæc forma præſcribitur, ut fiant adhibitis utrimque propinquis, ab iis, unà cum ſponſo & ſponsâ, ſubſcribantur, ac ſignentur. Zutphanienſes. *Stadrecht tit.* 26. *art.* 1. Tranſiſulani *part.* 2. *tit.* 2. *art.* 1. Velavi *cap.* 27. *art.* 1. Daventrienſes *part.* 3. *tit.* 2. *art.* 1. Groeningani *Old-ampten*, *part.* 4. *art.* 23. Omlandi *part.* 3. *art.* 10. Drentii *Lantr. lib.* 3. *tit.* 1. *art.* 1. Tilenſes *tit.* 5. *art.* 1. Quod ſi factum atque obſervatum non fuerit, nihil præſidii in pactis dotalibus ſit, ſed neglectis iiſdem conſuetudinaria inter conjuges communio obtineat. Id quod expreſſius ſanciverunt Neomagenſes. *Stadr. van den* 17 *April* 1616. *Dat ſoodanige Huwelijxe voorwaerden alleen voor wettigh en bundigh geholden werden, die geſloten en opgericht ſijn ten overſtaen van twee bloedverwanten aen beyde zijden, indien daer bloedverwanten ſijn, of by gebreck en weygeringe van bloedverwanten, ten overſtaen van twee verkoorene onpartijdige vrienden aen elcker zijde.* Id eſt *Quæ pacta dotalia, præſentibus duobus utrimque propinquis, vel iis non extantibus aut recuſantibus, convocatis adhoc duobus utrimque amicis mediis, compoſita, obſignataque erunt, ea ſolummodò juſta validaque ſunto.* Noſtras Legiſlator nihil tale præciſè cavit: 6
rubrica quidem ſtatuti Civici 22. cluit *De pactis dotalibus, & uſufructu*: verum rectè obſervavit D. Rodenburg. *de jur. Conjug. tit.* 2. *cap.* 4. *de conjug. gratif. poteſt. n.* 4. mirandum eſſe, quod nigrum iſti rubro nullatenus conveniat, cum nullus inibi articulus inveniatur, qui gry quidem de pactis dotalibus loquatur. Quapropter dicendum eſt, apud nos nuptiales tabulas ſolummodò adhiberi ad faciliorem rei geſtæ probationem, ac memoriam, non autem ad pacti ipſius ſubſtantiam, ac validita-

tem. Itaque si pacto jam firmato, & conventione conclusâ, scriptura non interveniat, nihil obstat, quò minus fides veri, testibus probari possit. Neostad. *de pact. antenupt. Observ.* 18. 19. Grot. *lib.* 2. *Isag. part.* 12. *n.* 2. Carpzov. *part.* 2. *const.* 43. *def.* 8.
7 Confer. Radelant. *Decis.* 120. Idem dicendum apud eos, quorum mores requirunt, ut tabulæ nuptiales scriptæ, ac utrimque signatæ sint, eæ autem deperditæ proponantur, sufficere nimirum, ut rei gestæ veritas probetur testibus, pactorum dotalium arbitris, ac parariis. *text. in l.* 15. *Cod. de jur. dot.* Carpan. *ad statut. Mediol. lib.* 1. *cap.* 112. *n.* 60. *& seqq.* Trentacinq. *lib.* 2. *var. resol. tit. de fid. instrum. resol.* 4. *n.* 1. *vers. Tertia.* Gail. 2. *Observ.* 37. Automne *en sa confer. ad l. sicut.* 5. *C. de fid. instrum.* Bouvot. *tom.* 2. *verb. preuve par tesmoings. quest.* 59. Maynard. *lib.* 6. *decis.* 78. Confer Charond. *liv.* 6. *resp.* 28.

8 Illud monitu supervacuum videbatur, oportere pacta hæc dotalia ante consummatum matrimonium esse interposita; docuimus enim suprà, confestim post ingressum thori, bona utrimque facta esse communia, cui mutando obstat prohibitoria apud nos gratificandi inter conjuges ratio. Grot. *d. part.* 12. *n.* 3. Coren *consil.* 26. *lit. f. & seqq.* Chassan. *ad consuet. Burgund. rub.* 4. §. 2. *verb. Et acquests. n.* 15. *vers. limita tertio.* Charond. *sur Paris. art.* 222. *& liv.* 5. *resp.* 62. Montholon. *arrest.* 105. Mev. *ad Ius Lubec. lib.* 1. *tit.* 5. *art.* 7. *n.* 85. D. Matthæus. *paræm.* 2. *n.* 35. Tilenses *d. tit.* 5. *art.* 13.

9 Diximus Romanorum tabulas nuptiales plerumque dotem continuisse: in hujus pignus donatio propter nuptias à sponso fiebat, quæ vocabatur, *antidos.* Hæ sese mutuò respiciebant, *Auth. Dos data C. de donat. ant. nupt.* & non solum pactis, sed & quantitate jubebantur esse æquales. *Novell.* 97. *cap.* 1. Apud
10 nos, aliasque gentes ea constitutio penitus ab aulâ recessit, validæ enim sunt impares hodiernæ conventionum leges. Groenew. *ad l.* 10. *C. de pact. conv.* Zypæus *in notit. jur. Belg. tit. de jur. dot. vers. ad eundem.* Car. de Mean. *ad jus Leod. part.* 1. *obs.* 66. *n.* 5.

n. 5. Mevius *ad jus Lubec. lib.* 1. *tit.* 6. *n.* 29. Carpzov. *part.* 2. *const.* 42. *def.* 1. *n.* 5. Rittershus. *ad Novell. part.* 5. *cap.* 1. *n.* 7. Charond. *en ses observ. verb. donation.* Antverpienses *tit.* 41. *n.* 1. Bergizomii *tit.* 14. *n.* 1. Nec abs re: non enim 11
hodiè uxores hoc tantum spectant, ut dos in tuto sit, qui finis & scopus erat donationis propter nuptias, sed ut præter dotem etiam amplius lucrum consequantur. Hinc pacta invaluerunt, de donatione propter nuptias, vel dote totâ, vel ejus parte lucrandâ; deque aliquâ portione ex mariti, uxorisque bonis præcipiendâ. Bugnion. *des loix abrog. liv.* 5. *sat.* 15. Lucra enim ea hodiè non nanciscimur jure dotis, sed ob amorem conjugalem, sponsæ plerumque, in delibatæ virginitatis præmium atque remunerationem: ideòque & quæ nihil intulit, tantum lucri stipulari potest, quantum per leges licet. Quæ enim pactis dotalibus pla- 12
cuerunt, ea præcisè servanda sunt, dummodò naturali rationi, æquitati, bonisque moribus non repugnent, neque statuto, vel consuetudine reprobata sint. Goris *in advers. tract.* 2. *cap.* 9. *n.* 12. Mev. *d. tit.* 5. *art.* 5. *n.* 37. *& art.* 7. *n.* 81. *& part.* 2. *tit.* 2. *art.* 12. *n.* 286. *&* 376. Carpzov. *part.* 3. *const.* 23. *def.* 1. *& part.* 1. *decis. illustr.* 60. *n.* 13. *& seqq.* Valasc. *consult.* 135. *n.* 2. Giurba. *ad Messan. cap.* 1. *gl.* 6. *n.* 15. Ruremundenses *part.* 1. *tit.* 2. §. 1. *n.* 9. Bergizomii *d. tit.* 14. *art.* 1. Brugenses *tit.* 3. *art.* 2. Lovanienses *cap.* 12. *art.* 10. Id quod Drentii *Lantr. lib.* 3. *tit.* 1. *art.* 1. hâc parœmiâ efferunt. *Is lantrecht dat Huwelijxe voorwaerden dooden alle rechten.* Id est. *Jus agrarium sancit, pacta dotalia, omnia alia jura infringere.*

Apud nos veræ dotes non sunt, nec dotium jura usurpantur, 13
nec dotium differentiæ. Groenew. *ad Rubr. C. de jur. dot.* Grot. *lib.* 2. *Isag. part.* 11. *&* 12. Gudelin. *de jur. noviss. lib.* 1. *cap.* 8. *vers. cæterum.* D. Ant. Matthæus. *de Auction. lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 40. Daventrienses *tit.* 22. *art.* 14. *& quos citavi ad Novell. Const. Ultraj. art.* 6. *n.* 30. Non ergò erit instituti nostri, operosè immorari tradendis iis, quæ circà dotes jure Romano con-
stituta

14 stituta sunt. Dotem nos uno communi nomine vocamus ea bona, quæ uterque conjugum in subsidium matrimonii confert, rarius utimur donationis ante nuptias vocabulo, itaque & nos permistè nomen dotis usurpabimus, tam relatu ad sponsum, quam ad sponsam.

15 Jure Romano neque mater pro filiâ dotem dare cogebatur, nisi ex magnâ & probabili causâ, vel lege specialiter expressâ, neque pater de bonis uxoris suæ invitæ, ullam dandi habebat facultatem. *Impp. Diocl. & Maxim. in l. 14. C. de Iur. dot.* Nec mirum, cum enim omnia constante matrimonio acquisita, mariti lucro essent, dotare filias, non maternum, sed paternum officium erat. *l. 19. ff. de rit. nupt. l. ult. C. de dot. promiss.* Verum

16 cum nostris, aliorumque moribus, ob conjugale bonorum consortium, uxor lucri damnique particeps fiat, consequens est, ut, jure societatis, dotandi onus hodiè commune sit, & ad utriusque conjugis officium æqualiter pertineat: adeò ut si pater solus dotem constituerit, ex communibus bonis eam promisisse intelligatur. Groenew. *ad d. l. ult. C. de dot. promiss. & ad d. l. 14. C. de jur. dot.* Kuyck *ad Cravett. consil. 77.* D. Ant. Matthæus *in Auctar. de divort. leg. & usus post tractatum de matrimon. art.* 31. Christin. *vol. 3. decis. 51. n. 9.* Lup. de Palac. Ruv. *ad rubr. de donat. int. vir. & uxor. §. 66. n. 7.* Gomez. *ad l. Taur. 50. n. 24.* Covarr. *lib. 3. var. resol. cap. 19. n. 3.* Zans. *de divis. bonor. lib. 2. cap. 17. n. 1. & seqq.* Barbos. *ad l. 1. part. 4. n. 90. & seqq. ff. sol. matrim.* Choppin. *ad mor. Paris. lib. 2. tit. 1. n. 34. in fin. & ad ll. And. lib. 3. tit. 3. n. 11.* Giurba. *ad statut. Messan. part. 1. cap. 3. gl. 6. n. 62.* Mornac. *in obs. posth. ad d. l. ult.* Mev. *ad jus Lub. part. 2. tit. 2. art. 34. n. 24.* Perez. *ad*

17 *tit. C. de dot. promiss. n. 14.* Quin imò hæc dotis constitutio patris, à communis patrimonii administratione processisse existimanda est. Uxori enim sicut contrahere vetitum est, ita nec filiæ doti quippiam dare licitum erit. Favor quippe dotis nihil derogare potest potestati virorum, quorum interest sibi jus & arbitrium

trium de rebus communibus disponendi conservari illibatum. D. Rodenburg. *de jur. conjug. tit.* 2. *cap.* 1 *de marit. potest. in contrah. n.* 23. D. Someren *de jur. Noverc. cap.* 4. *sect.* 1. *n.* 5. Zans. *d. cap.* 17. *n.* 4. Charond. *en ses Pand. liv.* 2. *cap.* 5. *p. m.* 197. *a la fin. & liv.* 2. *resp.* 48. Giurba. *d. gl.* 6. *cap.* 3. *n.* 67. Baëzia *de non melior. filiab. cap.* 11. *n.* 22. *&* 55. *cum mult. seqq.*

Quid si, matre mortuâ, filiæ dos constituenda sit, illa autem 18
habeat bona materna, vel alias adventitia, & quæ doti sufficiunt? Vulgo placuit, etiam hanc filiam à patre dotandam esse: cum enim paternum officium sit, dotare filiam. *d. l. ult. C. de dot. promiss.*: adventitia illa bona non videntur ab hujusmodi necessitate patrem posse liberare: ne quæ in filiæ favorem introducta sunt in ejus detrimentum detorqueantur. *L.* 6. *C. de legib.* Accedit, quod legitima portio, cujus vicem hodie dos obtinet, etiam filiæ diviti debeatur. *l.* 29. *C. de inoff. testam.* Ita sentiunt Menoch. *tom.* 1. *consil.* 8. *n.* 7. 19. Giphan. *ad. d. l ult. c. de dot. promiss. p m.* 396. Barbosa *ad l.* 1. *part.* 4. *n.* 17. 18. *ff. sol. matrim.* Gamma. *decis. Lusit.* 76 *n.* 1. Gail. 2. *observ.* 93. *n.* 14. Perez. *ad. c. eod tit. n.* 8. Zoes *eod. tit ff. n.* 8. Giurba. *d. cap.* 3. *n.* 3. *qui, post enumeratam magnam Doctorum cohortem, eam sententiam communiorem & veriorem esse ait.* Verius tamen 19
putaverim, non teneri patrem filiæ diviti, & quæ ex sese dotem congruam habet, dotem constituere: diviti enim ne quidem alimenta præstare tenemur. *l.* 4. *l.* 7. *ff. de agnosc. & alend. lib.*: nec ex eo quod legitima diviti debetur, inferemus etiam eidem deberi dotem: etenim cum legitima non nisi post mortem patris debeatur, plus similitudinis cum alimentis, quam cum illa dos habet: nec consimilis utrobique æquitas obligationis est: in dote negata sibi parcit & consulit, legitimam verò tunc debet, cum ipsi ex bonis suis nullus amplius usus: in quem eventum, ut ex bonis ejus aliquam partem liberi habeant, naturalis & civilis ratio suadet, cum ex jure gentium tota iis successio deferatur. *De quo Grotius. lib.* 2. *de jur. bell. ac pacis. cap.* 7. Non item adversariis 20

quicquam præsidii est *in d. l. ult. c. de dot. promiss.* In casu namquam istius legis pater non tam ex officio, quam ex sua ipsius promissione tenebatur; dubitabatur quoque ibi solummodo utrum pater, qui filiæ nupturienti dotem constituerat, censeatur eandem constituisse ex suis, vel ex propriis filiæ bonis, quæ certè inanis foret dubitatio, si pater filiam, aliunde locupletem, semper de suo cogeretur dotare: quin contra, ipse Justinianus supponit, si clarè dixisset, se ex filiæ bonis polliceri, nihil ex patris bonis debitum iri: evidentissimo argumento, quod, juris necessitate, filiam divitem ex suis bonis dotare non teneatur pater. Illud mirari subit, quod adversarii favorem dotis majorem faciunt alimentorum præstandorum necessitate: dotis enim favor omnis pendet ex adminiculo quod nuptiis contrahendis præbet, nec illud adhiberi necesse est, ubi filia de suo tantum habet, ut ei optimè de marito provideri possit *arg. l.* 1. *ff. sol. matrim.* alimenta verò jure naturæ debentur, hæc & naturalibus liberis pater præstare cogitur, dotem non item. *l.* 41. *§. si pater.* 11. *ff. de legat.* 3. Hanc sententiam probant Connan. *lib.* 8. *comm. cap.* 8. *n.* 7. Caldas de Pereira. *lib.* 1. *quæst. forens.* 18. *n.* 1. *& seqq.* Duar. *ad tit. de jur. dot. cap.* 3. Fachin. *lib.* 10. *controv. cap.* 38. Gudelin. *de jur. noviss. lib.* 1. *cap.* 14. *vers. crediderim.* Grivell. *decis.* 139. *n.* 18. Tulden. *ad d. tit. C. de dot. promiss. n.* 7. Carpzov. *part.* 2. *constit.* 42. *def.* 13. Vinnius. *lib.* 2. *select. jur.*
21 *quæst. cap.* 14. Confer Wamesium. *cent.* 5. *consil. civ.* 59. Non probo tamen ejusdem Connani judicium, qui ex eo quod Marcianus dicebat, videri patrem prohibere filiam matrimonio, qui conditionem non quærit. *d. l.* 19 *ff. de rit. nupt.* infert, eum ergo qui quæsivit, & invenit, officio paterno satisfecisse videri: nec ad dotandas filias ullam hodie patrum coactionem esse, nisi ut traditæ nuptui, nihil in se aut turpe, aut libidinosum admittant, quod si fecerit pater sine dote excusandum eum esse, qui virtutis suæ opinione, & famâ, virum filiæ invenit, quod alii pretio & pecuniâ solent ambire, & si forma & honestas filiarum so-

la nuptiis causam dedit, ut non rarò evenit, hoc patris bono & commodo esse debere, qui hujus honestatis & formæ auctor quodammodo est, & genitor. Ita vir doctus *d. n.* 7. Quem sequuntur Gudelinus. *d. vers. crediderim.* Merenda. *lib.* 3. *controv. cap.* 11. Michalor. *de Fratrib. part.* 3. *cap.* 5. *n.* 8. Etenim non alias eorum sententiam admiserim, quam si sponsus 22
imaginariâ istâ dote contentus sit, vel si tantâ pater laboret inopiâ, ut nihil dotis constituere possit, sponsusque acquiescat isti Alcumenæ Plautinæ effato, *in Amphitr. act.* 2. *sc.* 2.

Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur,
Sed pudicitiam, & pudorem, & sedatum cupidinem,
Deûm metum, parentum amorem, & cognatûm concordiam,
Tibi morigera, atque ut munifica sim bonis, prosim probis.

Alioquin in jure non reperias, non esse cogendum patrem, dare dotem filiæ jam nuptæ: nec ea tantum datur ad nuptias conciliandas, sed etiam ut mulier melius habeatur à marito. *l. ult. C. ad SC. vellej.* utque onera matrimonii commodius sustineantur. *l.* 2. *l.* 7. *l.* 75. *ff. l.* 20. *C. de jur. dot.* Qua de causa *in d. l.* 19. *ff. de rit. nupt.* duo ad officium patris pertinere dicuntur, liberos in matrimonium collocare, & dotare. Itaque qui uno defunctus est, quæsitâ nuptiarum conditione, ac genero designato, non protinus liberatus est ab altero, cum constitutio Divorum Severi & Antonini etiam eos cogat, qui dotem dare nolunt. Cum hac opinione transeunt Corasius. *ad d. l.* 19. *n.* 55. Covarr. *de matrim. part.* 2. *cap.* 3. §. 8. *n.* 7. Hottom. *de dote, n.* 29. 30. Giphan. *ad d. l. ult. C. de dot. promiß. vers. sexta adfertur exceptio.* Casp. Baëzia. *tract. de non meliorand. dotis rat. filiab. cap.* 5. *n.* 4. *& seqq.* Perez. *ad eund. tit. n.* 10. Cald. *d. cap.* 18. *n.* 5. Quin imò, 23
quod pater universim, pro modo facultatum suarum, filiam dotare teneatur, etiam eam quæ ipso dissentiente, auctoritate judicis, nupsit, traditum à nobis est *ad Novell. constit. Ultraj. art.* 14. *n.* 83.

Ecquid si pater, idemque filiæ suæ curator, simpliciter dotem 24

constituerit, nec adjecerit, ex suis, an verò filiæ bonis id fecerit? *Papinianus libro decimo quæstionum ait, cum pater, curator filiæ suæ, juris sui effectæ, dotem pro ea constituisset, magis eum quasi patrem id, quam quasi curatorem fecisse videri.* Inquit Ulpian. *in l.* 5. §. 12. *ff. de jur.* Quod & Imp. Iustinianus rescribit *in d. l. ult. C. de dot. promiss.* Quam sententiam communiter sequuntur Doctores. Alciat. *reg.* 1. *præsumpt.* 26. Gomez. *ad l.* 1. *part.* 5. *ff. sol. matr. n.* 145. Caldas. *d. quæst.* 18. *n.* 32. Gudelin. *d. vers. crediderim.* Perez. *ad d. tit. Cod n.* 9. Zoes. *d. tit. ff. n.* 10. Et in hanc rem judicatum esse tradunt in Camera Spirensi Mynsinger. *cent.* 5. *observ.* 32. in Brabantina Curia
25 Stockmans. *decis.* 48. *n.* 3. In tantum, ut si pater dotis constitutione dixerit, de bonis paternis & maternis eam datum iri, de suis nihilominus teneatur integram dotem exsolvere, & intacta materna bona filiæ asservare. Alciat. *d. præsumpt.* 26. Costa. *de quot. & rat. quæst.* 62. Mastrill. *decis. Regn. Sicil.* 186. Carpan. *ad stat. Mediol. lib.* 1. *cap.* 278. *n.* 267. Faber. *in Cod. tit. de dot. promiss. def.* 7. Cancer. *var. resol. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 225. Giurba. *d. cap.* 3. *gl.* 6. *n.* 9. *& seqq.* d'Olive. *en ses arr. liv.* 3. *chap.* 24. Mynsing. *cent.* 6. *obs.* 86. Tulden *ad d. tit. C. n.* 5. Perez. *d. n.* 9. Christin. *vol.* 3. *decis.* 132. *n.* 24. Rationem hujus rei omnem ponunt in officii ratione, legisque ac juris vinculo, quo
26 pater necessitate ad dotandum adstringitur. Vix tamen est, ut id moribus nostris obtineat. Diximus enim supra, apud nos, dotare, non paternum solummodo officium esse, sed & maternum: diximus quoque filiam divitem non amplius esse dotandam. Quâ ergo ratione pater id filiæ dedisse intelligetur, ad quod non est obligatus, nisi illud ipsum evidenter dixerit? Quid? mortuâ matre, commune patrimonium divisum est, semissem hujus, sex millia aureorum pater filiæ suæ assignavit, semissem alterum sibi retinuit, filia nupturit, dotem ei sexies mille aureorum pater constituit, quis non affirmabit, hæc esse materna filiæ bona? Aliter enim si dicamus, & dotem ex solius patris bonis esse exsolvendam,

dam, atque materna præterea bona filiæ esse præstanda, jam, vivo patre, filiæ totum patrimonii assem addicemus, patri egestatem. Quid est absurdâ interpretatione favorem dotis extra æquitatis fines extendere, si non hoc est? Consentiunt Groenew. *ad d. l. ult. C. de dot. promiss.* Tulden. *ad d. tit. cod. n.* 6. Stock- 27
mans *d. decis.* 48. *n.* 10. Hanc sententiam eo confirmatius asserimus, cum videamus Interpretes diversum jus constituere in matre, administratrice bonorum paternorum filiæ, ut illa de re ipsius filiæ dotem dixisse intelligenda sit. *arg. l. Nesennius.* 34. *ff. de negot. gest.* Caldas. *d. quæst.* 18. *n.* 35. Gomez. *ad d. l.* 50. *n.* 23. Zans. *de divis. bon. lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 40. Barbosa. *d. loc. n.* 148. Faber. *d. tit. C. de dot. prom. defin.* 10. Giurba. *d. gl.* 6. *n.* 35. Christin. *d. decis.* 132. *n.* 22. *& seqq.* Perez. *d. tit. n.* 14. Zoes. *d. tit. n.* 15. Atque apud nos utriusque parentis non dispar dotandi officium sit. Apud Castellanos & Lusitanos, post mor- 28
tem matris, dotans pater censetur dotem ex bonis constante matrimonio superlucratis constituere. Covarr. *lib.* 3. *var. resol. cap.* 19. *n.* 3. *vers. ex quo infertur.* Gomez. *d. l.* 50. *n.* 24. *vers. secunda ratio.* Gutierrez. *lib.* 2. *pract. quæst.* 125. Barbosa. *d. l. n.* 147. Hanc nostram hujus quæstionis definitionem Hollandi 29
eo lubentius admittunt, quod apud eos collatio dotis, stante matrimonio constitutæ, non modo fiat in defunctæ matris cohæredum, sed & in superstitis patris commodum. Grotius. *lib.* 2. *Isag. part* 11. *n.* 11. Groenew. *ad l.* 14. *C. de jur. dot. n.* 6. *& ad tit. C. de Collat. n.* 4. Itaque apud eos nequaquam videri potest pa- 30
ter de suo dotem donasse, sed tantum ad tempus, quo se ipsam dotare posset, filiæ dotem commodasse: quo argumento ad suam sententiam stabiliendam rectè usus est Groenewegius. *ad. d. l. ult. n.* 12. Apud nos, nisi aliter conventum sit, ea collatio super- 31
stiti non proficit: cum enim ex communi dotata sit filia, dimidium uterque conjux doti dedisse intelligitur, ergo in singulorum hæreditate sola dimidia pars dotis conferenda est. Consentiunt Velavi. *cap.* 31. *art.* 8. *&* 9. Bergizomii *tit.* 14. *art.* 7. Antver- 23

pienses *tit.* 47. *n.* 31. Gandenses *part.* 4. *rubr.* 27. *n.* 3. Lovanienses *cap.* 14. *art.* 3. Mechlinienses *tit.* 16. *art.* 4. 5. Brugenses *tit.* 7. *n.* 2. Cortracenses *part.* 4. *rub.* 17. *n.* 2. Iperenses *rub.* 10. *art.* 31. 32. Bellenses *rub.* 8. *art.* 14. Dendermundenses *rub.* 17. *van inbringen, of collatien, art.* 4. Cassletenses *cost. van Cassele art.* 261. 262. Gomez. *d. n.* 24. *ferè in fin.* Charond. *en ses memorab. observ. lit. C. verb. Collation. vers.*
33 *si la donation.* Cum Hollandis tamen faciunt Daventrienses. *part.* 3. *tit.* 5. *art.* 5. Tilenses *tit.* 8. *art.* 4. Medioburgenses
34 *tit. van successien. art.* 5. Plane si alteruter ex conjugibus ampliorem bonis filiæ dotem constituerit, non dubito, quin datam fidem adimplere cogatur, nec possit defungi solorum bonorum filiæ oblatione. Gomez. *d. n.* 24. Barbosa. *d. loc. n.* 149. Casp. Baëzia. *d. tract. de non melior. filiab. cap.* 11. *n.* 155. Faber. *d. tit. C. def.* 7. *n.* 10. Stockmans. *d. decis.* 48. *n.* 6. Confer Charond. *liv.* 6. *resp.* 15.

35 Pergamus ad tutorem dotantem. Hujus quoque est, pupillæ dotem constituere, pro modo facultatum, dignitateque natalium. *l.* 69. §. 5. *ff. de jur. dot.* Quid si tutor ampliorem dotem promiserit, quam erat in pupillæ facultatibus? Puta decem millia, dotis nomine, sponso addixit, cum sola sex millia totum pupillæ patrimonium efficerent. Et rectè responsum est, ut si ignorans id fecerit, non in amplius teneatur, quam in facultatibus pupillæ est; sin sciens & callidus, & quo sponsum nuptiis illaquearet, de suo teneatur supplere id, quod supra vires patrimonii promissum est. *text. in l. si post.* 43. §. *qui cum.* 1. *ff. de administr. tut.* Bald. Novell. *tract. de dote. part.* 6. *privil.* 41. *n.* 2. Lupus de Palac. Ruv. *in repet. rub. de donat. int. vir. & ux*: §. 66. *n.* 16. Gomez. *ad. d. l.* 50. *n.* 24. Baëzia. *d. tract. cap.* 12. *n.* 15. Hartm. Pistor. *observ.* 47. Barbosa. *ad d. l.* 1. *part.* 4. *n.* 249. *ff. sol. matr.* Fontanell. *de pact. antenupt. claus.* 5. *gl.* 7. *n.* 21. *& seqq.* Carpzov. *part.* 2. *const.* 42. *defin.* 16. Zoes. *ad d. tit. de jur. dot.* *n.* 17. Perez. *ad eund. n.* 16. Busius. *ad l.* 5. §. 2. *n.* 7. *eod. tit.*

Scien-

Scientia autem & calliditas tutoris ex eo elucescit, si ampliorem 36
dotem constituerit, quam comprehensum erat pacto divisorio,
vel inventario publicè à tutore de rebus pupillaribus facto. *text. in l. fin. C. arbitr. tutel.* Si notitiam habuerit testamenti patris, 37
in quo continebatur id, quod pupillæ à patre relictum erat. Hect. Capyc. Latro *decis. Neap.* 38. *n.* 16. *& seqq.* Si curator datus 38
fuerit puellæ, quæ patris hæres sub beneficio inventarii erat: melius enim ipse prospicere, atque maturius de eo cogitare debuerat, quod de viribus hæreditatis dubitatum fuerit. Ita judicatum referunt Charondas. *liv.* 7. *resp.* 26. Maynard. *lib.* 4. *decis.* 15. *n.* 2. Extra has, similesque circumstantias, si tutor constituat majorem dotem, quam postea propter emergentia debita, quæ latebant, ex rebus pupillaribus præstare possit, nihil de suo supplere tenebitur, quod non, ut de suo dotem daret, sed cum crederet 39
rationem pupillarem sufficere, promiserit. Sanè si tutor dotans 40
se proprio nomine obligaverit, & pro dote spoponderit: etiam excurrentem summam solvere tenetur, ut quilibet alius dotans extraneus. *d. §. qui cum. vers. præterea & illud.* Borgn. Cavalc. *part.* 1. *decis.* 34. *n.* 7. *& seqq.* De Lommeau *en sa jurisp. Franc. liv.* 2. *art.* 333. *& seqq. vers. la seconde.* D'Espeisses. *d. tit. du dot. sect.* 2. *n.* 2. *vers. Comme aussi.*

Promissam dotem uterque conjux reipsa inferre tenetur, explo- 41
ditur enim popularis ea vulgi nænia. *Met een man machmen loven, maer met een bruyt moetmen geven*, quasi satis sit, cum viris, seu sponsis promitti. Itaque si à marito promissa dos, non numerata probetur, eandem maritus, ejusve hæres, una cum usuris hæreditati inferre tenetur, vel patri ut uxor tantundem ex bonis communibus præcipiat. Peck. *de testam. conjug. lib.* 2. *cap.* 4. *n* 3. Neostad. *de pact. antenupt. observ.* 11. Grot. *Isag. d. pact.* 12 *n.* 13. Kuyck. *ad Cravett. consil.* 816. Groenew. *ad Auth. sed quæ. C. de pact. conv.* Transisulani *part.* 2. *tit.* 2. *art.* 7. Omlandi. *lib.* 3. *§.* 3. Tilenses. *tit.* 5. *art.* 24. Hæ usu- 42
ræ, nisi ad certum diem dos promissa sit, ex ipso nuptiarum die deben-

debentur: ex eo enim die mora contracta intelligitur, quo onera matrimonii incipiunt: quamvis ergo usuræ in stipulatum deductæ non sint, veniunt tamen in consequentiam, ibi namque dotem, aut dotis fructus, esse necesse est, ubi sunt onera matrimonii. *l. ult. §. præterea. C. de jur. dot.* Castill. Sotomaj. *tom.* 8. *quotid. Controv. de Aliment. cap.* 50. *n.* 15. *& seqq.* Cabedo. *part.* 1. *decis.* 123. Jo: Bapt. Staiban. *de Interesse. lib.* 2. *tit.* 3. *n.* 1. *& seqq.* Franc Merlin. *controv. for. cap.* 28. *n.* 2. *& seqq.* Fontanell. *d. tract. claus.* 6. *gl.* 2. *part.* 6. *n.* 9. *& seqq.* Cancer. *lib.* 1. *var. resol. cap.* 9. *n.* 160. Giurba. *d. cap.* 3. *gl.* 5. *n.* 14. *& seqq.* Carpzov. *part.* 3. *const.* 23. *def.* 4. *n.* 4. Mev. *ad jus Lub. part.* 1. *tit.* 5. *art.* 1. *n.* 11. Faber *in Cod. lib.* 5. *tit.* 6. *def* 6.
43 (*sui oblitus ad tit. C. de jur. dot def.* 42.) Idemque & in patre uxoris, vel aliis, qui non ex liberalitate, sed necessitate dotem debent, observatur. Cancer. *d. n.* 160 Giurba *d. loc. n.* 23.
44 Mev. *d. n.* 11. Extraneum autem dotis promissorem, non ipse initialis dies, sed biennium post eum in mora constituit. *d. §. præterea.*: Non tamen illud impedimento est, quominus promissor intra biennium ad solutionem dotis interpellari possit, ut post eam moram usuræ currere incipiant. Caldas. *de Empt. cap.* 28. *n.* 48. Barbosa. *ad l. divisione* 5. *ff. sol. matrim. n.* 41. Giur-
45 ba *d. loc. n.* 24. Cancer. *d. n.* 160. *vers. Hæc tamen.* Hodie extraneum à solo tempore litis contestatæ usuris gravandum esse,
46 videtur velle Groenewegius *ad d. § præterea.* Quanquam, si rem ipsam intueri placeat, non videbatur diversum jus inter ipsos contrahentes, parentesve eorum, & inter extraneos dotis promissores, circa usurarum præstationem, esse constituendum. Quid enim interest, an, pollicitatione lautioris dotis, pater mihi filiam suam obtrudat, an verò frater, vel alius remotioris cognationis, sororem, vel cognatam suam? Cum undelibet promittatur, pro oneribus matrimonii, mariti lucro, fructus totius dotis esse debeant. *l.* 20. *C. de jur. dot.* Quin imo maritus emptori, promissor vendiori assimilatur, onera enim quæ sustinet, subeunt lo-

cum

cum pretii. *l.* 8. §. 12. *ff. quib. mod. pig. l.* 16. *ff. de jur. dot. l.* 18. *ff. de oblig. & act.* Itaque cum maritus ilico post nuptias pretium quasi solvit, omnino adigendus erit promissor, ut rem promissam, & quasi venditam solvat, unà cum usuris. *arg. l. curabit Præses.* 5. *Cod. de A. E.* Barbos. *d. loc. n.* 12. Giurba *d. loc. n.* 13. 14. Castill. Sotomaj. *lib.* 3. *controv. quotid. cap.* 23. *n.* 43. *& lib.* 8. *d. cap.* 50. *n.* 4. Ergo ex natura, æquitateque negotii debentur hæ usuræ, in locum fructuum, quos vicissim debitor ex re creditoris, promissâ sc. dote, percipit. Molina *de just. & jure, disp.* 321. Faber *ad C. lib.* 4. *tit.* 24. *def.* 8. Grivell. *decis.* 149. *in fin.* Ant. de Amato. *part.* 1. *var. resol. jur. cap.* 43. *n.* 1. *& seqq.* Staiban. *d. tit.* 3. *n.* 31. *& seqq.* Fontanell. *d. part.* 6. *n.* 4. Et secundum hanc sententiam judicatum profert. D'Espeisses *part.* 1. *du dot. sect.* 2. *n.* 19. Tilenses quoque indistinctè loquuntur. *Stadr. tit.* 5. *art.* 9. *Men is schuldigh van penningen ten Huwelijck belooft, behoorlijcken interest te betalen van den dach af dat die mosten sijn uytgekeert.* Id est. *Usuræ dotis debentur ex eo die, quo præstari ea debuit.* Evidens autem est, si non in diem promissa sit, præsenti, matrimonii sc., die dotem deberi. *l.* 41. *ff. de V. O. l.* 14. *ff. de R. I. l.* 213. *ff. de V. S.* Ita quoque hodie, in restituenda dote, non, uti apud Ro- 48
manos, annus expectatur. *l. un. C. de rei ux. act.* nec annua, bima, trima dies, sed pecuniæ solvendæ vix hodie mora datur, statimque restituuntur quæ extant, siquidem maritus mox dare possit: quanquam plerisque in locis rebus supputandis, transigendis, & familiæ ercifcundæ, seu communi conjugali dividundo sex septimanæ conceduntur. Zypæus *d. tit. de jur. dot. vers. soluto.* Perez. *ad tit. C. de rei uxor. act. in fin.* Groenew. *ad d. tit.* §. 7. *n.* 3. *& in not. ad Grotii Isag. lib.* 2. *part.* 12. *lit. a* Zutphanienses. *Stadr. tit.* 7. *art.* 4. *& Lantr. tit.* 3. *art.* 5. Bergizomii *tit.* 14. *art.* 38. Antverpienses *tit.* 41. *art.* 48. *& seqq.* Brugenses *tit.* 4. *art.* 9. Iperenses *rub.* 10. *art.* 17. Si tamen 49
gener promissam dotem post longius tempus acceperit, absque

ulla protestatione de usuris, quæ ex mora debebantur, sublatâ per solutionem obligatione sortis, non supererit usurarum petitio: hæc enim accepta solutio purgat moram præcedentem, &, quod consequens est, commissam præcedentis moræ pœnam diluit. *arg. l. ult. ff. de eo quod cert. loc. l.* 38. *vers. dicebam. ff. de minor. l.* 6. §. *ult. & l.* 7. *ff. de leg. commiss.* Menoch. *lib.* 3. *præsumpt.* 25. *n.* 13. Gomez. *ad d. l.* 50. *Taur. n.* 30. *in fin.* Roder. *de ann. redit. lib.* 3. *quæst.* 7. *n.* 69. Gratian. *discept. forens. tom.* 3. *cap.* 455. *n.* 26. *& seqq.* Fontanell. *d. part.* 6. *n.* 42. *& seqq.* Cancer. *d. cap.* 9. *n.* 163. Staiban. *d. tit.* 3. *quæst.* 3. *per tot.* Merlin. *d. controv.* 28. *n.* 10. *& seqq.* Amato. *d. resol.* 43. *n.* 45. *& seqq.* Carpzov. *part.* 2. *const.* 20. *defin.* 12.

50 Dotis quoque usuras, quæ marito solvi debuerunt, si earum petitio nulla facta sit, quasi tacitè remissas, donatasque, mariti hæredes petere non posse, communius placuit. *per. l.* 54. *ff. de donat. int. vir. & ux.* Cacheran. *decis.* 132. *n.* 10. Menoch. *d. præsumpt.* 25. *n.* 6. Chassan. *ad cons. Burg. tit. des droicts des gens mar.* §. 23. *n.* 17. *vers. limita quarto.* Roderic. *d. quæst.* 7. *n.* 66. Gomez. *d. n.* 30. Acac. de Ripol. *var. resol. cap.* 9. *n.* 74. Fachin. 3. *controv.* 103. Faber. *in Cod. lib.* 5. *tit.* 7. *def.* 55. *& tit.* 11. *def.* 4. Cancer. *d. cap.* 9. *n.* 161. Staiban. *d. tit.* 3. *quæst.* 2. *n.* 9. Fontanell. *d. part.* 6. *n.* 25. *& seqq.* Carpzov. *part.* 2. *const.* 42. *defin.* 22. Mev. *d. tract. part.* 2. *art.* 12. *n.* 190. *& quos longâ serie recenset* Amato. *d. resol.* 43. *n.* 24.

51 Verum, præterquam quod super intellectu istius legis inter Doctores non conveniat, de quo fusè disputat Castill. Sotomaj. *d.*
52 *cap.* 50. *n.* 41. *& seqq.* Vix dubito, quin moribus nostris, usuræ dotis, quas vir non exegit, ab ejus hæredibus peti possint Groeneweg. *ad d. l.* 54. *ff. de donat. int. vir. & uxor.*

53 Ad exemplum non solutæ dotis unà cum usuris inferendæ, & illud dicendum est. Si alteruter conjux fundum patrimonialem, quem ante hypothecæ ad duo florenorum millia supposuerat, in dotem contulerit, onus autem illud reticuerit, ac suppresserit, debere

bere eum, soluto matrimonio, hoc onus de suo luere, alterique conjugi, ejusve hæredi refundere usuras intermedias. Etenim, simpliciter in dotem dando, intelligitur fundum oneribus liberum conferre. Neostad. *decis. Cur.* 5. *vers. ten tweden. & decis. supr. Cur.* 120. *& de pact. antenupt. obs.* 14. Grot. *lib.* 2. *Isag. part.* 12. §. *de echtgenoten.* Goris. *in advers. tract.* 1. *cap.* 4. *n.* 17. *in not.* Monter. à Cueva. *decis.* 13. *n.* 6. *& seqq.* Ruremundenses *part.* 1. *tit.* 2. §. 1. *n.* 29. Transisulani *part.* 2. *tit.* 2. *art.* 7. Omlandi *lib.* 3. *art.* 3. Tilenses *tit.* 5. *art.* 25. Ita judicavit Curia nostra *in der sake van Vrouwe Maria van Winsen van Heemstede, weduwe wijlen den Heere van Muyswinckel &* [a] *Rendante. Contra De erfgenamen van den selven Heer van Muyswinckel Debattanten. Op den* 20 *Decemb.* 1667.
Similiter, fundum in dotem contulit, utens his verbis, *ad se pertinentem*, cum tantum certa fundi portio ad eum spectaret, judicatum est, solidum fundum præstandum esse, vel alias omne id quod alterius conjugis interest, integrum fundum collatum non esse. Charond. *liv.* 2. *resp.* 40. Papon. *lib.* 11. *arrest. tit.* 4. *in princ.* 54

De eo quæsitum est. Dos in diem certum promissa est, puta 55
post annum & diem à contractis nuptiis, pactus est sponsus, ut, præmortuâ uxore, certam dotis portionem lucraretur, moritur uxor ante diei adventum, cedetne marito dotis lucrum? Id non infimi nominis Doctoribus negandum visum fuit, quasi obligatio dotis una cum causa sua perierit, cum dies, vivâ uxore, nondum venerit. *l.* 42. *ff. de V. O.* §. *omnis.* 3. *Inst. eod.*: & perinde habeatur, an obligatio extincta sit, an vero nascitura eo die, qui numquam elucescet. Rol. à Valle. *de lucr. dot. quæst.* 11. Boër. *decis.* 22. *n.* 40. Thoming. *decis.* 29. Mihi contra videtur. 56
Cum enim, die adveniente, maritus ex sua persona non habeat actionem? Promissio namque sola obligationem producit, dies solutionem tantum differt. *l.* 44. §. 1. *ff. de O. & A. l.* 41. *l.* 46. *ff. de V. O. d.* §. *omnis Inst. eod. l.* 213. *ff. de V. S.* Nec rectè dicebatur, peremptam esse dotis causam, cum ea & in præteritum

confiderari poffit: non item, obligationem dotis in eum cafum deveniffe, à quo initium capere nequiverit, etenim non dotis conftitutionem, fed ejus folutionem prævertit matrimonii finis. *l.* 20. *l.* 46. *ff. de jur. dot.* Pellicia *ad confuet. Averfan. cap.* 4. *n.* 198. Ferron. *ad Burdeg. tit. de dote.* 4. §. 6. *vers. Tertio.* Rauchbar. *part.* 1. *quæft. jur. Saxon.* 31. Heig. *part.* 1. *quæft.* 33. *n.* 6. Moller. *ad conft. Saxon. part.* 3. *conft.* 16. *n.* 9. Scheplitz. *ad cons. Brandeb. part.* 3. *tit.* 2. §. 1. *n.* 13. Carpzov. *part.* 3. *conft.* 23. *def.* 3. *n.* 8. *& feqq. & defin.* 5. *idem decis. illuftr.* 16. *n.* 6. Mev. *d. art.* 12. *n.* 40. *& feqq.* Zoes *ad D. tit de pact. dotal. n.* 6. Hancque fententiam ftatutis fuis fanciverunt Franconates Flandri. *deelboeck van den landen van Vrijen, art.* 68. Il-
57 lud verum eft, fi dos ab initio, vel vivente uxore promiffa non fit, eâ defunctâ nullam genero dotem deberi: alimenta enim habuit uxor, officio & affectu mariti: dos autem tantummodo conftituitur ante nuptias, vel ftante matrimonio, nequaquam vero poft hujus diffolutionem. *l.* 19. *C. de donat. ant. nupt.* datur fiquidem ea propter nuptias, & matrimonii causâ. *l.* 3. *ff. de jur. dot.* Difruptis itaque nuptiis, nunquam reftaurandis, & finitis oneribus, fruftra dos defiderabitur. Ita judicatum effe tradit Carp-
58 zov. *d. decis.* 16. *n.* 7. *& feqq.* Alia ratio eft dotis in diem incertum promiffæ, puta poft mortem dotantis, quo cafu fi mulierem ante promittentem mori contigerit, nulla marito, dotis nomine,
59 competit actio. *l. cum pater.* 11. *ff. de pact. dotal.* Quanquam enim, fi ita promifero, *cum moriar*, ilico videtur orta obligatio, adeo ut condictione indebiti repeti non poffit id, quod interim folutum eft. *l. nam fi* 17. *ff. de cond. indeb.*: id tamen hactenus obtinere placuit, quando actus pendet à judicio & voluntate duorum, promiffioque facta eft ex antecedenti caufa obligatoria, mortis tempore adjecto, non ad fufpendendam obligationem, fed ad indulgendam folutionis dilationem. Verum cum, uti noftro cafu, ex mera liberalitate promiffio facta eft, & ex unius folius donantis voluntate pendet, efficax obligatio conftituta

ta dici nequit, priusquam conditionis implementum anteceſſerit. Etenim dies incertus pro conditione habetur, non modo in 60
ultimis voluntatibus. *l.* 1. §. 2. *l.* 75. *ff. de condit. & demonſtr.* ſed & in contractibus. *l. ſtipulatio.* 38. §. *inter. ff. de V. O. l. qui promiſit.* 48. *l. ſufficit.* 56. *in fin. ff. de condict. indeb.* in qua lege 56 pro *condictionis*, legendum eſſe *conditionis* rectè poſt Accurſium obſervârunt Ant. Faber. *in Rational. ad eand. leg.* Dion. Godefred. *ad d. l.* 75. Quod autem generaliter traditur, 61
ex conditionali ſtipulatione ſpem tranſmitti in hæredem. §. 4. *Inſt. de V. O.* §. 24. *Inſt. de inutil. ſtipul. l.* 57. *ff. de V. O.* id de negotiis, quæ non tam perſonam, quam rem familiarem reſpiciunt, exaudiendum eſt. Aſt ubi, in apponenda conditione, certa perſona ſolummodo ſpectata eſt, cujus gratia facta eſt promiſſio, adeoque cum cauſa promittendi ſola eſt benevolentia, evidens eſt promiſſionem conditionalem ante exiſtentiam conditionis non obligare. *l. cedere.* 213. *ff. de V. S. & ibi gl. & DD.* Vinnius. *ad d.* §. 4. *Inſt. de V. O.* Itaque fallet ea regula quando ip- 62
ſa conditio defecit. *l. pecuniam.* 36. *ff. ſi cert. petat. l. hæc venditio.* 7. *ff. de contrah. empt. l. neceſſario.* 8. *ff. de peric. & comm. rei vend.* Promiſſioni autem dotis hanc conditionem infuiſſe, ſi 63
mulier promittentem vita ſuperârit, argumento eſt, quod dos promitti non poſſit in tempus ſoluti matrimonii. *l. Julianus* 20. *ff. de jur. dot. & ibi gl.* Heig. *d. quæſt.* 33. *n.* 39. 40. Franc. Niger Cyriac. *lib.* 1. *controv. forenſ. cap.* 88. *n.* 2. Carpzov. *tract. de jur. Fœmin. decad.* 5. *poſit.* 1. *n.* 38. *& ſeqq.* Mev. *d. art.* 12. *n.* 50. Clariſſ. quondam Præceptor noſter D. Ant. Matthæus *tract. de matrim. diſp.* 7. *de jure dot. theſ.* 13. Cum ergo 94
ſine matrimonio nec eſſe dos, nec incipere poſſit, *l.* 3. *ff. de jur. dot.* Fruſtra maritus partem ejus deſiderabit, cujus obligatio cœpit. Cum hac ſententia transeunt Hart. Piſtoris. *part.* 3. *quæſt.* 8. *per tot.* Heig. *d. quæſt.* 33. *n.* 13. *& ſeqq.* Berlich. *part.* 3. *concl.* 19. *n.* 32. *& ſeqq.* Carpzov. *d. conſt.* 23. *def.* 6. Mev. *d. art.* 12. *n.* 47. *& ſeqq.*

65 Ad solutionem autem dotis non videtur sufficere sola mariti apocha, quâ brevi post consummatum matrimonium confessus erat, se ab uxore promissam dotem accepisse, si forte mortuo marito ejus hæredes, super dote, litem inficialem moverint: sapit enim talis apocha gratificationem inter conjuges prohibitam, accepto latâ pecuniâ, præsertim si in præjudicium creditorum ea apocha proferatur. Groenew. *ad tit. C. de dot. caut. non numer n.* 2. Zypæus. *in notit. jur. Belg. tit. de Except. vers. similiter.* D. Rodenb. *de jur. conjug. tit.* 2. *cap.* 4. *de gratif. potest. n.* 23. Christin. *vol* 6. *decis.* 51. *n.* 2. 3. Mev. *ad jus Lubec. part.* 3. *tit.* 1. *art.* 9. *n.* 19. Zans. *de divis. bonor. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 14. Imbert. *in Enchir. verb. Matrimonium. sub fin.* Coquille *sur Nivernois. tit. des gens mariez. art.* 19. *& en ses quest. & respons.*
66 *chap.* 120. Nisi ea confessio juvetur aliis adminiculis. Kuyck. *ad Cravett. consil.* 150. Faber. *in Cod. ad tit. de dot. caut. non numer. def.* 1. Jo: Franc. Andreol. *controv. forens.* 186. Carpzov. *part.* 1. *const.* 28. *defin.* 80. *& part.* 1. *decis. illust.* 59. *n.* 4.
67 *& seqq.* Cautius ergo aget uxor, ut coram Notario testibusque adnumeret promissam summam; vel apocham à parentibus vel propinquis mariti subsignari curet. Bacquet. *des droicts de justic. chap.* 15. *n.* 65. D'Espeisses. *part.* 1. *tit. du dot. sect.* 3. *n.* 65.

68 Soluta præsumitur dos si decennium à nuptiis effluxerit. *Auth. quod locum. C. de dot. caut. non numer. Novell* 100. Non enim verosimile est, maritum tandiu tacuisse, atque petitionem dotis distulisse, dum interim matrimonii onera sustinuit. Mornac. *ad l.* 14. *in fin. Cod. de non numer. pecun. & in obs. posth. ad l.* 3. *C. de dot. caut. non numer.* Papon. *lib.* 15. *tit.* 4 *de dotib. in append. arr.* 10. Louet. *en son recueil. litt. D. arr.* 19. Tronçon. *sur Paris. art.* 247. *vers. si par contract.* Mean. *ad jus Leod.*
69 *part.* 2. *observ.* 219 *n.* 7. Omlandi. *lib.* 3. §. 4. Old-ampten. *lib.* 4. *art.* 26. Cumque ille decennii lapsus præsumptionem solam solutæ dotis adversus maritum inducat, non malè dicemus,

cemus,

cemus, contrariâ probatione, eandem præsumptionem elidi posses. itaque audiendum esse maritum, si probationem in se suscipere paratus sit, dotem solutam non fuisse. Petr. Barbosa. *ad l.* 1. *part.* 6. *n.* 36. *ff. solut. matrim.* Aug. Barbosa. *ad d. Auth. quod locum.* Papon. *d. arr.* 10. Verùm 70
habebitne ea, post decennium, solutionis præsumptio etiam locum pro marito, si non probet numeratum esse, quod ad subsidium matrimonii ab eo, ejusve patre, vel amicis promissum est? Pro aiente sententia apud Hollandos judicatum esse refert Neostad. *de pact. anten. obs.* 11. De eo tamen non sine ratione 71
addubitaveris: non enim sicuti marito objici potest, dilata, tanto tempore, dotis petitio, ita & uxori, quæ stante matrimonio, dotis nomine, nec adversus maritum, propter summam ejus in res dotales potestatem, experiri, nec etiam adversus patrem, amicosve ejus in judicio consistere potest. Quî ergo taciturnitatis culpam luet uxor? Vel ei non valenti agere mora temporis obstabit? Quin imò aliter constituto jure in manu mariti esset, non tantùm uxorem dimidio fructuum promissæ dotis intervertere, si cum patre, vel aliis dotis promissoribus colludendo, petitionem ejus decennium distulerit, sed & dimidio quantitatis ipsius dotis, quam, quasi illatam, in erciscunda familia præcipere contendet. Quapropter, ni solutio probetur, uxoris de dote actionem adversus maritum, ejusve amicos perpetuam esse, vero propius dicemus cum Brodello. *sur Louet. d. arr.* 19. *in fin.* Groenew. *ad d. Auth. quod locum. n.* 2.

Ex eodem juris fundamento & illud affirmandum est, diutinæ 72
possessionis exceptionem non perimere vindicationem uxorii fundi, à marito divenditi. Puta, Mevius prædium Seiæ conjugis venundedit: ex ea die emptor illud ipsum apprehendit, ac possedit trientem seculi, (apud nos præsciptioni præstitutum) donec auctoris sui cum uxore connubium morte diremptum est. Eo igitur soluto vidua mulier in rem agit, & persequitur emptorem dotalis fundi: qui causam tuetur præscriptione tanti temporis,

ris, sed quoniam usucapio adversus mulierem non procedit, quæ in aliena potestate dum esset, judicio experiri nequiverit, rectius dicemus in rem actionem ab ea institutam trientis seculi silentii exceptione non summoveri. Zypæus *d. tit. de jur. dot. vers. fundum.* Mev. *ad jus Lubec. lib.* 1. *tit.* 5. *art.* 2. *n.* 12. Charond. *en ses pandect. liv.* 2. *chap.* 5. *p. m.* 186. *vers. si le dot. & pag.* 199. *à pr. & sur Paris. art.* 223. *p. m.* 169. *& en ses observ. verb. du dot. vers. si le dot. p. m.* 55. Choppin. *ad ll. And. lib.* 3. *tit.* 5. *de præscript. n.* 3. Coquille *sur Nivernois. tit. des droicts de gens. mar. art.* 4. Automne *en sa confer. ad l.* 30. *C. de jur.*
73 *dot. & sur les coust. de Bourdeaux, art.* 53. *Faut. noter.* Id quod apud nos tum demum obtineat, cum maritus improlis fundum uxorium vendidit, qui enim ex uxore prolem suscepit, insciâ vel invitâ uxore, ejus prædia alienat validè. *Statut. Civic. rub.* 22. *art.* 2.

74 Per dotis constitutionem contingit immobilium rerum alienatio, & dominii translatio in donatarium, absque solenni mancipatione; tanta enim pactis dotalibus attributa est auctoritas, ut vim habeant actorum judicialium, modo à convocatis utrimque amicis, vel propinquis, majoreve eorum numero, subsignata fuerint. Groenew. *in not. ad Grot. lib.* 2. *Isag. part.* 11. *n.* 4. *Idem de ll. Abrog. ad tit. Inst. de obligat. ex consens. n.* 4. Zypæus *in notit. jur. Belg. tit. d. R. V. à princ.* Goris *in adversar. tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 5. *n.* 11. *& tract.* 4. §. 21. *n.* 3. *& in supplem. ad Fred. Sandii. tract. de effestuc. cap.* 2. *n.* 34. D. Ant. Matthæus *parœm.* 4. *n.* 13. *& parœm.* 5. *n.* 11. Ruremundenses *part.* 1. *tit.* 2. §. 1. *n.* 12. Transisulani *part.* 2. *tit.* 2. *art.* 1. *& tit.* 8. *art.* 3. Velavi *tit.* 27. *art.* 1. Zutphanienses *Lantr. tit.* 18. *art.* 9. Daventrienses *part.* 3. *tit.* 2. *art.* 1. *& tit.* 10. *art.* 1. Medioburgenses *tit. van Contracten. art.* 1. Tilenses *tit.* 5. *art.* 2. Franconates Flandri. *Deelboeck van den lande van Vryen, art.* 67. Brugenses *tit.* 3. *art.* 3. Gandenses *part.* 2. *rub.* 12. *art.* 3. Cortracenses *part.* 3. *rub.* 12. *art.* 3. Bellenses
rub

rub. 5. *van contracten &c. art.* 1. Verum cum inter conjunctas 75
personas facilè fraus strui possit, tum demum alii, transferendi dominii, & juris realis vim, sponsalitiis tabulis indunt, cum coram, Scabinis, vel saltem coram Notario & testibus confectæ sunt. Antverpienses *tit.* 57. *art.* 3. Bruxellenses *art.* 251.
Iperenses isti fini præsentiam quinque scabinorum requirunt 76
Cost. van Ypre. rub. 7. *van contract en compromis van huwelick. art.* 1. Securius, ut in tertii dispendium produci, vel jus 77
reale operari possint, desiderabimus, ut actis publicis ea pacta professa sint. Ruremundenses *part.* 3. *tit.* 1. *§.* 1. *n.* 10. 11. Casletenses. *cost. des Stede en casselrye van Cassele. art.* 52. Cui consonat ordinatio nostras decisoria, *anni* 1659. *art.* 22. Illudque nuperrimis statutis Montfortensibus inseruerunt Illustrissimi hujus Provinciæ ordines. *rub.* 5. *art.* 6. Itaque rectè Rure- 78
mundensibus placuit, usquedum ea professio facta fuerit potiorem esse ejus causam, qui interim cum patre contrahendo jus reale vel hypothecæ judicialiter consecutus est: Nisi donatarius filius propalam fuerit in possessione & fruitione fundi, vel tertius ille sciverit, fundum in dotem datum esse, nihilominusque cum patre contrahere præsumpserit. *d. tit.* 1. *§.* 1. *n.* 12. Si enim 79
universim dicamus, per dotis constitutionem, etiam actis publicis improfessam, transferri dominium, vide exitus absurditatem. Pater fundi emptor, & verus actis judicialibus professus dominus, fundum privatis pactis filio in dotem dedit, mansit autem, in oculis omnium, possessor ejusdem fundi: posteà pecuniâ egens compellat benè nummatum vicinum, ut sibi fœnori det non modicam pecuniæ summam, in cujus securitatem fundum hypothecæ supponere offert. Vicinus acta publica perlustrans, reperit non tantum vicinum suum verum esse dominum, sed & nihil prædiarii oneris in acta publica regestum esse. Itaque datis fœnori nummis, pro iisdem fundus ille publicè spondet. Ubi debitor solutionem annui reditus diutius distulit, hypothecam auctoritate judicis proscribit creditor. Denunciatur

tur publicè iis quorum intereſt, ut ſi quid juris in fundo, vel ad fundum iſtum prætendant, auctioni intercedant. Se manifeſtat filius, dominiumque fundi ex pactis dotalibus ſibi aſſerit. Nonne vehementer iniquum foret, creditorem, qui, fide actorum publicorum fretus, pecuniam numeravit, juſque reale ſuper fundo conſecutus eſt, hâc tabularum nuptialium inopinatâ exhibitione, jure ſuo ſummoveri? Aliter enim ſi dicamus, in manu parentum, liberorumque eſſet, privatis iſtis pactis ſimulatè in anterius tempus, fraudandorum creditorum causâ, conjectis, confectiſque eo tempore quo parentes labi facultatibus cœperant, ejusmodi rerum emptores, vel creditores illudere: tam facile enim erit fateri promiſſionem præcedentem, quam fraudare velle. *arg. l.* 5. *§.* 5. *ff. de reb. eor.* Itaque nondum pœnitet me
80 opinionis meæ *in comment ad art.* 22. *n.* 27. doctrinam illam de dominio dotalium rerum immobilium per tabulas nuptiales ipſo jure, abſque ſolenni mancipatione in ſponſum, ſponſamque transferendo, inter ſolos contrahentes, cohæredeſve locum ſibi vindicare, nec in tertii præjudicium ante operari, quam cum
81 in acta publica eæ tabulæ regeſtæ fuerint. Feudi quoque in dotem dati utile dominium non tranſit validè in donatarium, niſi poſtquam pactis dotalibus acceſſerit conſenſus Dominicus. Pellicia *ad conſuet. Averſan. cap.* 3. *n.* 163. *& ſeqq.* Giurba *ad Meſſan. cap.* 1. *gl.* 2. *n.* 78. Bruxellenſes *d. art.* 251. Franconates Flandri *d. art.* 67. Gandenſes *d. art.* 3. Cortracenſes
82 *d. art.* 3. Confer Goris *in adverſar. tract.* 1. *cap.* 3. Conſenſus autem ille etiam ex poſt facto impetrari poteſt. Coſm. Nepita *ad conſuet. Catinens. tit.* 4. *n.* 23. 24. Peck. *de amortiz. bon. cap.* 27. Schrader. *de Feud. part.* 8. *cap.* 4. *n.* 3. Car. de
83 Mean. *ad jus Leod. part.* 1. *obſ.* 29. *n.* 4. Non tantum á ſocero, ſed & ab ipſo genero, vel alio eorum nomine & mandato: etenim cum ex ipſo nuptiali inſtrumento de voluntate dotantis ſoceri conſtat, nihil aliud reſtat quam impetrandus Domini feudi aſſenſus, nec intereſt per quem preces offerantur. *l. Univerſis.* 6.

C.

C. de precib. Imp. offerend. Nicol. Everhard. *consil.* 8. *præsertim n.* 21. Carpzov. *part.* 2. *const.* 43. *def.* 6. Kuyck *ad Cravett. consil.* 913. Confer Alexand. *lib.* 2. *consil.* 157. *n.* 9. Choppin. *de morib. Paris. lib.* 2. *tit.* 3 *n.* 15. Apud Leodienses 84
tamen approbatio pactorum dotalium contentiosæ jurisdictionis est, non aliàs enim inibi ea pacta approbantur, quam cum cognitione causæ, præviâ citatione partis, eorumque omnium quorum interest, quin imò & testium, coram quibus negotium gestum est. Mean. *d part.* 1. *obs.* 67. *n.* 5. 6. *& part.* 4. *obs.* 414. *n.* 19. A quo non abeunt Tholosates circà donationes insinuandas. Maynard. *lib.* 6 *decis.* 65. Crebrius tamen placuit, ut & 85
in iis insinuandis sufficiat, vel ad petitionem donatoris, vel donatarii, vel per procuratorem, ab altero eorum in id constitutum, in acta publica eas regestas esse. *Novell.* 127. *cap.* 2. Charond. *liv.* 3. *resp.* 27. Delommeau *en sa jurispr. Franc. liv.* 2. *art.* 341. Moller. *lib.* 1. *semestr. cap.* 5. *n.* 11. Carpzov. *d. defin.* 6. *n.* 7. Illud privilegium matrimonii favor meruit, ut 86
per pacta dotalia etiam absenti sponsæ jus quæratur. *l. fin. C. de jur. dot. l. un.* §. *accedit. C. de rei uxor. act.* Donatio in iis facta viribus subsistat, utut non acceptata: cum enim talis donatio accessio ad matrimonium est, ejus intuitu facta, certè aliam acceptationem non desiderat, quam ipsam matrimonii consummationem. Louet *en son recueil. lit. D. arr.* 4. *&* 5. *& ibi* Brodeau *in comm.* Tronçon *sur les coust. de Paris. art.* 284. *verb. doit estre insinuëe, à la fin.* Kuyck *ad Cravett. cons.* 406.

Antequam penitius paulò pactorum dotalium negotio nos accingamus, lubet in antecessum resumere filum, quod præcedenti tractatu circà bonorum communionem duximus, atque investigare, quid, quove effectu, eatenus pactis dotalibus immutari possit.

Communio hæc non tantum purè, sed & sub conditione 87
pactis dotalibus contrahi potest. Fac enim sponsam opulentam, cum sponso matrimonium, & cum eo universorum bonorum societatem contraxisse, eâ tamen lege, ut ipse mille libras in so-

cietatem conferre teneretur, hoc casu, deficiente conditione, deficiet ipsa communio. Maynard. *lib.* 2. *decis. Tholos.* 72. D. Ant. Matthæus *d. parœm.* 2. *n.* 67. *fere in fin.* Effectum hu-
88 jus rei satis insignem exhibet idem Maynardus. Maritus isti legi non satisfaciens, resque suas malè administrans, tantum æris alieni conflavit, cui ipse solvendo non erat. Creditores solutionem urgentes, non tantum bona mariti propria, sed & semissem bonorum uxoriorum in judicatum capiunt: intercedit uxor, maritum non paruisse legi, seu conditioni bonorum communioni adjectæ, & cujus contemplatione ista societas potissimum inita fuisset, cum mille istæ libræ numquam ab eo fuerint collatæ. Creditores ut eò melius hanc uxoris defensionem diluerent, promissam summam repræsentant, quo in locum mariti succedere, & commodo communionis frui possint, perinde ac si maritus, ab initio matrimonii, conditioni antenuptiali satisfecisset, quod jure sibi licere asserunt, cum nulla conditioni satisfaciendæ dies præfinita, verum ea in incerto relicta fuerit. Cui uxor respondet, non esse jam isti oblationi locum, marito interim facultatibus lapso, & siquidem ille stipulatas mille libras, justo tempore intulisset, auctiores fuisse utriusque facultates, nec ad eam calamitatem res rediisse, ideòque creditores contentos esse debere, propriis mariti bonis. Quæ uxoris defensio à Curiâ Tholosanâ admissa, atque creditorum oblatio rejecta fuit. Idem ante do-
89 cuerat Ferronus *ad consuet. Burdegal. tit.* 4. *de dote.* §. 6. *vers. Titius cum Tulliola.* Placet tamen Conchylii temperamentum, ut si apertè constiterit, sponsam non aliàs communionem bonorum amplexam fuisse, quam sub fiducia & conditione inferendæ promissæ summæ, promissor autem non habuerit præstandi potentiam, obtineat præfatum illud Tholosanum judicatum: in omnibus enim bonæ fidei judiciis doli exceptio inest, maximè in hoc contractu. *l. sed & si.* 21. *ff. solut. matrim. l. tenetur.* 6. §. *ult. ff. de A. E.* Si verò dolus, & omnis fraus abfuerit, atque promissor putaverit, se in tantâ re esse, ut promissam summam conferre

ferre possit, rectius pro communione pronunciabimus; cum ea ex consuetudine descendat, etiam omissâ pactione, atque promissio hæc solummodò facta sit adinstar modi, qui actum non suspendit. *l. libertas* 17. §. *hâc scripturâ*. 2. *ff. de manumiss. testam.* Ita vir Doctus *sur les coust. de Nivernois, tit. des droicts des gens. mar. art.* 2. *vers. la question, & en ses quest. & respons. chap.* 64. Quem sequuntur Mornac. *in observ. posth. ad l.* 8. *C. de pact. conv.* Buridan. *sur les coust. de Vermandois. d. tit. des droicts des gens mar. art.* 17. *vers. que s'il.* Exolevit enim 90
apud nos *Auth. sed quæ, C. de pact. conv.* quæ lucrum denegat conjugi, qui promissam dotem non præstitit. Quin imò moribus nostris, pactâ inter futuros conjuges bonorum communione, si alteruter promissam dotem non intulit, nihilominus ea communio obtinet, atque soluto matrimonio ad dotis collationem agitur, eo quo suprà dictum est modo. *n.* 41. *& seqq.* Groeneweg. *ad d. Auth. sed quæ.* Confer Choppin. *de morib. Paris. lib.* 2. *tit.* 2. *n.* 4. Cosm. Nepitam *ad consuet. Catinens. tit.* 3. *de confus. bonor. n.* 45. Quanquam præfata quæstio 91
apud nos vix locum invenire possit, ad repellendos creditores, qui medio tempore crediderunt: quod argumentum executi fuimus ubertim *in comm. ad. Novell. constit. Ultraject. art.* 6. *n.* 38. *& seqq.*

Conveniri quoque potest, ut (ad exemplum Messanensium, 92
& aliorum) non nisi natis liberis bona sint communia: quo casu nullis natis redibunt bona ad eos unde profecta sunt. *arg. l.* 26. §. *cum inter.* 2. *ff. de pact. dotal.* Giurba *decis. regn. Sicil.* 111. *n.* 13. D. Ant. Matthæus *d. n.* 97.

Sicuti apud Romanos (qui contrahendo matrimonium 93
nullam bonorum communionem contrahebant,) integrum conjugibus fuit, pactis dotalibus omnium bonorum societatem inire. *l.* 16. §. *ult. ff. de aliment. & cibar. legat. l.* 17. §. 1. *ff. solut. matrim. l.* 32. §. *si inter. ff. de donat. int. vir. & uxor.* Ita apud nos ècontrà, sponso & sponsæ licet occurrere bonorum communio-

munioni, remque reducere ad normam juris Civilis. Giurba *d. decis.* 111. *n.* 3. *& ad Messan. cap.* 1. *gl.* 8. *n.* 8. Argentr. *ad cons. Brittan. art.* 408. *gl.* 4. *n.* 2. *& art.* 418. *gl.* 1. *n.* 5. Belordeau *ibid. art.* 469. Delommeau *liv.* 2. *de la jurispr. Franc. art.* 511. *& seqq. vers. Premierement.* Tronçon *sur Paris art.* 220. *verb. conquests. vers. l'on a.* Grot. *lib.* 2. *Isag. part.* 12. *vers. want.* Goris *in adversar. tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 27. Transisulani *part.* 2. *tit.* 2. §. 2. Brugenses *d. tit.* 3. *art.* 1. Tilenses
94 *tit.* 5. *art.* 2. Quinimò licitum est mulieri dotem salvam sibi fore stipulari, datâ prætereà eidem optione, quâ post viri mortem bonis conquisitis renunciare, & simul æri alieno maritali semet eximere possit. Grot. *d. part.* 12. *n.* 7. Neostad. *de pact. antenupt. obs.* 9. Coren *consil.* 7. *lit. l.* Groenew. *ad l.* 30. *C. de jur. dot.*
95 *n.* 3. (Quòusque autem hæc pactio creditoribus obstet, disserui
96 plenè *ad d. art.* 6. *n.* 38. *& seqq.*) Quod verò idem Grotius *d. l. n.* 6. negat, conveniri posse, ut conjugum alter sit particeps lucri, immunis damni, id certè non video quî cum priori ejus sententiâ consistere possit: etenim eo ipso quod mulier stipulatur optionem, quâ post viri mortem, vel dote salvâ societati renunciare, vel eandem amplecti possit, stipulata quoque est se lucri participem, damni immunem posse fieri: amplectetur enim societatem ubi res familiaris aucta erit, renunciabit verò eidem, ubi retrorsum abierit: itaque dicta conventio secundum Cassium & Sabinum iniqua non est. *l.* 29. §. 1. *ff. pro soc.* §. 2. *Inst. eod. tit.* Id quod rebus pariter judicatis, & à nostrâ, & à Mechliniensi Curiâ definitum est. Radelant. *decis.* 84. *quæst.* 1. Christin. *vol.* 3. *decis.* 51. *n.* 2. *& ad ll. Mechlin. tit.* 16. *art.* 22. *in addit. vers. sed. quæri potest.* Chassan. *ad cons. Burgund. rub.* 4. §. 9. *n.* 1. *& seqq.* Giurba *ad Messan. cap.* 9. *gl.* 6. *n.* 30. Carpzov. *part.* 2. *const.* 30. *def.* 39. Confer Vinn. *in comm. ad d.* §. 2. *Inst.* Diod. Tulden. *ad eund. tit. cap.* 6.

97 Diximus ipsâ matrimonii celebratione feuda non communicari, nec ei qui feudi expers est æstimationem ejus deberi. Quid, si

ſi tabulis dotalibus expreſſim dictum ſit, etiam feuda communia fore? Valebit pactum. Itaque ſi dotali inſtrumento acceſſerit Domini conſenſus, in commune redacta erunt, ſin verò conjugum alter, poſt datam fidem, vel recuſaverit, vel neglexerit aſſenſum Domini impetrare, in id quod intereſt actio adverſus eum dabitur. Goris *d. cap.* 1. *n.* 33. *& cap.* 3. *n.* 8. D. Rodenburg *d. tract. tit.* 2. *cap.* 5. *n.* 13. D. Matthæus *d. parœm.* 2. *n.* 98
24. Quocircà non malè hoc caſu alteri ſemiſſem dabimus pretii, quod eſt tempore diviſionis, uti fecimus, quando alter feudi permutati, vel donati expers eſt. *ſuprà tract.* 1. *de connub. bon. ſociet. n.* 74.

Quid ſi, non factâ ſpeciali feudorum mentione, omnium bonorum ſocietatem pacti ſint conjuges, continebunturne feuda? 99
Sunt qui in omni generali diſpoſitione, contractu, & ſocietate, feuda comprehendi docent: quaſi alia ſit conditio feudorum, quæ jure ſcripto reguntur, alia quæ moribus noſtris, etiamſi talis conditionis ſint, ut ſine Domini conſenſu alienari nequeant. Burgund. *ad cons: Flandr. tract.* 3. *n.* 19. *& tract.* 13. *n.* 44. Bort *de Feud. part.* 3. *quæſt.* 5. *n.* 11. 12. 13. *& part.* 9. *art.* 2. *quæſt.* 2. *n.* 8. Apud nos requiritur, ut ſpeciatim feudorum ſit 100
pacta communio. D. Rodenburg *d. n.* 13. *in fin.* Quod & placet Sandio *d. cap.* 3. *n.* 5. Goriſio *d. cap.* 1. *n.* 26. Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 238. Confer Car. de Mean. *ad jus Leod. part.* 1. *obſ.* 13. *n.* 11. 12. Planè ſi præfato caſu conjuges pactis firmandis 101
adhibuerint conſenſum Domini, evidens eſt, generali iſto enunciato eos & de feudis pepigiſſe, cum alium in finem adhibitus ille aſſenſus trahi non poſſit. Grivell. *deciſ.* 105. *n.* 24. Schrader. *de Feud. part.* 7. *cap.* 2. *n.* 59. *& ſeqq.* Mean. *d. tract. part.* 3. *obſ.* 324. *n.* 4. Inde videas Doctores, qui in divexatâ illâ quæ- 102
ſtione, an conceſſâ vaſallo teſtandi licentiâ, ſub generali diſpoſitione bonorum contineantur feuda, cum eorum non ſit facta mentio, negativam tuentur, contrarium reſpondere, quando ea diſpoſitio aliò quam ad feuda flecti non poteſt, puta cum non alia,

alia, quam feudalia bona extant. Christin. *d. decis.* 238. *n.* 6. *post alleg. ibid.*

103 Ex hisce patet pinguiorem esse pactitiam omnium bonorum communionem, quam consuetudinariam, cum & cujuscunque generis bona complecti, & (ad exemplum Romanorum) iniri possit in loco contracti matrimonii, ubi non viget inter conjuges bonorum communio. Nulla enim est Provincia, nulla Civitas, adeo isti communioni inimica, quin admittat pactis dotalibus contractam: cum quilibet arbiter & moderator suorum bonorum sit. Inde adversarii, qui negabant tractatu matrimonii initam societatem, communicationem bonorum in aliâ Provinciâ sitorum secum trahere, tum eam admittunt in bonis ubicunque sitis, cum nuptialibus tabulis pacta est. Charond. *en ses Pandect. liv.* 2. *chap.* 5. *p. m.* 189. *& sur Paris, art.* 220. *p. m.* 163. *&* 13. *resp.* 46. *& en ses memor. obs. verb. communaute, vers. mais souvent.* Bouvot *en ses arrests. tom.* 2. *verb. societé, quest.* 3. Giurba *ad Messan. d. cap.* 1. *gl.* 2. *n.* 126. Godefroy *sur les coust. de Normand. art.* 389. *vers. Quand.* Guerin. *ad jus Civil. Paris. art.* 220. *vers. Quæro.* Io: Franc. Marcianus *disp. Forens.* 45. *n.* 9. *& seqq.* Neostad. *de pact. antenupt. obs.* 2. *in not. vers. ut igitur.* Stockmans *decis. Cur. Brabant.* 121.
104 *n.* 8. Licitum enim contrahentibus est, initio matrimonii, quolibet modo contrahere, & jus certæ alicujus Civitatis eligere. Itaque valebit pactum, ne mariti, sed uxoris domicilium attendatur. Rod. Suarez. *in l.* 1. *tit. de bon. acquis. n.* 42. *vers. secundo.* Valasc. *d. decis.* 175. *n.* 19. Bouvot *sur la coust. de Bourg. tit. des droicts de gens. mar. art.* 2. *vers. si Burgundus.* Mornac. *ad l.* 65. *ff. de judic.* Goris *in advers. d. cap.* 6. *n.* 12. *in not.* D. Rodenburg *d. tract. de statut. divers. tit.* 3. *cap.* 4. *à pr.* D. Mat-
105 thæus *d. l. n.* 67. Et quos citavi suprâ *tract.* 1. *n.* 100. Non lubet amplius recensere exempla licitorum pactorum, cum suprâ diximus, omnia pacta servanda esse, dumne contrà bonos mores, aut expressim à jure, statuto, vel consuetudine reprobata sint.

Con-

Contrà bonos mores, & jùs publicum, initum, atque à Pari- 106
ſienſi Senatu infirmatum pactum eſt, quo vidua, cum tirone mariti prædefuncti nuptias contrahens, ſtipulata erat, maritum novum toto tyrocinii tempore, nihil auctoritatis atque imperii habiturum, neque mercaturam ullam ſine ſuo conſenſu exercere poſſe: jure enim publico, viri ſtatim poſt contractas nuptias nanciſcuntur maritalem poteſtatem, & imperium in uxorem. Charond. *en ſes Pand. liv.* 2. *chap.* 24. *p. m.* 281. *& en ſes memor. obſerv. verb. contract, verſ. j'ay veu caſſer. p. m.* 31. A quo non abit D. Rodenburg *de jur. conjug. cap.* 1. *tit.* 4. *de tollend. poteſt. ant. matrim. p. m.* 352. Ecquid ſi pacto dotali conventum 107
fuerit, ne, citrà conſenſum uxoris, fas ſit viro mutare domicilium? Conventioni ſtandum viro eſſe nonnullis viſum eſt, niſi gravi de causâ ob bellum ſc., ſoli, cœlique intemperiem, ſimilesque cauſas migrare neceſſe habeat. Capell. Tholos. *deciſ.* 87.
Verum rectius alii tali pacto vires denegant, eo quod infringat 108
jus libertatis. *l. Titio.* 71. §. *Titio.* 2. *ff. de condit. & demonſtr.* & repugnet reverentiæ marito exhibendæ. *arg. l.* 14. §. 1. *ff. ſol. matrim.* Hæc enim auctoritas prudentiæ mariti relinquenda eſt, ut pro conditione temporum, cæteriſque occaſionibus, & opportunitatibus, quæ inopinatò obvenire poſſunt, liberè de lare, & ſede fortunarum conſtituat. Tiraquell. *de Leg. connub. part.* 1. *gl.* 1. *n.* 28. *& n.* 39. *in fin.* Covarr. *de matrim. part.* 2. *cap.* 7. *n.* 5. *& ſeqq.* Gomez. *lib.* 2. *var. reſol. cap.* 10. *n.* 24. *vers. Item etiam.* Schneidew. *ad Inſt. tit. de Nupt.* 10. *part.* 4. *n.* 48. Did. Perez. *ad ordin. Regn. Caſtell. lib.* 4. *tit.* 11. *leg.* 29. *verb. ſi alguna muger. verſ. atque etiam.* Barry *de ſucceſſ. lib.* 17. *tit.* 19. *n.* 1. *verſ. hinc quæri ſolet.* Mev. *ad jus Lubec. lib.* 1. *tit.* 5. *art.* 10. *n.* 66. Cancer. *part.* 3. *var. reſol. cap.* 7. *n.* 1. *& ſeqq. ubi ita à Senatu Cathalaunico judicatum refert.* Et quanquam 109
præfatorum Doctorum quidam illud pactum hactenus ſubſiſtere putant, ut committatur pœna, ſi quà adjecta eſt, vel ut præſtetur id quod intereſt: eorum tamen doctrinam non aliàs admiſerim,

quam cum pactum justam habet causam, neque justiorem infra-
110 ctio ejus. Tulden. *ad Cod. tit. de nupt. n.* 4. Quid enim si maritus nostras, sedes mutare, & illuc migrare velit, ubi contrà quam leges loci contractus ferunt, in necem uxoris moliri quicquam possit, certè licet & tum liberum marito maneat domicilii mutandi arbitrium, præstare tamen tenebitur uxori, ejusve hæredibus, omne illud quod ipsorum interfuerit, veteres sedes contrà dictamen pacti translatas non esse, ut integra quidem conservetur marito, quocunque tandem, migrandi licentia, dummodò citrà uxoris fraudem. Ita D. Rodenb. *d. tract. in prælim. de statut. di-*
111 *vers. tit.* 4. *cap.* 1. *n.* 1. *& seqq. p. m.* 148. Multò minus sustentabitur illa dotalis sponsio, ne maritus pro uxore judicio experiretur, sed ut illa ipsa litigatum iret. Chassan. *ad cons. Burg. rub.* 4. §. 5. *n.* 59. Charondas *sur Paris. art.* 233. Bouvot *tit. des droicts. de gens mar. art.* 5. *in pr.* Confer D. Rodenburg *d. tract. tit.* 3. *cap.* 1. *de jur. marit. circ. act. per tot. præsertim n.* 21. Illud quoque dotale pactum irritum pronunciatum est, quo
112 conventum, ut insuper habitâ provinciali largitionis conjugalis prohibitoriâ lege, fas conjugibus sit, constante matrimonio liberalitatem in alterum conferre, nemini enim licitum est, rejicere celebrationem actus in tempus prohibitum *l.* 4. *C. de donat. ant. nupt.* Charond. *liv.* 13. *resp.* 86. Brodeau *sur* Louet *lit. M. arr.* 4. *lit. a.* Castill. Sotomaj. *lib.* 4. *quotid. jur. controv. cap.* 49. *n.* 27. 29. Mornac. *in observ. posth. ad l.* 4. *C. de donat. ant. nupt.* Bouvot *en ses arrests, tom*: 2. *verb. societè, quest.* 3. Perez *ad tit. C. de donat. ant. nupt. n.* 19. Goris *in advers. d. tract.* 1. *cap.* 6. *in not. n.* 20. D. Rodenburg *d. tract.*
113 *prælimin. tit.* 3. *cap.* 4. *n.* 6. *p. m.* 141. Vel è contrà, quo cautum ne unquam futuris conjugibus liceret sibi invicem bonorum usumfructum constituere. Etenim cum per leges nostrates conjugibus liceat sibi mutuo usufructu gratificari, certè fieri nequit ut pacto caveatur validè, ne leges in suo testamento, vel ususfructus datione locum habeant. *l.* 55. *ff. de legat.* 1. non enim

ex solenni jure, privatorum conventione, quicquam immutari potest. *l. 27. ff. de Reg. Iur.* D. Rodenburg *d. tract. prælim. tit. 3. cap. 4. n.* 10 *p. m.* 144.

Vetita quoque sunt inter conjuges, manente matrimonio, 114
omnia pacta, pactis antenuptialibus contraria. Itaque si dotalibus tabulis communio bonorum sit exclusa, non licebit apud nos conjugibus, contrario placito istas tabulas infringere, & ad communitatis jura refugere. Nec enim fieri potest, ne altera illa conjugum conventio, pactorumque antenuptialium derogatio incidat in donationem inter virum & uxorem prohibitam, vel donationis causâ facta intelligatur. Louet *d. arr.* 4. Choppin. *ad ll. And. lib. 3. cap. 2. tit. 2. n. 22. in fin. & de Privil. Rustic. lib. 2. part. 2. cap. 2. n.* 2. Ann. Robert. *lib. 4. rer. judic. cap.* 1. Charond. *liv. 2. Pand. chap. 5. p. m.* 169. *& sur Paris. art.* 220. *& art.* 222. *& 5. resp. 62. & 8. resp. 32. & 11. resp. 59. & 13. resp.* 98. Bacquet *des droicts de justic. chap. 21. n.* 72. Delommeau *en sa jurispr. Franc. liv. 2. art. 325. & seqq. vers. la raison. & art. ult. vers. neantmoins.* Christin. *ad ll. Mechlin. tit. 9. art. 11. n. 12. in addit.* Coren *consil. 26. lit. f. & seqq.* Fred. à Sande *de Feud. Gelr. tract. 1. tit. 2. cap. 3. n.* 15. Groenew. *ad l. 11. C. ad SC. Vellej.* Goris *in advers. tract. 1. cap. 8. n. 4. & seqq.* D. Ant. Matthæus *parœm. 2. n.*
35. Itaque cavendum nobis est ab adversâ Stockmanni senten- 115
tiâ *decis. Cur. Brab.* 59. qui putat, licere conjugibus, manente matrimonio, pacta nuptialia inire & mutare; mulieremque, quæ ex istis pactis quæstuum consors foret, commodo mariti renunciare posse lucris & factis & faciendis: quasi acquisita non statim uxori communicentur, sed demum soluto matrimonio, eo quod maritus, dum constant nuptiæ, res acquisitas liberè possit alienare. Contrà enim moribus nostris invaluit lucra in matrimonio obvenientia ex lege communionis consuetudinariæ, confestim, ipso jure, absque ullâ traditione, aut cessione, uxori fieri communia, & dominio, & possessione tenus, etiamsi nomen

men mariti solum mancipationis instrumento professum sit, *uti dicemus infrà cap. 2. n. 11.* vel ipso adstipulatore Stockmanno *decis.* 49. Nec quicquam facit, quod stante matrimonio rerum acquisitarum alienatio marito concessa sit absque uxoris consensu. Nam, præterquam quod immobilium acquisitorum distractio, vel oppignoratio nostrati marito improli denegetur citrà consensum uxoris, *uti suo loco dicemus*, manifestum apud nos est, jus illud alienandi non profluere à dominio rei, sed ab imperio & magisterio mariti, quod in uxorem, ejusque bona, exercet: argumento est, quod maritus nostras validè alienet res quasvis mobiles uxori proprias, vel eâ invitâ, & reluctante: immobiles quoque, si ex ipsâ prolem suscepit; quæ tamen marito data licentia non facit, ut dicamus earum rerum dominium ilicò post matrimonium uxori abstractum, & in maritum translatum esse. Quinimò si vel daremus, super acquisitis jus uxoris tantum esse in habitu non in actu, (ut cum quibusdam aliis Stockmannus loquitur) quod jus dissoluto matrimonio demum exiret in actum, non tamen eò magis uxori licitum foret, hanc suo tempore quæstuum dimidiatim habendorum spem, stante matrimonio, marito cedere. Etenim in universum illud verum manet, jus ad illos quæstus non per mortem mariti, sed per ipsum acquisitionis actum, vi conjugalis societatis, uxori continuò creatum esse, etiamsi evenire posset, ut inconsultâ mariti alienatione, vel alio quo ejus malo regimine, aut etiam casu fortuito, omnes facti quæstus interciderent. Summum quoque, præfata omnia nihil aliud evincerent, quam in ercíscundâ familiâ quæstuum mentionem fieri non posse, nisi eorum aliqui supersint: si enim in matrimonio facti quidem, sed à marito, vel aliàs, perditi sint, non removebitur ab iis uxor, ex eo quod stante matrimonio commune & æquale jus (exceptâ solâ alienandi licentiâ) cum marito in iis quæstibus non habuerit, sed quia nulli quæstus reperiuntur, communi non tantum uxoris, sed & mariti damno. Si verò dissoluto matrimonio quæstus reperiantur, quos jam

mari-

maritus, renunciationis factæ potestate, solos sibi vindicare præsumere vellet, quique nullâ factâ renunciatione ad uxorem dimidiatim pertinuissent, quis negabit hanc rem continere meram gratificationem inter conjuges prohibitam? Quis contradicet, si hi quæstus vel ex solis uxorii patrimonii reditibus provenerint, cum maritus esset nullius census? Quis, si uxor morti vicina id genus bonis commodo mariti renunciaverit? Certè hisce casibus non tam dici potest uxor acquirendi occasione non usa, quam quidem bona propria erogasse, *ut loquitur ICtus in l. 68. §. 1. ff. pro soc.* Idem est si uxor stante matrimonio futuris lucris compendio mariti renunciet, uti jam pridem excussimus, & multis Doctorum suffragiis probavimus. *in comment. nostr. ad Novell. Const. Ultraj. art.* 10. *n.* 54. *& multis seqq.* Et, si verum amamus, hæc Stockmanni de mulieris, præ mariti, imbecilliori jure, argumentatio nihil facit ad eam quæstionem, quam sibi probandam proposuerat, nimirum inter conjuges constante matrimonio pacta nuptialia iniri & mutari posse. Nec enim, uti opinor, Stockmannus in eâ sententiâ fuit, ut & marito integrum foret, stante matrimonio, suum quæsitorum dimidium commodo uxoris deponere. Quod utique assertum & probatum oportuerat, ut præfato ejus proposito sua veritas constitisset. Ex iis quæ disputavimus, nostræ assertionis veritas elucescit, fieri non posse, ut quicquam ex pactis dotalibus stante matrimonio innovetur, vel mutetur, quin statim ea res incidat in orationem Divi Severi & Antonini, quæ de donatione inter virum & uxorum prohibita est. Quâ ratione nec stante matrimonio, alterutrius ex 116
conjugibus commodo, convelli vel alterari possunt successionum leges, & regulæ, utriusque fortunis instrumento nuptiali dictæ. Brodeau *sur* Louet *d. arr.* 4. *lit. a. vers. entre tous.* D. Rodenburg *d. tract. prælim. tit.* 3. *cap.* 2. *n.* 3. *p. m.* 132. Antverpienses *tit.* 41. *n.* 59. Nec eò magis subsistet posterior illa 117
conjugum pactio, quod utriusque cognatio prioribus adhibita novis tabulis denuò consenserit: ne ex adscititio illo hæredum

interventu, prohibitorio gratificationis nostrati edicto fraus fiat: Non dubium enim est, quin cognati, vel inviti consenserint, quicquid ab iis expetitum est, ne scilicet pejus quippiam in ipsorum caput fieret ab eo cujus hæreditatem sperant. Concordia quoque conjugalis, & connubii fœdus exigit, ne pretio sed amore firmetur. Etenim si conjugibus licere velimus conventiones nuptialibus tabulis solenniter expressas reformare, vel rescindere, hæc una res jugales animos statim ad dissidia provocaret. Vir namque si quid minis, aut imperii acerbitate, uxorculæ extorquere speraverit, homo durus & austerus non aliter molliri, & uxori se conciliari sinet, nisi ea ultrò rescissionem, vel mutationem pactorum dotalium offerat: cognati quoque accersiti haud gravatim consensum actui accommodabunt, perterriti, ni faxint, alios ab iis scriptum iri hæredes. Mulier autem vel blanditiis id evincere tentabit, vel muliebri procaciâ & continuis jurgiis maritum vexabit, usque adeò donec obtinuerit. Ita Choppin. *de Privil. Rustic. part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 1. Labbè *sur* Berry *tit.* 7. *des mariages. art.* 1. *verb. donner.* Brodeau *sur* Louet *d. arr.* 4. *vers. Et n'est considerable.* Chenu *en ses notabl. quest. chap.* 62. Mornac. *ad l.* 1. *& l.* 26. *§.* 2. *ff. de pact. dotal.* Charond. *liv.* 2. *Pand. chap.* 5. *vers. Et ne peut. telle. p. m.* 193. *&* 5. *resp.* 4. *&* 7. *Resp.* 40. Bouvot *en ses arrests. tom:* 2. *verb. Societè, quest.* 38. Bacquet *aud. chap.* 21. *n.* 315. *sibi contrarius n.* 74. Goris *d. cap.* 8. *n.* 9. D. Rodenburg *d. tract. tit.* 2. *cap.* 4. *de con-*
118 *jug. gratif. potest. n.* 24. *p. m.* 272. Ex quibus patet non rectè Delommeau *d. art. ult. vers. toutesfois*, statuisse, pactionem tabulis dotalibus contrariam tum valituram, cum præsentibus & consentientibus utriusque lateris hæredibus,
119 novus tractatus in judicio professus & comprobatus est. Præsentia enim judicis non potest tollere vitium negotii intrinsecum. Mevius *ad jus Lubec. lib.* 1. *tit.* 5. *art.* 7. *n.* 125. In tan-
120 tum autem hæc pactorum antenuptialium derogatio viribus desti-

ſtituitur, ut nec in fidejuſſores, ſponſores, vel adpromiſſores, in firmitatem & obſervantiam novorum pactorum adhibitos, actio ſit danda, cum enim lex noſtra huic actui occurrere voluerit, & principalis cauſa non ſubſiſtat, acceſſorii quoque ſponſores liberantur, eò magis quod per ejusmodi actionem ad reum perveniatur. *l.* 16. *l.* 46. *ff. de fidejuſſ. l.* 178. *ff. de Reg. jur.* Molin. *ſur les couſt. d'Auvergne, chap.* 14. *art.* 46. Chenu *d. quæſt.* 62. Brodeau *aud. arr.* 4. *lit. C. ferè in fin.* Bouvot *d. queſt.* 38. *à la fin.*

Similiter omnes repromiſſiones, ſecretæ pactiones, donationes, vel antigrapha, à futuris conjugibus ante, vel poſt dotales tabulas conſcriptas, compendio vel diſpendio alterius, vel eorum amicorum facta, nulla, irritaque ſunt. De quo fusè adductis pluſculis rerum judicatarum exemplis egi *in comm. ad art.* 8. *Novell. Conſt. Ultraj.* 121

Nec ſuſtentatur dotale pactum, quo mas vel fœmina nuptias contrahens cum viduo, viduâve, qui, quæve ex anteriori matrimonio liberos habet, plus ex ejus bonis ſibi paciſcitur, quam apud liberorum ſingulos erat remanſurum: excurrens enim ſtipulatio ipſo jure ad filialem portionem reducitur. *l. hâc edictali C. de ſecund. nupt.* Cujus legis diſpoſitionem Legiſlator quoque noſtras ad forum noſtrum traduxit. *art.* 10. *dict. Novell. conſt.* Verum cum omnia quæ ad nobiliſſimam illam legis *hâc edictali* materiam ſpectare poſſe videbantur, *in comment ad d. art.* 10. tractaverim, nefas exiſtimo alibi copiosè dicta hùc denuò trans-ſcribere. 122

DE

DE QUÆSTUUM inter Conjuges Communione.

TRACTATUS SECUNDI.

CAPUT SECUNDUM.

SUMMARIA.

1. *ADfertur ratio quare plerumque inter contrahentes matrimonium solius quæstus communio contrahatur.*
2. *Hujus solius quæstus societate plerique Galli utuntur.*
3. 5. *Hæc societas non est iniqua.*
4. *Platonis sententiâ.*
6. 10. 156. *Quæstus intelligitur quicumque stante matrimonio fit.*
7. *Galli distinguunt inter acquisita, & conquisita bona.*
8. *Inde apud eos dubitatum est, an acquisitorum pacta communio etiam includat acquisita ante matrimonium.*
9. *Apud nos promiscuè utimur, quæstus, acquisiti, conquisiti vocabulo.*
11. *Quicquid stante matrimonio acquiritur statim utrique conjugi commune fit, etiam dominio & possessione tenus.*
12. *Etiamsi prioris thori liberis fundus mancipatus sit.*
13. *Quid circà reditus vitalitios apud nonnullos obtineat.*
14. *Feudorum acquisitorum dispar ratio.*
15. *Quid si officium promercale in matrimonio emptum sit? Conchylii sententia examinatur.*
16. *Refellitur.*
17. *Filius officium venale à patre emptum conferre tenetur.*
18. *Si maritus fundum ante matrimonium emerit, stante autem eodem pretium ejus solverit, fundus communis non erit.*
19. *Quid si sub conditione emptus sit, eaque in matrimonio extiterit?*
20. 21. 23. *Franconatum Flandrorum, Gandensium, & Bellensium circà eandem rem statuta referuntur.*

22. *Si*

22. *Si fundus stante matrimonio emptus, pretium autem eodem dirempto solutum sit, communis erit.*
24. 25. *Quid si nummi dotales pacto nuptiali destinati sint emptioni prædiorum? Latè discutitur.*
26. *Quid si alter conjugum fundum ante nuptias distraxerit, lege redimendi, isque fundus stante matrimonio redemptus sit?*
27. 28. 41. *Quid si ante matrimonium mercatus sit fundum, hâc lege, ut venditori liceret, restituto pretio eundem redimere, post nuptias autem eandem facultatem redimendi emerit? Fundum communem esse docet Chassaneus. Qui refellitur.*
29. *Alii docent eum fundum pro ratâ prioris pretii proprium, pro ratâ pretii pro facultate redimendi dati communem esse.*
30. *Quorum sententia examinatur & refutatur.*
31. 32. *Quid si venditor fundi stante matrimonio contrà venditionem factam in integrum restitutus fuerit* ex l. 2. C. de Resc. vend.?
33. *Quod per modum supplementi fit, non facit novum contractum.*
34. *Quid si maritus ex causâ doli, metus &c, adversus venditionem restitutus fuerit, fundumque recuperaverit?*
35. 36. *Quid si fundum retraxerit, proximitatis jure?*
37. 38. *Quid si prædium clientelare fuerit?*
39. 72. *An proprium, an verò recens quæstus sit, definiendum est ex origine & causâ pristinâ, quâ recuperatæ res sunt.*
40. *Bona avita purè vendita, & per novam emptionem recuperata, pro quæstu habentur.*
42. *Si res à piratis, vel latronibus occupatæ, stante matrimonio reddantur, prioris domini erunt.*
43. *Nisi dato pretio eas redemerit prior dominus.*
44. *Quid dicendum de feudo à marito illato, stante autem matrimonio commisso, & à Domino renovato? Remissivè.*
45. 46. 47. *Quid de vestibus stante matrimonio emptis?*
48. 49. 50. *Pretium fundi patrimonialis stante matrimonio venditi, estne commune? Refellitur D. Matthæus, dum statuit per surrogationem pretium ejus esse, cujus fundus fuit.*
51. 52. *Quid si loco pretii reditus annuus assignatus fuerit? Examinatur Choppini sententia, eaque rejicitur.*
53. *Si maritus vendendo fundum uxorium, designaverit pretium comparationi alterius fundi, emendo autem idem declaraverit, fundus novus uxoris erit.*
54. *Consimile Bruxellensium statutum refertur.*
55. *Fundus fundo permutatus communis non fit.*

M 59. *Nec*

56. *Nec interest proprio, an communi nomine permutatio sit facta.*
57. *Neque necesse est, ut in ipso permutationis actu conjux contestetur novum fundum prioris locum subiturum.*
58. *Nisi fundus uxorius allodialis permutetur cum feudali, maritus autem solus investitus fuerit.*
59. 60. 61. *Quid si ad justam alterius fundi æstimationem additum sit supplementum pretii?*
62. *Burdegalense statutum refertur.*
63. 64. 65. 66. 67. *Quid si super fundo patrimoniali stante matrimonio transactum sit? Latè discutitur.*
68. *Qui res alienare prohibetur absque decreto, is nec eas possidenti transigendo relinquere potest, nisi auctore Prætore.*
69. *Auctoris sententia circà eam quæstionem.*
66. 70. *Explicatur Diocl. & Maxim. rescriptum* in l. 33. C. de Transact.
71. *Qui modico pretio causam transactione dimittit, acceptos nummos non in patrimonio, sed in quæstu habet.*
73. *Si alter conjux rem suam in censum vel reditum dederit, non erit hic census, vel reditus communis.*
74. 75. *Idem est, si fundum suum in feudum vel emphyteusin alteri concesserit.*
76. *Quid de jure patronatus, quod maritus stante matrimonio consecutus est?*
77. *Si maritus ante matrimonium usucapere cœperit, in matrimonio autem consummaverit, non communicabitur quod usucaptum est.*
78. *Nisi usucapio constante matrimonio, & inchoata, & finita sit.*
79. *Lite ante matrimonium à marito motâ, quæ stante eodem secundum maritum data est, adjudicata bona solius mariti sunt.*
80. *Quid de fructibus eorundem bonorum marito adjudicatis?*
81. *Quæ hæreditate in matrimonio consecuti sumus, alteri conjugi non communicantur.*
82. *Idemne dicendum de iis quæ testamento extranei obveniunt? Affirmat D. Matthæus.*
83. *Cujus rationes & argumenta examinantur, & refelluntur.*
84. 85. *Auctoris sententia, Doctorum auctoritatibus, & variorum locorum consuetudinibus, stabilitur.*
86. 87. *Quid de legatis stante matrimonio alterutri conjugi relictis? Sunt qui legata à patre aliisque adscendentibus relicta, alteri propria faciunt, à collateralibus verò, communem quæstum.*

88. *Cui*

88. *Cui consonat jus Scoticum.*

89. *Verius est, ab omnibus à latere propinquis, quibus ab intestato successuri eramus legata, pro propriis esse habenda, demptis solummodò legatis ab extraneo relictis.*

90. *Quid de donatis? Quidam donationes universim in quæstuum numerum redigunt.*

91. *Alii pro patrimonio eas habent.*

92. *Nonnulli à parentibus in lineâ rectâ factas, pro proprio reputant, à collateralibus autem, vel extraneis, pro quæstu.*

93. *Auctor etiam donationes collateralium, quibus ab intestato successuri eramus, pro cujusque proprio, solas extraneorum munificentias pro quæstu habet.*

94. 95. *Refellitur sententia Doctorum prima.*

96. *Secunda,*

97. *Tertia,*

98. *Auctoris sententia confirmatur.*

99. 100. *Charondæ judicium circà hanc quæstionem notatur.*

101. *Modica donatio à parentibus facta, si futuræ hæreditatis causam non contineat, in quæstu censetur.*

102. 103. 104. *Quid de portione hæreditariâ, cui filia in favorem & commodum fratris renunciavit? Charondæ distinguentis sententia rejicitur.*

105. *Quid de donatis à Principe? Ea secundum multos non communicantur.*

106. *Quorum sententia temperatur.*

107. *Aliàs nulla ratio est, cur non & à Principe donata communicentur.*

108. *Quæ in ipsâ nuptiarum festivitate ab amicis & convivis donantur, communia sunt, nisi contraria donantis mens appareat.*

109. *Donata non fiunt communia, si donator rebus donandis eam legem dixerit.*

110. *Notantur Molinæus & Choppinus, qui eam cautionem non proficere ajunt, quando universorum bonorum socii conjuges sunt.*

111. *Ea quæ à patrinis, qui infantem à SS. Baptismate susceperunt, donata sunt, quæstuum nomine veniunt.*

112. *Bergizomii distinguunt inter mobilia, & immobilia donata.*

113. *Saxones talia dona ipsi infanti addicunt.*

114. *Adeò ut in concursu creditorum pro iis muneribus jus tacitæ hypothecæ filio concedant.*

115. *Thesaurum à marito in suo inventum, soli marito addicit Herbajus, in alieno verò, pro quæstu habet.*

116. 118. *Hujus sententia refellitur, demonstraturque thesaurum inventum indistinctè inter conquisita numerandum esse.*

117. *Ratio juris Romani adducitur, cur thesaurus in suo inventus, totus inventori cedebat, in alieno verò, domino soli communicabatur.*

119. *Omnia* ἀδέσποτα *inventa & capta, communis quæstus sunt.*

120. *Thamerlanis Scythæ, & Nervæ Imperatoris de thesauro invento judicium.*

121. 122. *Apud multas gentes thesaurus inventus Fisco cedit.*

123. 124. *Quid apud Hollandos, & Ultrajectinos obtineat.*

125. *Quod alluvione accedit prædio mariti, non communicatur uxori.*

126. *Alluvio non est fructus fundi.*

127. *Consolidatio ususfructus cum proprietate domini lucro est.*

128. 129. 131. *Refellitur contraria quorundam opinio.*

130. *Si stante matrimonio creverint prædiorum nostrorum pretia, hoc augmentum intrinsecum commune non est.*

132. *Quid si prædium æstimatò doti datum sit?*

133. 136. *Utile emphyteuseos vel feudi alterius dominium, stante matrimonio consolidatum cum directo, proprium est, non quæstus.*

134. 135. *Refutatur in eo Molinæus cum asseclis.*

137. *Nisi Dominus acquirat aliunde quam à causâ feudi.*

138. *Confiscatum feudum, & obventiones jurisdictionis communes sunt.*

139. *Uti & merces, & aliæ res, quæ Fisco & publicanis ejus committuntur, ob fraudem edicto de vectigalibus factam.*

140. *Idem in hæreditatibus nothorum, & spuriorum, sine hæredibus mortuorum accidit.*

141. *Quanquam de iis aliorum dispar judicium est.*

142. 144. *Fructus omnes stante matrimonio obvenientes, utrimque communes sunt, etiam feudorum, fideicommissorum, & aliorum, quæ citrà communionem cuique obvenerunt.*

143. *Nisi nominatim convenerit, ut fructus stante matrimonio percipiendi, substantiam alterius augeant.*

145. 146. 147. *Quid de sylvâ cæduâ?*

148. —— *De cæspitibus & tessellis ustilibus?*

149. *Quantum ad fructus, non interest, an naturales ii sint, an civiles.*

150. *Reditus vitalitii.*

151. *Stipendia, salaria, honoraria, & mercedes quæ maritis solvuntur.*

152. *Refertur contraria Garsiæ sententiæ.*

153. 154. 155. *Quid de stipendiis militaribus?*

157. 158. 159. 160. 161. *Quid de fructibus soluto matrimonio perceptis*

ptis, vel percipiendis? Latè adductis variarum gentium consuetudinibus & placitis examinatur.

162. 163. 164. *Quæstuum nostratium conjugalium societas pinguior est societate quæstus Romanis usitatâ: id quod exemplis demonstratur.*

165. *Illicitè stante matrimonio acquisita conjugi socio non communicari, sed acquirenti propria esse, plurimis placet.*

166. *Horum sententia examinatur & refellitur.*

167. *In dubio præsumuntur bona licitè acquisita.*

168. *Expensorum & melioratorum in rem uni ex conjugibus propriam, æstimatio alteri conjugi dimidiatim præstanda est.*

169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. *Circà modum æstimandi rejicitur eorum sententia, qui ex jure Civili distinguunt, an melioratio minor, an major sit expensis.*

176. *In æstimandis impensis & meliorationibus semper & indistinctè spectamus tempus soluti matrimonii.*

177. *Consentientes variorum locorum consuetudines adducuntur.*

178. *Casus adfertur quo impensa arbitrio boni viri taxanda venit.*

179. *Si ex communi impensum, res tamen in quam impensum est, melior facta non sit, non refundetur pars impensarum.*

180. *Cum de impensarum refusione loquimur necessarias & utiles intelligimus.*

181. *Alii etiam voluptuariarum rationem habent, modò, per eas, res alterius melior facta sit.*

182. *Quæ impensæ, utiles existimantur.*

183. *Horum sententia moribus nostris quadrat.*

184. *Nihil refert apud nos, ex voluntate mulieris impensa facta sit, nec ne.*

185. *Quidam etiam voluntatem mulieris in impendendo requirunt.*

186. *Hæ impensæ cum fructibus non compensantur.*

187. *Licet pacisci ut uxorius fundus mariti impensis reficiatur, absque spe repetendorum ab eo sumptuum.*

188. *Hæc impensarum refusio gignit solummodò actionem personalem, non hypothecam.*

189. *Impensarum ratione veniunt quoque cujusque onera nuptiis antiquiora, stante matrimonio persoluta.*

190. *Quod variarum gentium moribus comprobatur.*

191. *Veniunt & dotes in secundo matrimonio filiabus prioris thori constitutæ.*

192. 193. 164. 195. *Quid si noverca unà cum patre dotem promiserit, & pro eâ se obligaverit? Referuntur discrepantes opiniones.*

196. 197. *Ad mores nostros accommodatè distinguit Auctor.*

198. *Noverca dotis nomine non habet condictionem pecuniæ adversus privignam, sed solum actionem adversus patrem, ejusve successores, nisi immodicam pecuniæ summam doti dederit.*
199. *Creditores non habent actionem dotis nomine, adversus liberos paternam hæreditatem repudiantes, nisi parentes tempore dotis datæ solvendo non fuerint.*
200. *In fraudem (secundum quosdam) dos data intelligitur, si quæstor ærarii Provincialis ampliorum filiæ dotem constituit, quam ferebant ejus facultates.*
201. *Tutius hâc in re sequemur generalem quæstionis hujus determinandæ regulam.*
202. *Quid de alimentis à patre liberis prioris thori, stante secundo præstitis?*
203. *Multorum moribus, parentes ex fructibus bonorum pacto divisorio liberis assignatorum, eosdem alere tenentur, si ipsi suismet alimentis non sufficiunt.*
204. 205. 206. *In quam rem tempus non ubique idem præstitutum est.*
207. *Si fructus alimentis non sufficiunt, non propterea liberorum sors diminuetur, sed parens superstes reliquum de suo supplere tenebitur.*
208. *Nisi & parens liberorum alimoniæ par non sit.*
209. *Parens liberos alere tenetur etiamsi ad secunda vota transierit.*
210. *Explicatur* l. 15. C. de negot. gest.
211. *An vitrico fas erit alimenta liberorum à matre repetere? Affirmantium sententia refertur.*
212. *Rejicitur.*
213. *Differentia inter alimenta & dotem privignis datam adducitur.*
214. *Si in secundo matrimonio liberis prioris thori bona quædam obveniant, eorum fructus quoque in liberorum alimenta insumendi sunt, si ex reditibus anteriorum bonorum commodè ali nequiverint.*
215. *Alimentorum nomine veniunt & impensæ in studia filii.*
216. *Quæ doctrina temperatur.*
217. *Ea quæ in peregrinationes filii impensa sunt, novercæ resarciuntur.*
218. *Item quæ in immodicam emptionem librorum, veterumque numismatum.*
219. *Quid si stante matrimonio comparetur fundus in eâ Provinciâ ubi nulla quæstuum communio viget?*
220. *In dubio utrum præsumemus fundum patrimonialem, an verò acquisititium esse? Respondent multi pro proprio eum habendum.*
221. *Alii à possessione originem tituli metiuntur.*
222. *In dubio possessio præsumitur stante matrimonio quæsita.*

223. -- *Pro*

223. —— *Pro communione potius quam contrà eam respondemus.*

224. *Quicquid pactis dotalibus non est expressum, relinquitur dispositioni juris municipalis.*

225. *Exclusâ bonorum communione, lucri damnique in matrimonio facti communio remanet.*

226. *Quid si lucri damnique consortium stipulati sint conjuges, de reliquis bonis nullâ factâ mentione? Quidam putant & reliqua bona communioni cessura.*

227. *Contraria sententia Auctori placet, quæ rationibus complasculis adstruitur.*



CUm plerumque inæquales sint contrahentium facultates, multi etiam sæpè fallant obtentu majoris census, frequentissima pactio quæ tabulis antenuptialibus componitur, est, ut sponsus & sponsa bonorum utrimque illatorum consortium excludant, quæstus verò & damni communionem stipulentur. Hæc communio adeó æqua Gallis visa est, ut tota ferè Gallia consuetudinaria, non aliâ quam hâc utatur. Nec est quod Costalius hanc Galliæ suæ consuetudinem contrà bonos mores, & dignitatem suæ patriæ in usum deductam esse asserat. *ad l.* 52. *§. socium. ff. pro soc.*: eamque communionem ratione uxoris Leoninam appellet, *ad l.* 1. *ff. de donat. int. vir. & uxor.* quem laudat Scip. Gentilis *tract. eod. lib.* 1. *cap.* 15. quasi iniquum sit, cum maritus anxiè in re faciendâ diligens, nullum in corrodendâ pecuniâ tempus intermittat, uxorem, quæ nihil intenderit, in partem societatis vocari. Uxor enim, fidelis domi custos, quæsita mariti asservat unicè, efficitque domestico studio, ne malè pereant maritales curæ, ac vigiliæ. Inde Plato in Menone dicebat: *quod si velis mulieris virtutem intelligere, non difficile erit illam dicendo persequi: eam, rem familiarem rectè administrare, ut quidem domesticas res conservet, & obtemperet viro*: eoque in Capitul. Caroli Magni, hæc communio *collaboratio* nuncupatur. Atque hâc ratione præfa-

(margin numbers: 1 at line "Um plerumque", 2 at "nionem stipulentur", 3 at "Nec est quod", 4 at "stico studio", 5 at "communio collaboratio")

fatam communionem contrà Costalium vindicant Argentr. *ad consuet. Brittan. art.* 418. *gl.* 1. *n.* 3. *vers. visum.* Charond. *ad Paris. art.* 220. Duret *sur Orleans. art.* 186. *verb. Biens.* Coquille *en ses quest. & respons. chap.* 64. Mornac. *ad l.* 8. *ff. pro soc.* Sande *lib.* 2. *tit.* 5. *def.* 1.

6 Quæstum hunc intelligo, qui constante matrimonio fit. Igitur omnia illa quæ coëuntium propria & peculiaria fuerunt, sive successione, sive labore & industriâ parta, vel quoquo modo alterutri obvenerunt: decursi quoque reditus & pensiones, ad tem-
7 pus usque nuptiarum, singulorum illata sors est. Id moneo ne incautius in Gallos incidamus, quorum plerosque distinguere videas, inter bona acquisita, & conquisita, *acquests & conquests.* acquisita vocant, quæ vel ante matrimonium, vel eo dissoluto ab alterutro parta sunt, conquisita, quæ stante matrimonio. Tronçon *sur les coust. de Paris. art.* 112. *verb. acquests, & art.* 220. *verb. conquests.* Buridan. *sur Vermandois.*
8 *art.* 113. Quæ distinctio & hanc apud Gallos peperit difficultatem, sitne pacta acquisitorum communio intelligenda de obventuris post contractas nuptias, an verò etiam includat eos quæstus, qui jam ante matrimonium facti sunt. Et post multas altercationes tandem definitum est, ex verosimili voluntate contrahentium, pacto non comprehendi, si quid ejuscemodi bonorum jam ante matrimonium fuerit. Choppin. *de morib. Paris. lib.* 1. *tit.* 1. *n.* 9. Mornac. *ad l.* 1. *ff. de pact. dotal. in fin.* Charond. *en ses Pand. liv.* 2. *chap.* 5. *p. m.* 196. *en ses memor. observ. verb. acquests. vers. toutesfois. & verb. communauté. vers. la communautè. p. m.* 27. *& liv.* 7. *resp.* 55. *&* 8. *resp.* 35. Delommeau *en sa jurispr. art. ult. vers. Finalement.* Mean. *ad jus Leod. part.* 3. *obs.* 347. *n.* 2. *& obs.* 349. *n.* 2. 9. Confer Chas-
9 san. *ad cons. Burg. rub.* 4. §. 9. *in fin.* Grivell. *decis.* 5. Nos itaque promiscuè utemur voce *quæstus*, *acquisiti*, *conquisiti*, pro omni eo quod stante matrimonio acquiritur, vel utrique in commune obvenit.

Age-

Agedum, videamus quæ quæstus appellatione contineantur. 10
Ulpianus, *in l. 7. ff. pro soc.* ea definit, *si quod lucrum ex emptione venditione, locatione, conductione descendat.* Paulus *in l. seq.* ait, *quæstus intelligitur, qui ex operâ descendit.* Sit quoque nostra, primo loco, inspectio de lucro quod ex emptione provenit. Si conjuges negotiatione, operâ, vel parcimoniâ 11
tantum pecuniæ corraserint, unde fundum, vel rem aliam emerint, statim ea res communis erit utrique, nec refert mariti nomen solum, vel utriusque, mancipationis litteris professum sit: utroque enim casu uxori etiam dominium, & possessio acquiritur. Goris *in advers. tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 31. *& cap.* 5. *n.* 2. 3. Sande *d. tit.* 5. *def.* 6. Groenew. *ad l.* 5. *&* 6. *C. si quis alt. vel sib.* Baezia *de non melior. rat. dot. filiab. cap.* 11. *n.* 106. Bruxellenses *art.* 242. Lovanienses *cap.* 12. *art.* 7. Antverpienses *tit.* 41. *art.* 68. Buscoducenses *tit. van Rechten de gehoude luyd. aeng. art.* 5. *& quos citavi ad Novell. const. Ultraj. art.* 10. *n.* 56. 57. Quin imò etsi maritus filio prioris tho- 12
ri mancipaverit prædium, communi pecuniâ emptum, uxori tamen communicabitur, non enim in eo maritus uxori fucum facere potest, cum plus valere debeat quod agitur, quam quod simulatè concipitur. *tot. tit. Cod.* Nic. Everhard. *cons.* 145. Pithou *sur les coust. de Troyes. tit. des droicts de mariage. verb. disposer.* Peck. *lib.* 2. *de testam. conj. cap.* 8. *n.* 1. Delommeau *d. tract. art.* 289. Jacq. Godefroy *sur Normand. art.* 330. *vers. j'adjousteray.* Kuyck *ad Cravett. consil.* 850. Christin. *ad ll. Mechlin. tit.* 9. *art.* 2. *n.* 15. Buridan. *sur Vermand. art.* 113. *vers. Et au.* Charond. *liv.* 2. *resp.* 41. *&* 8. *resp.* 22. *&* 13. *resp.* 100. *ubi ita judicatum referunt.* Confer D. Rodenb. *de jur. conjug. tit.* 2. *cap.* 1. *de marit. potest. in contrah. n.* 10. D. Someren *de jur. Noverc. cap.* 2. *n.* 2. *&* 4. Wamez. *cent.* 5. *cons. Civ.* 83. Illud circà reditus vitalitios statutis non- 13
nullorum locorum cautum est, ut, nominato prioris thori filio, sint quidem communes, liberum autem sit huic filio, reditum sibi

retinere, in commune restituendo pretium quo empti sunt. Uti apud Ruremundenses *lantr. part.* 3. *tit.* 9. *n.* 12. Bruxellenses *art.* 284. Bergizomii *tit.* 18. *van versterffenisse art.* 21.

14 Quod diximus stante matrimonio emptum commune esse, etiamsi unius solius ex conjugibus nomen, mancipationis litteris insertum sit, id fallit in feudis, quæ quatenus alteri quoque conjugi, quæstus socio, cedant, & communicentur, videre licet ex iis quæ tradidimus suprà, *tract. de connub. societ. n.* 65.

15 Quid si maritus manente matrimonio officium promercale sibi emerit, Canonicatum nempe nostratem, procuratorium munus, vel simile? Respondet Coquille *sur Nivern. tit. des gens mar. art.* 7. *verb. ou l'un d'eux. vers. mais s'il achepte, & en ses quest. & respons. chap.* 108. *à la fin.* si matrimonium aliquandiu post emptum officium stetit, & exinde perceptum lucrum erogatæ pecuniæ respondeat, (cui rei decennii fructus vel reditus sufficere putat,) non esse amplius uxoris hæredibus, officii no-
16 mine, quicquam desiderandum. Verum in eo fallitur, demonstramus enim infrà. *n.* 149. *& seqq.* omnes fructus, vel reditus, etiam vitalitios, stante matrimonio perceptos ilicò communioni quæstus cedere. Itaque de integro hæredibus erit refundendus semis communis æris, quo officium emptum est; nisi malit maritus officium, si forte pretium ejus decrevit, resignare, vel vendere communi lucro. Covarr. *lib.* 3. *var. resol. cap.* 19. *n.* 4. 5. Choppin. *de morib. Paris. lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 34. Charond. *liv.* 7. *resp.* 14. Garsias *de Expens. cap.* 4. *n.* 14. *& tract. de Acquæst. n.* 67. 68. Delommeau *en sa jurispr. Franc. art.* 512. *& seq.* Bouvot *tit. des gens mar. art.* 3. *vers. Le mesme. & en ses arrests, tom.* 2. *verb. societè, quest.* 22. Giurba *ad Messan: cap.* 1. *gl.* 2. *n.* 115. Baezia *tract. de non melior. rat. dot. filiab. cap.* 25. *n.* 14. Brugenses *Costuym. tit.* 4. *art* 13. Iperenses *rub.* 10. *art.* 39. Et in hanc partem, rogatis ante jurisprudentum consiliis, judicatum est à Senatu Civico, quod cum substratis rationibus refertur. *tom.* 1. *consil. ICtorum Ultraj. cons.* 50.

Eâ-

Eâdem ratione quâ filius officium venale à patre emptum cæteris fratribus & sororibus conferre tenetur. *l. omnimodo* 30. §. *imputari. C. de inoff. testam.* Idem Coquille *aud. coust. tit. des donations. art.* 11. *& en ses quest. & resp. chap.* 168. *vers. l'autre question.* Charond. *sur Paris. art.* 303. *& seqq. vers. si c'est un office venal. &* 3. *resp.* 55. *& en ses memor. observ. verb. collation. vers. office, & verb. rapport.* Papon. *lib.* 21. *tit.* 7. *de collat. art.* 8. Delommeau *aud. traict. art.* 260. Barry *de success. lib.* 14. *tit.* 4. *n.* 16. Bouvot *en ses arrests, tom.* 2. *verb. collation. quest.* 3. Tronçon *sur Paris. art.* 304. *verb. rapporter. vers. s'il y a.* Deckher. *lib.* 2. *dissert.* 6. *n.* 8. Christin. *vol.* 2. *decis.* 170. *n.* 13. D. Io: à Someren *de Iur. Noverc. cap.* 14. *n.* 1. *Neque enim æquum est* (ait Cassiodorus) *alterum abundare, alterum egere.* 17

In æstimando autem an emptum sit commune, tempus contractus spectabimus. *l.* 2. *in pr. ff. pro empt. l.* 69. *ff. de contrah. empt.* Quod in omnibus contractibus obtinet, in quibus semper initium, seu propositum spectatur, cum ad primordium tituli, posterior quoque eventus formetur. *l. un. C. de impon. lucrat. descript. in fin. l.* 8. *in pr. ff. mand.* Itaque si maritus ante nuptias fundum emerit, pretium autem stante matrimonio solutum, atque fundus traditus fuerit, non erit hic fundus communis, sed mariti proprius, refundendo uxori semissem pretii. Louet *en ses arrests, lit. A. arr.* 3. Argentr. *ad cons. Brittann. art.* 418. *gl.* 3. *n.* 2. Charond. *en ses observ. verb. acquests. vers. pour esclaircir. & verb. femme. vers. le droict, & verb. Nopces. vers. l'effect.* Coquille *sur Nivern. tit. des gens mar. art.* 2. *vers. conquests.* Tronçon *sur Paris. art.* 152. *in fin. verb. acquests.* Buridan. *sur Vermand. art.* 17. *vers. posè & art.* 113. *vers. voila.* Bouvot *tom.* 1. *part.* 3. *verb. acquis. quest.* 1. *& des droicts de gens mar. art.* 9. *verb. de tous debtes. in fin. & art.* 25. *à pr.* Godefroy *sur Normand. art.* 329. *vers. constant.* Uffelius *in notis ad Covarr. lib.* 3. *resol.* 19. Sande *lib.* 2. *tit.* 5. 18

 def.

def. 3. *vers. Soluto. in fin.* Stockmans *decis. Cur. Brab.* 51. *per tot. & decis.* 121. *n.* 10. D. Someren *de jur. Noverc. cap.* 1. *n.* 6. D. Matthæus *parœm.* 3. *n.* 11. Ruremundenses *part.* 1. *tit.* 2. §. 4. *n.* 6. Casletentes *cost. der Stede en Casselrije van*
19 *Cassele art.* 304. Planè si in creditum non iverit venditor, sed dies solvendi pretii, reique tradendæ, post nuptias destinatus fuerit, dici posset fundum ipsum in societatem venire: eo enim tempore quis contraxisse videtur, quo destinata est solutio. *l.* 21. *ff. de O. & A.*, quo vergere videtur Argentræus *d. loc. n.* 3. expressius, Valla *de reb. dub. tract.* 13. *n.* 4. *vers. cum autem.* Boguet *ad cons. Burgund. tit. des gens mar. verb. en acquests.*
20 *n.* 14. Franconates Flandri in universum, nec emptionem, nec solennem mancipationem ante nuptias factam respiciunt, solam pretii solutionem considerant: ut si omnis pecunia stante matrimonio soluta fuerit, integer fundus sit communis, sin pars pretii residua, pro ratâ ejus. *Deelboeck van den landen van Vryen,*
21 *art.* 25. Alii contrà interesse statuunt, an ante matrimonium fundus marito solenniter fuerit mancipatus, quo casu, etsi pretium stante matrimonio numeratum sit, mariti eum esse; sin verò mancipatio fundi in matrimonio facta sit, communem fore. Ita Gandenses. *part.* 3. *rub.* 20 *art.* 15. Bellenses *Cost. der Stede en Casselr. van Belle. Rub.* 6. *van sterf huyse van Man en Vrouw art.* 9.

22 Rursus si fundus stante matrimonio emptus, pretium autem eodem dirempto solutum sit, communis erit. Sande *d. loc.* Matthæus *d. loc.* Ruremundenses *d. n.* 6. *& part.* 3. *tit.* 7. §. 1. *n.* 10. qui sufficere ajunt, *dat de echteluyden het erf vergodsheldert, en vergodspenninckt hebben.* Id est *Quod arrha stante*
23 *matrimonio à conjugibus data sit.* Quod si ante nuptias sit emptus fundus sub conditione, constante autem matrimonio conditio extiterit, fundus ementi acquiretur, nec in communionem veniet: purificata enim conditio retrotrahitur ad tempus contractus, dummodò ex eventu pendeat, non autem sit potestativa,

tiva, cujus intuitu inſpicitur tempus, quo conditio impletur. *l.* 9. *§. quod ſi. ff. de peric. & commod. rei vend. l.* 2. *§. id quoque ff. de Collat. bonor. l.* 9. *&* 11. *ff. qui pot. in pign.* Valla *d. n.* 4. Argentr. *d. gl.* 3. *n.* 9. Godefroy *d. loc.* Sande *d. loc. vers. ſimiliter.* D. Matthæus *d. parœm.* 3. *n.* 11. *in fin.*

Quid ſi nummi dotales pacto nuptiali deſtinentur in emptio- 24
nem prædiorum? eam deſtinationem interpretantur nonnulli, ut fundus primò acquiſitus ſtante matrimonio, habeatur dotalis, quaſi dotali pecuniâ comparatus. Choppin. *lib.* 3. *de Privil. Ruſt. cap.* 10. *ad oram libri. idem lib.* 1. *de mor. Paris. tit.* 1. *n.* 15. *& ſeqq.* Tronçon *ſur les meſme couſt. art.* 132. *vers. en la couſtume, à la fin.* Coquille *d. loc. art.* 12. *fere in fin. & en ſes queſt. & reſpons. chap.* 143. Bouvot *eod. tit. art.* 17. *verb. & au reguard, in fin.* Verius tamen eſt, niſi maritus tabulis emptionis enunciaverit 25
comparare ſe fundum ex dotali pecuniâ, non eſſe hunc fundum patrimonialem, ſed acquiſititium, quamtumvis cautum ſit pacto ſponſalitio de collocandâ in emptionem prædiorum parte dotalis pecuniæ uxorio nomine: remanente marito pro dote obligato. Idem Choppin *ad ll. And. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 17. *& lib.* 3. *tit.* 2. *n.* 23. *in fin.* Charond. *liv.* 5. *reſp.* 40. Brodeau *ſur* Louet *ad d. arr.* 3. *in fin.* Mornac. *ad l. Res quæ.* 54. *ff. de jur. dot.* Id quod Bruxellenſes ſtatuto ſuo expreſſim caverunt. *art.* 242.

Ecquid ſi alter conjugum fundum ſuum ante nuptias diſtraxe- 26
rat lege redimendi intra certum tempus, conſtanteque matrimonio eundem fundum redemerit, communicandusne erit uxori, quaſi ſui temporis acquiſitum ſit? Nullo modo. Non enim hic fundus novi temporis acquiſitio eſt, ſed ex veteri cauſâ, & jure, in priſtinum venditoris dominium redit; nam poſterior prædii redemptio retrò recurrit ad diem contractæ venditionis ſub pacto redhibitorio. *l. ſi unus.* 27. *§. pactus.* 2. *ff. de pact. l.* 10. *§.* 1. *ff. quib. mod. pign. vel hypoth.* Chaſſan. *ad d. cons. Burg. Rub.* 4. *art.* 25. *n.* 5. 6. Argentr. *d. gl.* 3. *n.* 10. Choppin. *ad ll. And. lib.* 3. *cap.* 2. *tit.* 1. *Ex empt. & vend. n.* 4. Godefroy *d.*

 loc.

loc. Did. Perez. *ad Ord. Regn. Castell. lib.* 5 *tit.* 4. *leg.* 4. *vers. hinc etiam.* Charond. 2. *resp.* 70. Boguet *d. loc. ad art.* 12. *n.* 1. *& tit.* 13. *des reachapts. art.* 8. *n.* 10. Bouvot *ad d. art.* 25. *vers. quando.* Giurba *ad Messan. cap.* 8. *gl.* 3. *n.* 11. *& decis. Regn. Sicil.* 14. *n.* 12. Carpzov. *lib.* 5. *resp. Elect. tit.* 4. *resp.* 30. *n.* 5: *& seqq.* Mev. *ad jus Lubec. lib.* 1. *tit.* 10. *art.* 6. *n.* 34. Uffelius *d. loc.* Car. de Mean. *ad jus Leod. part.* 3. *obs.* 349. *n.* 7. Rursus, maritus ante matrimonium mercatus fuit
27 fundum, hâc lege, ut venditori liceret, restituto pretio, eundem redimere, paulò post nuptias contraxit, eamque facultatem redimendi certo pretio à venditore emit, eritne hic fundus communis? Ita existimarunt Chassan. *d. rubr.* 4. §. 2. *verb. & acquests, in fin.* Giurba *ad Messan. d. gl.* 3. *n.* 13. quasi hæc sit secunda emptio ex augmentatione pretii. *l.* 72. §. *Paulus notat.*
28 *ff. de contrah. empt.* Quorum sententiam rectè reprehendit Ti-
29 raquellus *de Retract. ad fin. tit. n.* 165. *& seqq.* Alii docent fundum pro ratâ prioris pretii ad solum maritum pertinere, pro ratâ autem pretii pro facultate redimendi dati, communem esse utrique conjugi. Inter quos idem Tiraq. *d. loc. n.* 170. Maynard. *lib.* 5. *decis. Tholos.* 64. *n.* 6. Sande *d. def.* 3. *vers. Quid.*
30 *in fine.* Verum, quod pace virorum eruditissimorum dicere liceat, in eo admodum hallucinati sunt. Etenim ex priori illo contractu totus fundus ad maritum pertinuit, etiamsi, restituto pretio, venditio resolvi potuerit: nec erogata pecunia propriè adjecta est pretio istius fundi, nedum eâ pars fundi empta, sed tantum pecuniæ parum datum est, pro jure & facultate redimendi, quæ ipsa solummodò empta, non etiam res, quæ jam erat emptoris. Quid enim si venditor jure suo ad redimendum fundum intrà constitutum tempus non utatur? Utique condicto pretio ab initio mariti fuisset. Quod si interea maritus eventum hujus rei expectare noluerit, verum, firmandi juris sui gratiâ, venditoris facultatem occluserit, non movetur per hoc, vel novatur prior contractus, qui ne moveatur, redempta est causa per pecuniam.
Igi-

Igitur hoc negotium non alterius considerationis est, quam si in res proprias mariti aliquid stante matrimonio expensum, reparatum, vel melioratum sit. Dixerim ergo integrum hunc fundum ad maritum pertinere, uxori autem refundendum semissem pecuniæ, pro eximendâ illâ conditione redemptivâ datæ. Argentr. *d. gl.* 3. *n.* 8. 15. Charond. *en ses memor. observ. verb. acquests, vers. comme pareillement.* Berault *sur Normand. art.* 329. *vers. constant le mariage.*

Quid si alteruter conjugum ante matrimonium fundum emerit, venditor autem, stante eodem, restitutionem intenderit *ex l.* 2. *C. de rescind. vend.* atque obtinuerit, ita tamen ut emptori justum pretium supplere, & sic rem retinere permissum sit, emptore pretium supplente, eritne acquisitio constantis matrimonii, an secus? Acquisitionem esse, videbatur facere voluntaria suppletio pretii, cum à toto contractu discedere liceret, idque ex causâ retroagente, ut non nisi à tempore supplementi jus in re habuisse emptor videatur. Chassan. *d. art.* 25. *ferè in fin.* Verum non est ita. Quanquam enim ubi venditor ex dictâ constitutione agit, rescissio principaliter in obligatione est, facultas tamen supplendi quod justo pretio deëst, emptori lege datur. Emptio namque justa est & perfecta, ex eâque factus rei dominus ipse emptor, ut eam à se invito avelli leges non permittant. Si quid est in eo negotio vitii, non in ipso contractu est, itaque rescindi non debet emptore invito, sed in pretio, quod idcircò satis est supplevisse usque ad justum. *arg. d. l.* 2. *l.* 8. *C. eod. tit.* Connan. *lib.* 7. *comment. cap.* 9. *n.* 10. Donell. *ad d. l.* 2. *C. n.* 40. Giphan. *ad eand. leg. vers. ait lex, vel si emptor elegerit.* Molin. *ad Paris.* §. 33. *n.* 42. Pinell. *ad d. l.* 2. *part.* 3. *cap.* 3. *per tot.* Covarr. *lib.* 2. *var. resol. cap.* 4. *n.* 14. Gomez. *lib.* 2. *var. resol. cap.* 2. *n.* 22. Castill. Sotomaj. *lib.* 2. *controv. quotid. cap.* 8. *n.* 9. Carpzov. *part.* 2. *const.* 34. *defin.* 7. Perez. *ad d. tit. C. de resc. vend. n.* 9. Itaque quod per modum supplementi fit, non facit id novum contractum à tempore istius supplementi, sed retrofactum

trofactum confirmat. Igitur in eâdem causâ res erit, ac si stante matrimonio pendatur pretii pars, fundi ante nuptias empti, cujus semis alteri conjugi erit refundendus, proprietate apud maritum manente. *Uti dictum suprà.* Tiraquell. *d. tract. §. 32. verb. acquests. gl. 1. n. 56. & seqq.* Argentr. *d. gl. 3. n. 6.* Boguet *d. tit. 13. des Reachapts. §. 8. n. 11.* Godefroy *sur Normand. art. 329. vers. constant le mariage.* Mevius *d. art. 6.*
34 *n. 36.* Rursus, si maritus fundum suum ante matrimonium, vel eodem stante vendiderit, deinde ex causâ enormis læsionis, doli, metus &c. adversus istam venditionem restitutus fuerit, eundemque fundum recuperaverit, non erit hic fundus communis, sed mariti proprius. Et si pretium ab emptore receptum, arcæque communi illatum, maritus factâ rescissione reddiderit, non tenetur uxori refundere semissem ejus, cum non plus etulerit arcæ, quam intulerat. Tiraquell. *d. loc.* Argentr. *d. loc. gl. 2. n. 18.* Choppin. *ad ll. And. lib. 3. tit. 1. cap. 2. n. 5.* Delommeau *liv. 2. jurispr. Franc. art. 290. & seqq. vers. quand au pris.* Boguet *d. loc. n. 12.* Mev. *d. n. 26.* D. Matthæus *d. parœm. 3. n. 12. in fin.*

35 Quid si maritus fundum non quidem ipse emerit stante matrimonio, sed retraxerit eum ab extraneo, proximitatis jure? Et rectè à Doctoribus responsum est, hunc fundum mariti retrahentis esse: cum enim causa immediata acquisitionis sit à sanguine ac gente alterius, atque jure patrimoniali personalissimè affixo personæ retrahentis, hæcque causa matrimonium antecedat, perinde res æstimanda est, ac si ante nuptias illum fundum habuisset maritus: cumque jus protimeseos in id inventum sit, ne fundus familiâ, vel gente exeat, utique inductum in eum finem, contrarium operari non debet: ergò non communicabitur hic fundus uxori, verum eidem pecuniæ erogatæ nomine satis fiet. Tiraquell. *d. §. 32. n. 5. & seqq.* Pyrrh. *ad cons. Aurelian. tit. 17. cap. 8.* Gomez. *ad l. 70. Taur. n. 28.* Charond. *5. resp. 15.* Duret *sur Orleans. §. 379.* Argentr. *d. gl. 3. n. 8.* Choppin.
ad

ad ll. And. lib. 2. cap. 2. tit. 4. de domin. fund. retract. n. 6. & lib. 3. cap. 1. tit 5. de revoc. in famil. n. 1. Boguet *d. §. 8. n. 9.* Grimandet *de retract. liv. 2. chap. 17.* Did. Perez. *ad Ordin. Regn. Cast. lib. 5. tit. 4. leg. 4. vers. Dubium censeri solet:* Mornac. *ad l. si unus. 27. §. quod in specie. ff. de pact.* Garsias *de Expens. cap. 22. n. 13. 14. & de Acquæst. n. 100.* Delommeau *aud. traict. art. 284.* Niger Cyriac. *tom: 2. controv. 305. n. 49.* Mean. *d. part. 3. observ. 291. n. 6. & d. obs. 349. n. 2.* Sande *d. defin. 3. vers. Porrò.* D. Matthæus *d. parœm. 3. n. 12.* Gandenses *d. rub. 20. art. 16.* Bellenses *rub. 8. art. 5.* Casletenses *rub. van Partage, art. 56.* Si verò non ex retra- 36
ctus causâ, verum à propinquo familiare prædium partum sit, promiscuo omnibus emptionis titulo, aut alio, extrà sanguinis causam, uxori quidem illud communicandum est, totius tamen retrahendi facultatem habebit maritus, de cujus lineâ promanârat, refusâ dimidiâ parte pretii uxori, ejusve hæredibus. Argentr. Choppin. Sande, Matthæus. *dd. ll.*

Quid si Dominus prædium clientelare stante matrimonio re- 37
traxerit, idemne cum priori dicendum? Siquidem in lege feudi, directus Dominus sibi nuncupatim receperit jus ejus redimendi, quandocunque alienaretur à beneficiario possessore, indubium est, quin prædium in quo Dominus alienantis cognato antefertur, illi sit proprium. *arg. l. 3. C. de condict. ob caus. dat.* Choppin. *de morib. Paris. lib. 2. tit. 6. n. 21.* Sin verò Dominus, jure feudi fundum ab emptore retraxerit, in album quæsitorum eundem fundum redegerunt Gallorum plerique. Choppin. *d. n. 21. & locis præfatis.* Boër. *ad cons. Biturig. tit. 8. des mariages. §. 2. vers. sed quæro. aliquid.* Tiraquell. *d. §. 32. n. 72. 73.* Charond. *en ses Pand. liv. 2. chap. 23. à la fin. & ad Paris. art. 133. in fin.* Mornac. *ad d. §. quod in specie. ff. de pact.* Rectius Molinæus *ad Paris. §. 20. gl. 1. n. 47. 48.* etiam hunc fundum marito proprium esse tradit. Quem laudant, & sequuntur Argentr. 38
d. gl. 2. n. 12. D. Matthæus *d. n. 12. in med.* Fundus enim ad

Dominum reverſus fuit, & remigravit ex veteris cauſæ potentiâ. De quo uberius, ubi agemus de iis quæ conſolidatione redeunt ad priorem ſuam naturam.

39 Ex ſuperioribus abundè patet, propriumne, an recens quæſtus ſit, æſtimandum eſſe ex origine & cauſâ, quâ recuperatæ res ſunt: ut ſi ex priſtinâ, priſtinum locum & ſtatum recipiant, ſin ex novo contractu ad priorem Dominum redierint, in priorem con-
40 ditionem non revertantur. Ut ecce. Si bona avita vel patrimonialia purè vendita, poſteà per novam emptionem, aliumve titulum recuperata ſint, naturam priſtinam amittunt, & pro novis, recenſque acquiſitis habentur. *arg. l. pater* 38. §. 5. *ff. de legat.*
41 3. Si verò præfata bona ſub pacto de retrovendendo vendita, ex dictâ redimendi lege reverſa fuerint ad priorem dominum, recidunt in veterem cauſam, conditionemque, perinde ac ſi nulla venditio intercessiſſet. De quo paulò ſuperius. *n.* 26. Et ſecundum hoc reverſionis diſcrimen judicatum eſſe tradit Carpzov.
42 *part.* 2. *conſt.* 12. *def.* 5. Similiter, ſi res à piratis, aut latronibus occupatæ reddantur, aliàsve redeant ad priorem dominum, ejuſdem erunt. *l.* 17. *ff. de vi & vi arm. l. ſi mater.* 11. §. *eandem.* 4. *ff. de Except. rei jud.* Caſtrenſ. *vol.* 1. *conſil.* 176. *n.* 4. Tiraquell. *d.* §. 32. *n.* 87. Grotius *de jur. bell. & pac. lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 16. Zouchæus *de Judic. inter gent. part.* 2. *ſect.* 8.
43 §. 15. Si verò bona capta, quæ belli jure mutarunt dominum, dato pretio redemerit prior dominus, tum in acquiſitorum numerum devenient. Mev. *d. lib.* 1. *tit.* 10. *art.* 6. *n.* 38. Confer Grotium *d. loc. ſub finem.* Caſp. Ant. Theſſaur. *lib.* 2. *quæſt.* 98.

44 Quid dicendum ſit de feudo à marito illato quidem, ſed ſtante matrimonio commiſſo, & à Domino utrique conjugi renovato, propriumne ejus ſit, cujus ante fuit, an verò communis quæſtus, tractatum à nobis eſt ſuprà. *de connubial. bonor. ſociet. n.* 71.

45 Reſtat inſpectio de veſtibus ſtante matrimonio emptis, & iis quæ

quæ ad utriusque conjugis corpus spectant, illane soluto matrimonio conjugum singulis cedant, an verò communia sint? Et multorum consuetudinibus definitum est, utriusque vestes & ornamenta cujusque corpus sequi. Transisulani *part. 2. tit. 2. art.* 16. Tilenses *tit.* 5. *art.* 21. Alii verò nullâ factâ maritalium 46
vestium mentione, vestes, annulos, aliaque ornamenta uxori stante matrimonio empta, dumne conditionem mariti excedant, uxori propria faciunt. Antverpienses *tit.* 41. *n.* 53. Bergizomii *tit.* 14. *art.* 32. Apud nos soluto matrimonio superstes con- 47
jux beneficio statuti præcipit, præter alias res, vestitum & amictum, cæteraque ad suum corpus spectantia, enarrata *Rub.* 24. *van driederhande voordeel.* Reliqua, & quæ ad defuncti corpus attinuerunt, constantis matrimonii quæstus sunt, dimidiatim dividuus.

De rebus emptis plus satis. Agamus de venditis. Maritus 48
prædium patrimoniale stante matrimonio vendidit, pretium inde redactum eritne commune, an succedet in locum prædii, ejusque erit, cujus prædium fuit? D. Matthæus *d. parœm.* 3. *n.* 13. 14., secutus veterem Practicum Masuerium, in eo totus est, ut ostendat pretium in locum fundi surrogari, soliusque mariti esse. Videamus an rectè. Illud certum est, in particularibus judiciis pretium nunquam succedere loco rei. *l.* 34. *ff. mand. l.* 48. *§. ult. ff. de furt. l. idemque.* 7. *in fin. ff. qui pot. in pign.* Atqui, ait Vir Doctus, judicium quod inter virum & uxorem redditur non est singulare, sed generale, proprièque accedere videtur ad naturam universalis judicii. *l.* 38. *ff. pro soc.* Perge. Contrariæque sententiæ auctores fenestram fraudibus aperiunt: quid enim si conjux, dum conjugi quingentos aureos donare velit, vendat prædium aureorum mille, jam nemo donationem contrà leges & statuta factam arguere posset, quia, secundum eos, uxor quingentos illos aureos jure communionis lucrabitur. Fenestram quoque aperiunt nequitiæ mariti: si enim uxorem dimidio fortunarum suarum exuere velit, vendet prædia ejus omnia, ac jure

quæstus auferet partem pretii. Quid? cum permutatione quæsitus fundus non communicetur, cur communicabitur pecunia venditione fundi quæsita? Quid enim interest fundum fundo permutes, an fundum pecuniâ? Quid si maritus fundum sterilem idcircò vendiderit, ut pretium fœneraret? Quid si æris distrahendi causâ fundum vendiderit, nonne vehementer iniquum foret, parte pretii uxori applicatâ, solidum eum creditoribus exsolvere non posse? Nec enim vendidit, ut deterius sed ut melius patrimonium suum faceret. Vellem hæc Viro Celeberrimo numquam excidisse: summa enim huc redit quasi ex adversâ sententiâ sequeretur, alterum conjugem, cujus prædia venierunt, ilicò jacturam facere dimidio pretii ex venditione redacti: quod nemini adversæ partis in mentem venit. Cum enim soluto matrimonio ercifcundæ familiæ judicium inter superstitem hæredesque defuncti instituitur, ante omnia inspicitur quænam cujusque fuerit illata sors, in quibus corporibus constiterit. Si quidem enim quid, proprium alterutri conjugum, stante matrimonio venierit, vel reditus, solutâ à debitore pecuniâ, redemptus fuerit, quæstus autem inde, & amplius lucrum factum sit, id omne ab eo ex communibus fortunis præcipitur, nec ullius quæstus inspectio est, nisi restitutis utrimque illatis corporibus, vel loco divenditorum, redactæ pecuniæ substitutâ quantitate: conquisita namque dicenda non sunt, nisi quæ deducto ære alieno supersunt: æs autem quæstuum alienum primariò consistit in redintegrandorum utrimque illatorum necessitate. Quo modo ergò metuendum ut alter ex alterius spoliis ditetur? Vel ut maritus, subdolâ uxoriorum prædiorum venditione, uxorem parte fortunarum suarum evertere possit? Prorsus nullo. Permutati certè, & pecuniæ ex venditione redactæ dispar ratio est. Permutatum enim corporis illati vicem gerit, *ut mox dicemus*; pecunia functionem in suo genere recipit: quæ si continuò præsidii causâ in arcâ conclusa fuerit, repleri inde poterit lacuna pretii divenditorum: quod si inde aliud prædium fructuosius stante matrimonio em-

emptum, vel ea fœnori fuerit collocata, quo reditum augeret maritus, novum illud prædium, vel fœnus commune erit. Nec hoc casu deterius, sed melius patrimonium suum fecit maritus, ante omnia enim ipsi pretium venditi erit refundendum, quod loco fundi sterilis in divisione præcipiet, emptorum autem uberiore reditu, & meliori sorte ex jure quæstus dimidiatim gaudebit.
Inde omninò sequitur, si maritus fundum suum, vel uxoris vendidit, pretioque alium comparavit, hunc fundum constantis matrimonii acquisitionem esse, pretium autem profectitium soluto matrimonio refundendum esse ei, cujus res veniit. Argentr. *d. art.* 418. *gl.* 1. *n.* 3. Choppin. *de Mor. Paris. lib.* 1. *tit.* 1. *n.* 24. Gutierrez *lib.* 2. *pract. quæst.* 117. Mornac. *ad d. l. Res quæ. ff. de jur. dot. & in observ. posth. ad l.* 12. *C. eod. tit.* Coquille *sur Nivern. tit. des droicts de gens mar. art.* 31. *in pr.* Boguet *d.* §. 8. *n.* 16. Christin. *ad ll. Mechlin. tit.* 16. *art.* 34. *n.* 9. Grot. *lib.* 2. *Isag. part.* 12. *vers. Als oock.* Sande *d. defin.* 3. *vers. Quid si maritus.* Mev. *ad jus Lub. d. art.* 6. *n.* 41. 42. Id quod expressim sancitum est apud Antverpienses *tit.* 41. *art.* 72. Gandenses *part.* 4. *rub.* 25. *art.* 7. & 28. Parisienses *art.* 232. & 49
ibi Charond. & Tronçon *in comm.* In quam sententiam tandem 50
videas descendere omnes ferè Doctores, qui ex pretio veteris novum fundum comparatum in patrimonio ejus esse contendebant, cujus fuit venundatus. Ipsum D. Matthæum *d. loc. n.* 16. *in fin.* Goris *in advers. tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 5. *in fine.* Ruremundenses *lantr. part.* 1. *tit.* 2. §. 4 *n.* 8. 9. 10. De eo quæsitum est. 51
Vendidit maritus prædium uxorium certâ pecuniâ confessâ, quasi solutâ, ast emptor pretii istius nomine venditori assignavit reditum nummarium, censebiturne hic reditus proprius uxoris adinstar fundi ipsius? Ita ait Choppin. *ad ll. And. lib.* 3. *cap.* 2. *tit.* 1. *ex empt. & vend. n.* 13. quem sequitur Christinæus *ad ll. Mechlin. tit.* 16. *art.* 30. *n.* 9. quasi reipsâ fundus videatur potius annui reditus nomine mancipatus, quam venditus præsenti pecuniâ, cumque emptor pretium fundi, cujus loco reditus consti-

ſtitutus eſt, numquam repræſentavit, non videatur pecunia ſocietati inferenda, reditusve ex ea partus pecunia, quæ numquam
52 verè ſocietati obvenit. De eâ tamen ſententiâ non immeritò dubitaveris. Sola enim conventio, non numeratio perficit emptionem inquit ICtus *in l. 2. §. 1. ff. de contrah. empt.* tametſi paulo etiam momento prius pactum in aliud transformetur. *l. 1. Cod. de rer. permut.* quin & talem reditum pro uſuris debiti pretii liceat interpretari, ex naturâ venditionum. *l. 2. C. de uſur.:* cum ergò muliebris fundi pretium ſemel ivit in creditum, ex eo parta non retinent naturam, qualitatemque fundi, ut hoc caſu idem cum priori ſit reſpondendum. Argentr. *d. gl. 2. n. 1. à princ.*
53 Jo: Franc. Andreol. *controv. forens.* 130. *n.* 2. Planè ſi maritus vendendo deſignaverit pretium comparationi alterius prædii, emendo quoque declaraverit prædium hoc priori fore ſuccedaneum, non dubitandum proprium uxoris eſſe. Boër. *ad Bituric. tit.* 8. *§.* 2. *vers. Tamen.* Argentr. Mornac. & Boguet *dd. ll.* Choppin. *ad ll. And. d. cap.* 2. *tit.* 2. *n.* 23. Coquille *en ſon Inſtit. tit. des droicts de mar. vers. l'heritage acquis.* Tronçon *d. art.* 132. *verſ. en la, & verſ. ſi l'un des.* Virg. Pingizer. *quæſt. Saxon.* 28. Chriſtin. *ad ll. Mechlin. tit.* 9. *art.* 5. *n.* 7.*:* quaſi vetus illud, effectu inſpecto, reverâ fuerit permutatum cum novo, quodque ab initio factum fuiſſet, ſi habendi hujus prædii commoditas, & occaſio ſeſe obtuliſſet, atque conventum ſit, pretium hoc non aliam quam ſucceſſoriam functionem recepturum. Sicuti ergo, *uti ante diximus,* cum, pecuniâ doti datâ fundus emptus eſt, is uxori proprius non ſit, niſi pactis ad id deſtinatus, & emptionis tabulis illud ipſum enunciatum ſit, ita, & hoc caſu, proprius uxoris erit novus fundus, ſi & vendendo & emen-
54 do, pretio ſuo eam legem adjecerit. Id quod Bruxellenſes ſtatutis ſuis inſeruerunt. *art.* 242. in verbis. *Item alle gronden van erven, als huyſen &c. by man en vrouwe ſtaende hun Huwelÿck gekocht, en voor Schepenen deſer Stadt gegoet, &c. weder den man of vrouwe alleen, of beyde te ſamen daer toegekomen,* wer-

werden gehouden voor conquesten, ten ware dat anders in de verkrijg-brieven stont geconditioneert, of geëxpresseert, met wat penningen, van waer, of van wiens wegen den selven koop ware gedaen, om te bewijsen de natuere van sulcken verkrijgh of koop. Id est. *Omnia latifundia, ut domus &c. à conjugibus stante matrimonio empta, & mancipatione coram Scabinis marito, vel uxori, vel utrique cessa pro conquisitis habentor, nisi aliter tabulis emptionis cautum expressumque sit, quâ pecuniâ, unde, & à cujus latere profectâ, emptio facta fuerit, ad probandam acquisiti, vel empti naturam.*

Vicina emptioni venditioni permutatio est, cui originem dedit, *l. 1. ff. de contrah. empt.* cujusque vicem obtinet. *l. 2. C. de rer. permut.* Quid ergò si maritus fundum uxoris patrimonialem stante matrimonio permutaverit cum alio? Et siquidem ejusdem naturæ fundi fuerint, rectè à Doctoribus responsum est, uxoris esse: quod enim ex permutatione capitur, per surrogationem ingreditur, & subit naturam rei datæ. *arg. l. 38. §. ult. ff. de donat. int. vir. & uxor.* Boër. *ad Bitur. tit. 8. §. 2. vers. item secus.* Tiraq. *d. §. 32. n. 26.* Argentr. *d. gl. 2. n. 1.* Suarez *tit. de bon. acquis. n. 25.* Choppin. *ad mores Paris. lib. 2. tit. 3. n. 26. & ad ll. And. lib. 3. tit. 2. n. 14.* Gutierrez. *d. quæst. 117. n. 2.* Coquille *en ses quest. & resp. chap. 143. vers. sur la quelle.* Carpan. *ad stat. Mediol. part. 1. cap. 417. n. 75.* Boguet *d. tit. 8. n. 18.* Buridan. *sur Vermand. art. 115.* Giurba *ad Messan. cap. 12. gl. 2. sub n. 6. & decis. Regn. Sicil. 111. n. 24.* Mev. *d. art. 6. n. 39.* Christin. *ad ll. Mechlin. tit. 9. art. 5. n. 11.* Sande *d. defin. 3. vers. Res.* D. Matthæus *d. parœm. 3. n. 17.* Ruremundenses *part. 1. tit. 2. §. 4. n. 8.* Gandenses *part. 3. rub. 20. art. 14.* Bellenses *rub. 8. art. 5.* Dendermundenses *rub. 12, van Rechten van gehuwede, art. 12.* Nec interesse puto, uxorione, an communi nomine permutationem instituerit, ut priori casu novus fundus, vice pristini, uxori cedat, posteriori communis sit, tametsi ita distinguat D. Matthæus. Natu-

55 (margin, at "Vicina emptioni"); 56 (margin, at "Nec inter-")

tura enim permutationis postulare videtur, ut unum statim alteri substitutum intelligatur, non ergò absumitur quod in corpore patrimonii retinetur. *l. 71. l. 72. ff. de legat. 3.* Itaque non magis hic permutatus fundus marito communicabitur, quam si is stante matrimonio declarare præsumat, se uxoris fundum patrimonialem posthac in commune velle possidere & habere: non enim in fraudem uxoris possessionis causam mutare potest. *l. 13.*
57 *§. 1. ff. de petit. hæred.* Quapropter nec necesse erit, ut maritus permutando accersitis testibus contestetur, novum fundum prioris hæredii locum subiturum, (quanquam id placet Pingizer. *quæst. Saxon. 27. n. 53. & seqq.* quem sequitur Goris *d. cap. 5. n. 5.*) ipsa enim permutatio id ipsum satis demonstrat, & res ipsa loquitur, quæ continet pensationem duntaxat prædiorum utrimque factam, & accommodationem mutuam: ubi autem re-
58 rum testimonia adsunt non opus est verbis. Dixi, *ejusdem naturæ*, Quid enim si maritus fundum allodialem cum feudali permutaverit, solusque investitus fuerit? Jam certè permutatio naturam feudi invertere nequibit, quod marito cedit investito, uxori autem æstimatione feudi satisfiet. Charond & Tronçon. *sur Paris art. 143.* Delommeau *en sa jurispr. Franc. liv. 2. art. 273.* Buridan. *d. art. 115. vers. de mesme.* Confer Argentr. *d. gl. 2. n. 1. 2.* Carpzov. *part. 2. const. 12. def. 1. & ea quæ dixi-*
59 *mus suprà, tract. 1. de connub. bon. societ. n. 67.* Cæterum adeò permutatio novam acquisitionis causam non continet, ut si fundus cum fundo permutatus sit, sed, cum ad justam alterius æstimationem aliquid deësset, datum sit supplementum pretii, alter conjux partem rei prætendere nequeat pro ratâ pecuniæ: quod enim supplementi nomine datur, naturæ contractus principalis accedit, ideòque in ejus naturam transgreditur: absurdumque videatur, unum, eundemque fundum duarum fore naturarum disparum, proprium ratione surrogati, conquisitum autem pro ratâ adjecti pretii: cum tamen unus sit contractus, isque permutationis. Accedit, separandi ac dividendi fundi difficultas atque

que incommoditas, ideòque totus fundus acquiretur ei ex conjugibus cujus res permutata fuerat, pecuniæ verò datæ refusio dimidiatim fiet alteri. Argentr. *d. gl.* 2. *n.* 3. Buridan. *ad d. art.* 115. *verſ. Toutesfois.* Quid ſi pretium excedat valorem rei? 60
Reſpondet Zoeſius *ad tit. ff. de rer. permut. n.* 5. in eo mentem contrahentium eſſe ſpectandam. Si conſtat quem contractum inire voluerint, vel quem principaliter intenderint, pro eo judicandum: ut ſi à permutatione incœperint, licet pretium in ſupplementum veri pretii exceſſerit rem datam, judicanda ſit permutatio. *l.* 6. §. 1. *&* 2. *ff. de Act. Empt.* Sin dubia fuerit intentio, aut de eâ non conſtet contractus judicandus ſit ex eo quod præponderat. Alii prævalentiam præcisè attendendam autu- 61
mant, ut ſi pretium excedat valorem rei, ſit emptio venditio, ſin verò ipſa res excedat valorem pretii permutatio ſit. *arg. l. quæritur.* 10. *ff. de ſtat. homin.* Tiraquell. *d. tract.* §. 30. *gl.* 1. *n.* 9. Franc. Niger Cyriac. *tom:* 2. *contr. forens.* 375. *n.* 1. Perez. *ad d. tit. Cod. de rer. permut. n.* 6. Cui conſonat Pariſienſium ſtatutum. *art.*145. *& ibi* Charond. *in comm. idem en ſes memor. obſerv. verb. Eſchange.* Apud Burdegalenſes, ſi res una cum 62
pecuniâ permutata non æquipolleat trienti pretii alterius rei compermutatæ, venditio cenſetur, ſi verò trientem ſuperet, nomen & effectum permutationis retinet. *art.* 96. *& ibi Autumn. in comment. qui art. Ferrono eſt* §. 18. *tit.* 8. *de Feud. & Emphyt.*

Sequitur transactio. Fac litem motam eſſe conjugum alteri de 63
fundo, qui ab altero eorum erat poſſeſſus, & patrimonialis putabatur, ſed, incertâ aleâ, de lite eum tranſegiſſe. Et quæſtum facere exiſtimarunt nonnulli, ſi quis adverſario, cujus jus liquidum & certum apparebat, ob retinendum fundum pecuniam dederit: quaſi hic formalis & vera ſit emptio, in quâ uterque conjugum partem vendicat, cum pecunia pro re adipiſcendâ data ſit: ſin de re incertâ, & lite obſcurâ transactum ſit, non quæſitum aliquid cenſeatur, ſed liberatio controverſiæ, & dominium

nostrum nobis firmatum sit. Ita Argentr. *ad consuet. Brittann. art.* 266. *cap.* 3. *n.* 2. *& d. gl.* 1. *n.* 12. Sande *d. defin.* 3. *vers.*
64 *Dubitatur*. Certum autem jus putant, quandò litteris, & instrumentis apparet, rem quæ petitur, & ab altero conjugum tenetur, agentis esse propriam: vel quando res apud conjugem dimissa est, lite adhucdum incertâ, si soluto matrimonio alter conjugum litem in se suscipere paratus sit, & probare, olim litiganti conjugi jus in re non fuisse, ut veluti emptione quæsitam pro dimidio
65 consequatur. Verum hæc sententia eâ incommoditate premitur, quod juris certi vel incerti consideratio, vel tractatio, non ad rem trahatur, sed ad novam litem. Etenim ea rem facit multò calamitosiorem, cum prætextu juris, lites fierent immortales, & in generationes familiasque propagarentur. Quis enim eas ullâ conventione finire posset, si rursus de integro super prioris litis materiâ litigare cogeretur, adversariine jus, super quo transactum est, certum, vel incertum fuerit? Contrà, legibus cautum reperimus, post absolutum dimissumque judicium nefas esse, litem alteram consurgere ex litis primæ materiâ. *l. terminato.* 3. *C. de fruct. & lit. expens.* Nec cuiquam concedendum, ut, repetitâ lite, finis negotii, alterius causæ exordium fiat. *l. si quis.* 11. *in fin. C. de reb. cred.* Hoc incommodum cum observasset
66 D. Matthæus *d. parœm.* 3. *n.* 18. eò amplius distinguendum retur, utrum conjux controversiam moverit, an passus fuerit: si movens possidenti pecuniam dederit, remque possessam ab eo redemerit, quæstus sit, non patrimonium: sin verò transactio non mutaverit possessorem, sed conjux possidens vexatricem litem redemerit, patrimonium sit, non quæstus. Argumento utitur ab evictione, cujus nomine actionem non habet is, qui, cum rem controversam possideret, pecuniam dederit adversario, ut à lite discederet, si eadem res posteà à tertio evicta fuerit, quoniam non tam rem, quam actionem à priori adversario redemisse videtur. Ast si non possidens litem moverit possidenti, & rem ab eo transactionis potestate in se transtulerit, evictâ eâ à tertio ad-
ver-

versus dantem, evictionis ergò, agere poterit, cum actor accipiendo rem ab alio possessam de novo eam acquisivisse videatur. *Dioclet. & Maxim. in l. si pro fundo.* 33. *Cod. de transact.* Quæ sententia (etsi eam nullis auctoritatibus muniat Vir Doctus) Doctoribus passim placuit. Alexand. *lib.* 6. *resp.* 41. *n.* 3. Molin. *ad Paris.* §. 33. *gl.* 1. *n.* 67. Tiraquell. *d. tract.* §. 1. *gl.* 14. *n.* 60. *& seqq.* Louet *en ses arrests. lit. T. arr.* 5. *post multos ibid. allegat.* Non desunt tamen quæ huic sententiæ reponi pos- 67
sent. Etenim manente per transactionem possessore eo, qui malam causam fovit, nihilominus alienatio contrahitur, lisque æstimata, quasi vendita res sit, judicatur. *l.* 1. *l.* 3. *ff. pro empt. l.* 7. §. 1. *ff. de Public. in rem act. l* 46. *ff. de R. V. l. fin. ff. quib. ex caus. in poss. eat.* Inde non abs re placuit Ulpiano, eum qui noluit in foro obtinere, cum peteret, diminuisse de patrimonio, actionem enim de bonis diminuisse, quemadmodum si passus esset actionis diem abire *l.* 1. §. *quid si in lite.* 7. *ff. si quid in fraud. patron.* Quisquis item res alienare prohibetur absque de- 68
creto, eas nec possidenti etiam relinquere transigendo potest, nisi auctore Prætore. Ita, secundum veriorem sententiam, Glossa *in l. cum hi.* 8. §. *si uni.* 15. *verb. transactione, ff. de Transact.* Tiraquell. *d. gl.* 14. *n.* 66. *& seqq.* Salicet. *ad l.* 1. *C. si advers. transact. n.* 3. Oct. Simoncell. *de Decret. lib.* 3. *tit.* 6. *inspect.* 10. *n.* 102. Pinell. *de bon. matern. l.* 1. *part.* 3. *n.* 46. Gutierr. *de Tutel. part.* 2. *cap.* 7. *n.* 13. *& seqq.* Gratian. *tom.* 5. *discept. forens. cap.* 846. *n.* 11. Quamobrem non malè alii inspicien- 69
dum censent, an grande æris pretium fuerit, quod transactioni intercessit, ac controversæ rei æquivaleat propemodum, an verò modicum: ut si compar pretium tali transactione adnumeratum sit, emptio venditio contracta intelligatur, transactionis solummodò figurâ tecta: ast modica pecunia data, solius litis redemptrix existimetur. Quod autem Dioclet. & Maxim. Impp. sanxe- 70
runt, ex transactione, quâ idem fundi possessor permanet, evictionem ab altero non deberi, id secundum præcedentia civili-

P 2 ter

ter interpretandum est, de petitore, qui, modico accepto, à lite destitit, non qui transactionis titulo rem suam justo pretio alteri mancipavit: veritas enim figmento transactæ controversiæ præpollere debet. *l.* 8. §. *si cum lis.* 20. *ff. de transact. l. si donatæ.* 36. *ff. de donat. int. vir. & uxor. l. fin. ff. quib. ex caus. in poss. eat.* Ita Choppin. *ad ll. And. lib.* 3. *cap.* 1. *tit.* 5. *de revoc. in famil. n.* 3. *Idem de morib. Paris. lib.* 2. *tit.* 6. *n.* 13. Charond. *ad Paris. art.* 157. *ferè in fin.* Confer Ferron. *ad Burdeg. tit.* 2. *de retract. à princ. vers. At in transactione.* Mornac. *ad d. l.* 33. *C. de transact.* Car. de Mean. *ad jus Leod. part.* 2. *obs.*
71 197. *n.* 2. 3. Ex quo & hoc dicendum est, eum qui modico pretio causam dimittit, acceptos nummos non in patrimonio sed in quæstu habiturum: ex vexâ enim suâ stante matrimonio, institutâ magis, quam ex jure antiquo eos consecutus intelligitur. Quo etiam vergit D. Matthæus *d. n.* 18. *in fine.*

72 Diximus sæpius proprium, an recens quæstus sit, æstimandum esse ex origine & causâ pristinâ, quâ rem consecuti sumus. Exin facili negotio ad sequentes quæstiones respondebimus.

73 Alter conjux rem suam in censum vel reditum dedit, non erit hic census vel reditus alteri communicandus, sed ejus est, cujus res erat. Producitur enim hic census vel reditus ab immediatâ causâ rei immobilis, quæ alterius propria fuit. Tiraquell. *d.* §. 32. *gl. un. n.* 86. Chassan. *ad cons. Burgund. tit. des success.* §. 8. *verb. sont issus.* Argentr. *d. gl.* 2. *n. fin.* Boguet *d. art.* 8.
74 *n.* 21. D. Matthæus *d. parœm.* 3. *n.* 19. Idem dicendum, si fundum suum in feudum, vel emphyteusin alteri concesserit, non communicari jus Dominicum. Illud enim jus superest ex fundo, qui totus ejus erat, igitur & residuum jus ejus remanebit. *l.* 49.
75 §. 1. *ff. de R. V.* Nequicquam dissentiente Boërio *ad cons. Bitur.*
76 *tit.* 8. §. 2. *gl.* 1. *vers. Per quam, ferè in fin.* Tantundem affirmandum, de jure patronatus, quod maritus stante matrimonio consecutus est dotatâ, fundatâ, ædificatâve Ecclesiâ de rebus suis: cæterum si ex communibus bonis, utrique commune erit.
Li-

Licet enim jus Patronatus individuum sit in se, dividuum tamen est, quoad exercitium præsentandi. Lup. de Palac. Ruv. *in repet. Rubr. de donat. int. vir. & uxor.* §. 62. *n.* 23. Covarr. *lib.* 3. *var. resol.* 19. *n.* 5. Argentr. *d. gl.* 2. *n.* 21. Sanz. *de divis. bon. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 14. Duard. *de societ. lib.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 4. *n.* 41. Casp. Baëzia *tract. de decima tut., Hispan. jure, præstanda. cap.* 23. *n.* 17. Garsias *de Acquæst. n.* 165. Giurba *ad Messan. cap.* 1. *gl.* 2. *n.* 37. *& seqq.* D. Matthæus *d. loc. n.* 20. Et quæ suprà diximus, *tract.* 1. *de connub. bon. societ. n.* 91. *& seqq.* Si maritus ante matrimonium usucapere cœperit, in matri- 77
monio autem consummaverit, non communicabitur uxori quod usucaptum est. Usucaptum enim est tanquam mariti proprium, atque illata sors, quæque ejus quoque mansisset, si nullum intercessisset matrimonium. Initium namque in usucapione spectamus, cum usucapio sit continui, & successivi temporis, & continuatæ possessionis ex titulo, quem solus maritus habuit. *l.* 4. §. *si antequam. l.* 44. §. *et si. ff. de usucap. l.* 2. *in pr. ff. pro Empt.* Covarr. *de matrim. part.* 2. *cap.* 7. §. 1. *n.* 13. Did. Perez. *ad Ord. Regn. Castell. lib.* 5. *tit.* 4. *leg.* 4. *vers. Quid autem erit.* Argentr. *d. gl.* 3. *n.* 13. Boguet *d. tit.* 2. *des gens mar.* §. 2. *n.* 13. Godefroy *sur Normand. ad Rubr. des success. art.* 303. *vers. Quand aux.* Gars. *de expens. & melior. cap.* 22. *n.* 12. *& de acquæst. n.* 49. Mean. *ad jus Leod. part.* 3. *obs.* 349. *n.* 18. D. Io: à Someren *de jur. Noverc. cap.* 1. *n.* 7. Planè si contra- 78
ctis nuptiis & inchoata & finita sit usucapio, non dubitandum quin quæstus sit: usucapio siquidem definitur acquisitio dominii per lapsum temporis. *l.* 1. *ff. de usucap.* Argentr. & Godefroy *dd. ll. idem ad art.* 329. *verb. constant.* Ferron. *d. tit.* 2. *de retract.* §. 23. *in fin.* Tiraquell. *d.* §. 32. *n.* 74. D. Matthæus *d. loc. n.* 23. Maritus stante priori matrimonio litigavit super fun- 79
do, ab adversario possesso, nuptiis morte uxoris diremptis aggreditur novas, in secundo matrimonio lis sententiâ judicis definitur, fundusque marito adjudicatur, non erit hic fundus commu-

 nis:

nis: non enim ex sententiâ oritur jus novum, sed quod anteà in bonis nostris erat, per judicem confirmatur, declaraturque jam olim ad nos pertinuisse. *text. in l. sicuti.* 8. *§. & si* 4. *ff. si servit. vind.* Garsias *de acquæst. n.* 190. *& seqq.* Giurba *d. tract. cap.*
80 8. *gl.* 3. *n.* 5. D. Someren *d. n.* 7. Quid si adjudicatio facta sit cum fructibus totius temporis, à lite contestatâ ad executionem sententiæ? Non malè facturi videmur, si fructus ad secundas usque nuptias debitos, soli marito, liberisque prioris thori addicamus: qui verò cœperunt deberi post iteratas nuptias, secundæ quoque uxori communicemus: cum enim sententia fingat fundum retrò in bonis mariti fuisse, non arcebitur secunda uxor nisi ab iis fructibus, qui extrà suam societatem debebantur, post eam contractam debiti, sui temporis acquisitum sunt. Quo etiam vergere videtur Garsias *d. loc. n.* 193. *in fin.* 194. 195. Consentiunt Munnoz de Escobar *de Computat. cap.* 9. Giurba *d. n.* 5.

81 Tempestivum erit requirere de hæreditatibus, legatis, & donationibus stante matrimonio alterutri conjugum obventis. Etenim non rarò contrahentes, post pactam quæstus communionem, confestim adjiciunt clausulam. *Erffenis en versterffenis voor geen winst gerekent.* Id est. *Quod hæreditate, vel successione deferetur, quæstus nomine non comprehenditor.* Videamus an non hæreditates etiam citrà hanc stipulationem quæstus communioni eximantur. ICtus Paulus *in l.* 8. *ff. pro soc.* quæstum definit, qui ex operâ cujusque descendit, puta quæ labore, arte, solertiâ, parcimoniâ, industriâ parta sunt. Quæ Ruremundenses *part.* 1. *tit.* 2. *§.* 4. *n.* 3. ita nuncupant. *Die by de eheluyden staende den Hylick besuyrt, bestäeft, erhalden, gewonnen, verworven, en verovert sijn.* quæ omnia de obventis testamento, vel lege deferente successionem prædicari nequeunt. Inde certatim nostrates Doctores tradunt, hæreditatem in quæstu non esse. Grot. *lib.* 2. *Isag.* 12. *n.* 10. Coren *consil.* 18. *n.* 23. Sande *d. defin.* 3. *à princ.* Zypæus *in not. jur. Belg. tit. de jur. dot.*
vers.

verf. Plerumque. Præs. Everhard. *confil.* 135. *n.* 4. D. Someren *tract. de jur. Noverc. cap.* 3. *n.* 8. Quod & multorum locorum ftatutis definitum eft. Uti apud Noftrates Ultrajectinos. *ftat. Civic. rub.* 23. *art.* 4. Tranfifulanos *part.* 2. *tit.* 2. §. 9. Tilenfes *tit.* 5. *art.* 20. Verum tantundemne erit, fi bona dela- 82
ta fuerint teftamento extranei, cui ab inteftato non erat fucceffurus conjux, ac fi ab inteftato, vel teftamento parentum, vel propinquorum, quorum fucceffio jure fanguinis fperabatur? Et idem de utroque pronunciandum docet D. Matthæus *d. parœm.* 3. *n.* 3. cum hæreditas fit nomen generis, utrique fucceffioni tam teftamentariæ quam legitimæ ex æquo competens: ac quafi eadem ratio hæreditatem à quæftu feparet, ob quam exclusâ omnium bonorum communione hodiè folius quæftus focietate plerique contenti funt: cum nempe grave videretur hominibus difparis fortunæ, cenfum mifcere, cœperunt, dotalibus tabulis, quæftus ac damni communionem contrahere: igitur placeat in quæftu hæreditatem non computare, quoniam locupletioribus plerumque lucrofæ obveniunt, tenuioribus aut nullæ, aut minus lucrofæ. Verius tamen eft ab extraneo, & cui fuccedere non 83
potuit conjux, teftamento relictum, utrique commune effe. Rem enim totam æftimamus ab origine, & priftinâ caufâ. Quod ergò hæreditas à parentibus vel propinquis nobis delata, non fit communis, in caufâ eft, quod alter conjux fpem fuccedendi ab initio in matrimonium intulerit, quo jure in actum deducto, & hæreditate delatâ, intelligitur conjux retrò hæreditaria bona habuiffe: quocircà in quæftu ea bona effe nequeunt, cum fint adinftar anterioris debiti ftante matrimonio perfoluti. *l.* 10. *ff. pro foc. Liberi hæreditatem ut fibi debitam expectant.* Plutarch. *in libell. elegantiff. de prol. amore.* Id quod de extranei hæreditate prætendi non poteft, cujus habendæ nulla ferè fpes, nullum jus alterutri ante nuptias competiit. Hoc difcrimen Trajanus Imp. circà indictiones fuper hæreditatibus imponendas, rectiffimè obfervavit, tefte Plinio *in Panegyr.* quando ait.
His

His vigesima reperta est, tributum tolerabile, & facile hæredibus duntaxat extraneis, domesticis grave. Itaque illis erogatum est, his remissum: videlicet quod manifestum erat, quanto cum dolore laturi, vel potius non laturi homines essent, distringi aliquid & abradi bonis, quæ sanguine, gentilitate sacrorum, denique societate meruissent, quæque nunquam ut aliena, sed ut sua semper possessa, ac deinceps proximo cuique transmittenda cepissent. Itaque cum extranea hæreditas stante matrimonio inopinatò obvenit, nullum profectitium, sed merum adventitium lucrum confert. Eàpropter nullâ ratione dici potest in coëundis nuptiis, exclusâ omnium bonorum & hæreditatum deferendarum communione, eo cogitationes suas contrahentes extendisse, cum tralatitium sit ad incogitata dispositiones non porrigi. *l.* 35. *ff. de pact.* Quod ergò dixerat Vir Doctus, locupletioribus plerumque hæreditates lucrosas obvenire, non autem tenuioribus, id certè ferè de solâ legitimâ successione, non autem adventitiâ prædicari potest. Quid enim si maritus minoris census, stante matrimonio officiorum & obsequiorum sedulitate ita extraneum fuerit demeritus, ut sui amantissimum hæredem instituerit? Quid si dum totus erat in demulcendo amico eò negligentius rem communem curaverit? Quid si eum epulis excipiendo, non parum patrimonii absumpserit? Quid si munera miserit, ut testamento misceretur vultur? De quo Martialis *lib.* 6. *Epigram.* 62.

Amisit pater unicum Silanus
Cessas mittere munera Oppiane?
Heu credule nefas, malæque Parcæ.
Cujus vulturis hoc erit cadaver?

Hoc hæreditatum aucupium, *artem* appellat Petronius Arbiter. *Matrona*, inquit, *inter primas honesta. Philomela nomine, quæ multas sæpè hæreditates officio ætatis extorserat, tum anus, & floris extincti, filium, filiamve ingerebat orbis senibus.*

nibus, & per hanc successionem artem suam perseverabat extendere. Itaque si blanditiis, si muneribus, si aliis hujusmodi artibus, aliorum gratiam captaverit, ut hæres ab illis institueretur, quis negabit hanc pensatricem hæreditatem utrimque fore communem? Illud verum est, hæreditatem nomen generis esse, complectens & testamentariam & legitimam, sicuti & nos utramque successionis speciem alterutri propriam facimus, sed gentilitiam, extraneam verò institutionem, utrique communem. Nec, si rem attendas, quicquam rationis video, cur D. Matthæus *n.* 7. legatum relictum ab extraneo, & cui ab intestato succedere non potuit conjux, commune faciat, portionem autem hæreditariam non item. Quid enim interest, an in eandem instituatur conjux, an verò eidem tantundem legati nomine testamento detur? *uti mox dicemus.* Inde videas Doctores, qui hæreditates cujusque proprias faciunt, passim loqui de iis quæ obventuræ alioquin 84
fuissent successuris ab intestato. Boër. *ad consuet. Bitur. tit.* 8. *des mariages.* §. 2. *vers. & dicuntur.* Sainson *ad Aurel. tit.* 22. *de commun. bonor. art.* 1. *verb. communaute, gl.* 5. Argentr. *d. gl.* 1. *n.* 6. Boguet *d. tit.* 2. §. 2 *verb. acquests, n.* 4. Bouvot *en ses arrests, tom.* 1. *verb. successions, quest.* 6. Duret *sur Orleans, art.* 186. *in fine*, Zutphanienses *stadr. tit.* 27. *art.* 85
7. *& lantr. tit.* 15. *art* 6. aiunt, *wes aen eeniger zijde in staender ehe aensterft.* Itidem Daventrienses *part.* 3. *tit.* 2. *art.* 12. Omlandi *part.* 3. §. 17. Franconates Flandri *deelboeck art.* 22. *De goedingen die den een of den anderen succederen of versterven, volgen de zijde daer af die gekomen sijn.* Velavi *cap.* 28. *art.* 3. *und sullen voor aengewonnen, und geworven guederen verstaen und geholden werden &c. afgetrocken wat echteluyden, naderhant van oiren olderen, und vrunden beërft hebben.* Expressim testamentariam extraneorum munificentiam in quæstu ponunt Chassaneus *ad cons. Burgund. rub.* 4. §. 2. *gl. & acquests. n.* 4. Schultez. *part.* 1. *pract. quæst.* 14. *n.* 30. Ruremundenses *d.* §. 4. *n.* 3.

86 Hæreditatem excipit legatum, stante matrimonio alterutri conjugum relictum, pro proprio, an verò pro quæstu illud ha-
87 bendum sit. Sunt qui legatum à patre, aliisque ascendentibus relictum discriminant ab eo, quod à collateralibus. Quasi illi naturæ debitum persolvant, his nullum sit naturæ debitum. Louet *en ses arrests. lit. A. arr.* 2. Charond. *en ses Pand. liv.* 2. *chap.* 21. *p. m.* 266. *& sur les coust. de Paris. art.* 246. *&* 7. *resp.* 143. Choppin. *lib.* 2. *de morib. Paris. tit.* 1. *n.* 12. *& ad ll.*
88 *And. lib.* 3. *cap.* 1. *tit.* 4. *de par. donat. n.* 1. Cui consonat jus Scoticum. Thom. Cragius *ad jus feudale Scot. lib.* 2. *dieges.*
89 15. *§. penult.* Verius tamen est, non tantum ab ascendentibus, sed generaliter ab omnibus à latere propinquis, quibus ab intestato successuri eramus, legata, propriorum, non verò quæstuum albo accensenda esse, demptis solummodò legatis ab extraneo relictis. Boër. *d.* §. 2. *lit. l.* Sainson *d. gl.* 5. Valla *de reb. dub. tract.* 13. *n.* 2. Boguet *d. n.* 4. Papon. *lib.* 15. *tit.* 2. *arr.* 16. Duret *d. loc.* D. Ant. Matthæus *d. parœm.* 3. *n.* 7. Ruremundenses *d. n.* 3. Quanquam enim lateralibus agnatis non debetur legitima hæreditatis portio, quasi extraneis, illud nihilominus verum manet, à gente & sanguine, atque ita titulo matrimonium antecedente, hanc liberalitatem descendisse: & quid refert, hæredis, an verò legatarii titulo ab agnato proximo partem bonorum suorum acceperit conjux? Ut ecce. Frater vel etiam quivis alius à latere propinquus ab intestato erat moriturus: verum cum attenderet hæreditatem suam oneribus, litibusque non paucis esse implicatam, meque valdè lites execrari, iisque expediendis vix parem, liberavit me hisce molestiis, delibavit ab hæreditate prædium opimum, quod mihi legato donavit, institutis in reliquâ hæreditate meis fratribus & sororibus. Mihi legatum, excedit forsan non tantum portionem singulorum, sed & illud continuò quietè possideo. Cæteri super hæreditate litigare coguntur: tandem aliquando exsuperatis molestiis, oneribusque expunctis portiunculam retinent. Quis dixe-

dixerit quod hi hæredis titulo consecuti sunt, proprium singulorum esse, quod ego ex legato habui, in quæstu, communicandumque uxori fore? Cum illud ipsum mihi cesserit in vicem hæreditariæ portionis, oneribus vacuæ: non ergò nocere mihi debet, si defunctus securitati meæ, maluerit me legato, quam institutione honorare. Proinde confitendum est, idem de legatis, quod de hæreditatibus pronunciandum esse, proprium nempe constituere, si à propinquâ personâ data sint, quæstum autem, & adventitium lucrum, si ab extraneâ.

Sequitur de donatis inspectio. In quâ non tantum Doctores, 90
sed & ipsa Supremorum Tribunalium judicata mirum in modum inter se pugnant. Sunt qui opinantur omnes donationes, sive à parentibus, sive à consanguineis quibuscunque hæredibus, quantumlibet præsumptis, collatas, titulos esse quæstuum singulares, extrinsecos, & adventitios, ideòque utrique conjugum communes. Argentr. *d. gl.* 1. *n.* 7. Imbert. *in Enchir. verb. Donata res censeri.* Sande *d. defin.* 3. *vers. At in, & defin.* 4. *ferè in fin.* Tilenses *costuym. tit.* 5. *art.* 20. Pictones *art.* 233.
& ibi Rat. in comm. Alii per contrarium universim donationes 91
in communionem venire negant. Coren *d. consil.* 18. *n.* 23. Herbaj. *Rer. Quotid. cap.* 16. Christin. *vol.* 2. *decis.* 58. *n.* 3. Bus. *ad l. coiri. ff. pro soc.* Zypæus *d. tit. de jur. dot. vers. Plerumque circà fin.* D. Rodenburg *inter consil. ICtorum Batavorum part.* 5. *consil.* 76. Did. Perez. *ad Ordin. Regn. Castell. lib.* 5. *tit.* 4. *leg.* 2. *verb. e si fuere donadio.* Giurba *ad Messan. cap.* 16. *gl.* 3. *n.* 1. Mean. *ad jus Leod. part.* 3. *obs.* 347. *n.* 3. *& seqq.* Franconates Flandri *deelboeck art.* 22. Omlandi *part.* 3. §. 17. Alii verò donationes à parentibus in lineâ rectâ factas, cujusque proprium censent, à collateralibus autem, vel ab extraneis, communem quæstum. Valla *d. tract.* 13. *n.* 2. Tiraquell. *d.* § 32. *gl. un. n.* 52. Louet *d. arr.* 2. Bacquet *des droicts de justic. chap.* 21. *n.* 55. Charond. *sur. Paris aud. art.* 246. *& en ses Pand. aud. chap.* 21. *p. m.* 266. *& en ses respons.*

 liv. 2.

liv. 2. *resp.* 82. *&* 8. *resp.* 48. 64. *&* 9. *resp.* 3. *& en ses resol. part.* 1. *tit.* 19. *à pr. & en ses memor. observ. verb. acquests.*
93 Rursus alii indiscriminatim, & in rectâ, & in laterali lineâ donationes proximis ab intestato successuris factas, in propriorum, extraneorum verò munificentias solas in quæstuum numerum redigunt. Choppin. *ad LL. And. lib.* 2. *de Feud. And. part.* 3. *cap.* 1. *tit.* 4. *de success. n.* 14. *& lib.* 3. *tit.* 4. *n.* 1. Coquille *en ses quest. & respons. chap.* 159. Delommeau *en sa jurispr. Franc. art. ult. vers. Sur la fin.* Belordeau *sur Bretagne, art.* 441. Berault *sur Normand. art.* 434. *vers. Que si don.* Godefroy *aud. art.* 434. *vers. Sont reputez.* Boguet *d.* §. 2. *des gens mariez. n.* 4. Mornac. *ad. l.* 10. *ff. pro. soc.* Tronçon. *sur Paris aud. art.* 246. Bouvot *en ses arrests. tom.* 1. *part.* 2. *verb. succession. quest.* 6. *& tom.* 2. *verb. donation. quest.* 15. *& verb. succession. quest.* 33. Christin. *ad ll. Mechlin. tit.* 9. *art.* 3. *n.* 1. *in not.* Mevius *ad jus Lubec. lib.* 1. *tit.* 10. *art.* 6. *n.* 33. D. Rodenburg *de jur. conjug. tit.* 2. *cap.* 1. *de marit. potest. in contrah. n.* 16. *vers. Quid igitur.* D. Matthæus *d. parœm.* 3.
94 *n.* 8. Ruremundenses *d. n.* 3. Et posteriorem hanc sententiam veriorem puto. Quantum enim ad primam attinet opinionem, quî Argentræus cum asseclis firmabit, à parentibus donatum, donatum non esse in anticipationem hæreditatis? Quid? nonne hic filius hoc modo donatum fratribus & sororibus suis confert,
95 quasi ei repræsentatum in partem successionis futuræ? Choppin. *d. loc.* Mornac. *ad l.* 25. *ff. de inoffic. testam. in fin.* Mev. *d.*
96 *tract. part.* 2. *tit.* 2. *art.* 8. *n.* 49. Quantum ad secundam: negari non potest ab extraneis donatum non profectitium, sed merum adventitium lucrum conferre: argumento sint ea quæ de extra-
97 neorum legatis paulò ante disseruimus. Ad tertiam verò: non satis causæ est, cur non cognati hæreditas, æquè ac parentis, per donationem inter vivos anticipari possit. *l. un. C. de impon. lu-*
98 *crat. descript.* Quid enim (ut quartam, & nostram sententiam muniamus) si avunculus donationem omnium bonorum in ne-
po-

potem, ex sorore ei successurum, contulerit, ut alimenta annua ei præstaret, nonne ea donatio pro hæreditate cedit? Et in eam partem judicatum esse tradunt Mornac. *ad d. l.* 25. Bouvot *d. quæst.* 6. Hâc ratione motus Charondas *liv.* 2. *resp.* 82. post contrariam opinionem assertam, incunctanter statuit, ob cir- 99
cumstantias donationi insitas, donatum à propinquis, pro proprio donatarii habendum. Quid enim, ait, si matertera magna cognatæ suæ, sibique hæredi futuræ rem non modicam donaverit, addito, ut per hoc augeret & amplificaret patrimonium cognatæ suæ, utique repræsentatâ donatione hæc pecunia in quæstu non erit. Ita judicatum refert *ibidem.* Nos verò putamus 100
ipsam consanguinitatis, & futuri hæredis qualitatem satis indicii & circumstantiarum continere ad negandam donati communicationem. Quanquam ergò (quod adversariorum palmarium argumentum est) à propinquo, aliove transversâ lineâ consanguineo data non tenemur in commune conferre cæteris propinquis, arcebimus tamen istinc alterum conjugem aliâ de causâ, quod donatum descenderit à titulo gentis, & sanguinis, matrimonium antecedente, cedatque in partem, & vicem obventuræ hæreditatis. Planè si modica sit donatio, ut maximè à proximâ 101
personâ, imò vel ab ipsis ascendentibus facta, si non futuræ hæreditatis causam contineat, rectè dixeris quæstum inter conjuges constituere. Ut ecce, penoris aliquid subinde à socero conjugibus datum est, modica hæc liberalitas est, quæ proinde in erciscundâ familiâ non curanda, sed utrique facta censetur. Carpzov. *part.* 2. *defin. forens. const.* 12. *def.* 38. *n.* 8. 9. & *part.* 3. *const.* 23. *def.* 15. *n.* 1. 2. & *lib.* 5. *Resp. jur. Elector. tit.* 10. *resp.* 116. *n.* 14. & *seqq.* Mev. *d. tit.* 2. *art.* 12. *n.* 74. & *seqq.* Sande *d. defin.* 4. *in fin.* Groenew. *ad l.* 20. *ff. de in rem vers.* D. Matthæus *d. parœm.* 3. *n.* 8. *in med.*

De eo quæsitum est. Pater diem obiit, relictis duobus libe- 102
ris, filio, cum filiâ. Filia in commodum filii, fratris sui, renunciat paternæ successioni: hæc portio eritne proprium fratris,

an verò quæstus, uxori suæ communicandus? Pro proprio facit, quod hæc successio processerit à latere & lineâ mariti, eique accreverit per repudiationem sororis, quasi facta contemplatione fratris, agnationis, & familiæ. *arg. l.*10.*§.*6.*ff. de vulg.& pupill.*
103 Distinguit Charondas *liv.* 8. *resp.* 48. *&* 64. inter successionem futuram, & jam quæsitam. Renunciationem quæsitæ successionis fratri factam pro quæstu habet, ceu donationem sororis de bonis quæ ad eam pertinebant pleno, solidoque jure. Futuræ autem successionis renunciationem vivente patre vel matre factam pro proprio fratris reputat, cum mediâ eâ solus filius hæ-
104 res patris vel matris extiterit. Verum ille nititur præfatâ eâ hypothesi, quasi à lateralibus donatum ilicò pro quæstu habeatur, quam nos ubertim profligavimus modò. Itaque & hoc casu inspiciendum erit, an fortè soror, quæ liberis caret, & fratrem optat hæredem, ejus commodo paternæ successioni renunciaverit: an verò, dum liberos habet, de litibus meticulosa, acceptis nummis hæreditatem fratri cesserit, ut & circà hanc quæstionem idem cum superiori sit respondendum. Quod & placet Choppino *ad ll. And. lib.* 3. *cap.* 2. *tit.* 3. *n.* 19. Confer Berault *sur les coust. de Normand. art.* 329. *vers. Arrest.*
105 A Principe donatum non communicari uxori placuit Choppino *de morib. Paris. lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 12. Did. Perez. *ad Ordin. Regn. Castell. lib.* 5. *tit.* 4. *l.* 2. *vers. O en hueste del Rey. §. dona-*
106 *tio simplex.* Delomm. *d. tract. art. ult. lit. S.* Id quod tum demum admiserim, si sermo sit de munere personalissimè marito dato, quod nec ad donatarii liberos, hæredesve alios protenditur, sed statim ab ejus obitu in corpus principalis diadematis recurrit. Idem Choppinus *ad ll. And. lib.* 3. *cap.* 3. *tit.* 1. *de mu-*
107 *liebr. dotal. n.* 4. *in fin.* Alioquin nulla ratio est, cur non & à Principe donatum, alteri conjugi sit communicandum. Duret *ad d. art.* 186. *lit. g. in fin.* Bacquet *aud. chap.* 21. *n.* 55. D. Mat-
108 thæus *d. parœm.* 3. *n.* 8. Illud vulgò receptum est, quæ utrique conjugum donata sunt, ea communicari, & in quæstu esse. Itaque

que quæ in ipsâ nuptiarum festivitate ab amicis & convivis donantur, si non appareat mens dantis, cui ex novis nuptis ea peculiaria esse voluerit, communia erunt. Berlich. *part.3.pract. conclus.* 32. Carpzov. *part.* 3. *defin.forens.const.* 22. *def.* 1. & 2. Moller. *ad eand. const.* 22. *n.* 2. Mev. *d. art.* 12. *n.* 63. Diod. Tulden. *in Cod.tit.de donat. ant. nupt. n.* 6. D. Matthæus 109
d. n. 8. Etenim in universum verum est, ut & ab extraneo facta donatio non sit communis, si donator expresse caverit, ne quid de eo quod donabat alteri conjugum communicaretur: est enim in potestate donantis, quam velit, legem donando rei suæ adjicere. *l. quoties.* 3. *C. de donat. quæ sub mod. l.* 9. *C. de donat.* Argentr. *d. gl.* 1. *n.* 8. Charond. *aud. art.* 246. *à pr.* & 8. *resp.* 64. Choppin. *de mor. Paris. d. tit.* 1. *n.* 12. *in fin.* Papon. *lib.* 15. *tit.* 2. *arr.* 16. Duret *sur Orleans. art.* 217. *verb. qu'il y eust.* Herbai. *rer. quotid. cap.* 13. §. 5. *à pr.* Giurba *ad Messan. cap.* 1. *gl.* 3. *n.* 47. Mean. *ad jus Leod. part.* 3. *obs.* 347. *n.* 4. Sande *d. defin.* 3. *vers. At in.* D. Matthæus *d. n.* 8. Cui congruit statutum Civicum *rub.* 28. *art.* 5. Quod autem Choppi- 110
nus *d. loc.* secutus Molinæum *ad* §. 283. *constit. Burbon.* hanc cautionem non proficere autumat, ubi universorum bonorum socii conjuges sunt, id perperam factum est. Cum enim feuda etiam ubi universale bonorum consortium conjugibus intercedit, eo nomine non fiant communia, quod ea lex bonis primitus imposita sit, ne invito Domino alienari, vel communicari possint, *uti dictum suo loco*, quidni & quilibet alius hanc legem rebus suis donandis imprimere possit, ne communionem recipiant?

Ecquid judicandum de rebus quæ donatæ sunt à patrinis, qui 111
infantem à SS. Baptismate susceperunt? Plerisque placuit pro quæstu ea dona habenda esse: non enim infanti, sed parentibus, quorum contemplatione facta donatio est, ea acquiruntur. Infans namque hæc dona proprio affectu meruisse non videtur, verum offeruntur puerperæ, in signum lætitiæ, causâ recentis partus

tus, eò magis marito communicanda, quia genitor est, quia communibus loculis sustinet onera puerperii, epulique solennis, quod susceptoribus illis unà cum amicis ex more regionis exhiberi solet: nisi nuncupatim aliter dixerint donatores. Giurba *observ. decis. 6. per tot.* Busius *ad l. 3. ff. de his qui sui vel al. jur. n. 5.* Diod. Tulden. *ad Instit. tit. per quas pers. cuique acq. cap. 2. in fin.* Groenew. *ad l. 19. ff. de Pecul. n. 2. 3.* D. Someren *d. tract. de jur. Noverc. cap. 10. sect. 1. n. 3.* Consonant consue-
112 tudines Antverpienses *tit. 41. n. 66.* Distinctione datorum rem expediunt Bergizomii *tit. 14. van rechten gehoude luyden aengaende, art. 33. Item onder de geconquesteerde goederen is oock begrepen, 't gene by peters of meters op den doop gegeven wert, welverstaende van ruerende, en haefdeelige goederen, maer van erffgoederen, en rentebrieven sullen volgen den kinde die 't selve gegeven is.* Id est. *Inter conquisita bona, continentur quoque ea quæ à susceptoribus vel susceptricibus Baptismi tempore dantur, si mobilia ea fuerint; sin immobilia, redditusve annui, infantis erunt, cui donata sunt.* Fortè eo quod mancipationis, vel cessionis litteris inserto infantis nomine, donator sat declaraverit, velle se donatum ipsi infanti, non verò parentibus ejus fore
113 acquisitum. Saxones tamen à patrinis donata indistinctè ipsi infanti addicunt. Carpzov. *in jurispr. Consistor. lib. 2. tit. 17.*
114 *def. 272.* In tantum, ut patre facultatibus lapso, in concursu creditorum, infanti, ratione istorum munerum, jus tacitæ hypothecæ concedant. Idem Carpzov. *part. 2. const: forens. const. 24. def. 18.*

115 Interdum & fortuna aliquid donat, cum maritus thesaurum reperit, quo casu dubitandum est, illene pro proprio, an verò pro quæstu habendus sit? Herbai. *rer. quotid. cap. 16.* thesaurum à marito in suo fundo inventum, soli marito proprium, in
116 alieno verò, utrique conjugi communem esse autumat. Verum ille inventionis jura malè confundit cum jure conjugum. Thesaurum, quem quis in suo loco invenit, Divus Adrianus, natu-
ralem

ralem æquitatem secutus, inventori concessit, ex regula sc. juris 117
naturæ, sive gentium, de rebus quæ nullius sunt, occupanti concedendis: si verò in alieno, non datâ ad hoc operâ, sed fortuito invenerit, dimidium ejus soli Domino adjudicavit: is enim inventori objicere posset nihil esse verosimilius, quam quod à majoribus suis profectus sit, (si nimirum in fundo hæreditario inventus thesaurus fuerit) cum in proprio tutius, quam in alieno thesauri condantur; deinde, fundi, in quo tanto tempore defossus, & asservatus est, quodammodo beneficium esse. Quam diversi juris rationem reddit Vinnius. *ad. §. 39. Inst. de rer. di-* 118
vis. Nos autem rogamus, an non integer thesaurus, si in suo, vel dimidiatus, si in alieno inventus sit, uxori sit communicandus, quod certè negare absonum foret. Quanquam enim thesaurus non est fructus fundi sui. *l. 3. §. 12. ff. sol. matrim. l. 63. §. 3. ff. de acquir. rer. domin.* non tamen etiam fundi accessio est. Inde thesaurum invenire inter acquirendi dominii modos refertur, adeo ut ejus dominium non aliàs adipiscar, quam si eum apprehendero, & loco movero. *l. 3. §. Neratius, ff. de acquir. possess.*
Proinde eodem jure marito cedit, quo feræ bestiæ, res pro derelicto habitæ, gemmæ, lapilli inventi in littoribus, cæteraque 119
ἀδέσποτα, quæ inventa nemo affirmabit in quæstu non esse. Giurba *ad Messan. cap. 1. gl. 3. n. 18.* Itaque rectius extranearum donationum jure inventum thesaurum censebimus. Fortunæ enim donum vocatur. *d. l. 63. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* Casui fortuito adscribitur. *d. §. 39. Inst. de rer. divis.* Imper. Leo thesaurum beneficium Dei appellat. *l. un. C. de Thesaur.* Quare Tha- 120
merlanes Scytha dicebat, *quia pecunia inventa Majorum meorum non fuit, neque eorum effigiem refert, relinquamus eam inventori, cui Deus detulit.* Uti, ex aliis, Camerarius *Meditat. Histor. cent. 1. cap. 63.* Nerva quoque Imperator (cujus vitam perscripsit Philostratus) thesaurum pro lucro edixit. Cum enim ei Atticus scripsisset. *Thesaurum, Imperator, domi meæ inveni, quid de eo faciendum esse jubes.* Respondit. *Utere repertis.* Et

 cum

cum Atticus, perstans in sua scrupulositate, scripsisset iterum. *Majorem esse thesaurum, quam pro suæ fortunæ modo.* Respondit iterum. *Abutere ergo lucro, quando tuum est.* Consentit
121 D. Matthæus *d. parœm.* 3. *n.* 9. Verum hæc quæstio apud eos cessat, qui inventos thesauros Principi, vel Fisco addicunt, ut de Germania, Gallia, Anglia, Hispania, Dania, testatur Grotius *de jur. Bell. & pacis. lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 7. De Sicilia, Giurba *d. gl.* 3. *n.* 19. Saxones verò eos solos thesauros fisco attribuunt,
122 qui profundius aratri meatu defossi sunt. *lantr. part.* 2. *const.* 53.
123 *& ibi Moller. in comm.* In Hollandia inter Patronos Fisci, & inventores de eo disceptatum esse tradit idem Grotius, nihil hujus definiens. *lib.* 2. *Isag. part.* 4. *in fin.*: post quem Groenewegius *ad d.* §. 39. *Inst.* intrepidè affirmat, Hollandos Romani juris
124 constitutionem sequi. Apud nos quoque non invenio thesaurum unquam Fisco cessisse.

Pergamus ad ea quæ rebus nostris accedunt per alluvionem,
125 consolidationem, aliumve similem modum, vel quæ ex rebus nostris nascuntur, aut proveniunt. Quod alluvione accedit prædio mariti, non communicatur uxori, sed ejus fit, cujus fundus est, cum rem sequatur. *l. ult. Cod. de Alluv. l.* 24. § *si quis.* 2. *ff.*
126 *de legat.* 1. §. *Præterea. Inst. de Rer. div.* Unde non cedit fructuario, tanquam fructus fundi. *l.* 9. §. 4. *ff. de usufr.* Argentr. *d. gl.* 2. *n.* 22. Valla *d. tract.* 13. *n.* 5. Boguet *d.* §. 2. *n.* 9. Godefroy *d. loc. vers. Le mesme.* Herbai *Rer. Quotid. cap.* 16. Fred. à Sande *ad cons. Feud. Gelr. tit.* 2. *cap.* 5. §. 1. *n.* 3. Goris *in adversar. tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 27 *in not.* (Quid apud Hollandos circa alluvionem obtineat, dixi supra. *tract.* 1. *de connub.*
127 *bon. societ. n.* 75.) Idem judicium est consolidati ususfructus cum proprietate. *text. apert. in l.* 4. *ff. de jur. dot.* ubi ait ICtus Paulus. *Si proprietati nudæ, in dotem datæ, ususfructus accesserit, incrementum videtur dotis, non alia dos, quemadmodum si quid alluvione accessisset.* Valla *d. n.* 5. Covarr. *part.* 2. *de Matrim. cap.* 7. §. 1. *n.* 11. Gomez. *lib.* 2. *var. resol.* 15. *n.* 21. *& ad*

ad l. Taur. 50. *n.* 78. Molina *de Just. de Jur. disp.* 433. *vers. Dubium.* Did. Perez *ad Ordin. Regn. Castell. lib.* 5. *tit.* 4. *leg.* 4. *vers. Septimo suadetur.* Jo: à Sesse. *decis. Regn. Aragon.* 25. *n.* 102. Gutierr. *lib.* 2. *pract. quæst.* 16. *n.* 1. Garsias *de Expens. cap.* 22. *n.* 10. *& de Acquæst. n.* 93. Castil. Sotomaj. *de usufr. cap.* 76. *n.* 3. *& seqq.* Nec ullam rationem video, cur in contra- 128
riam opinionem secesserint Boërius *ad consuet. Bitur. tit.* 8. §. 2. *vers. Sed quæro, lit. a.* Chassan. *ad Burgund. rub.* 4. §. 2. *verb. Et acquests. n.* 12. Ferron. *ad Burdegal. tit.* 2. *de retract.* §. 23. *vers. Sic responsum est.* Suarez *in l.* 1. *tit. de bonis acquis. n.* 59 *vers. Pone quod maritus.* Quæ enim rebus alterius ad- 129
jiciuntur ex natura, & vi propria, non fiunt utrique conjugi communia. *non oportet id communicari, quod quis non propter societatem, sed propter rem suam acquisivit.* inquit ICtus Ulpianus *in l. verum* 63. §. *pen. ff. pro soc.* Inde si stante matrimonio creverint 130
prædiorum nostrorum pretia, hoc augmentum intrinsecum non erit in quæstu. Covarr. *d. n.* 12. *vers. Tertio.* Lupus de Palac. Ruv. *in Repet. Rubr. de donat. int. vir. & ux.* §. 62. *n.* 14. Gutierr. *d. n.* 1. *vers. Tertio.* Coren *consil.* 18. *in notis, sub n.* 38. Groenew. *ad Grot. Isag. lib.* 2. *part.* 12. *lit. C.* Et quanquam 131
multi ex Doctoribus tum usumfructum utrique conjugi communem faciunt, cum non ex jure & causa proprietatis, sed emptionis titulo prædiis accessit, in continenti tamen sese explicant, ut ususfructus quidem ad proprietatem pertineat, verum uxori sit refundendus semis pretii, quo redemptus est ususfructus, ad instar cæterarum expensarum & meliorationum in fundo alterius stante matrimonio factarum. Covarr. *d. loc. n.* 12. Molina *d. vers. Dubium. in fine.* Garsias *d. loc. vers. Ex quo. & d. tract. de acquæst. n.* 94. 95. Giurba *ad Messan. cap.* 1. *gl.* 2. *n.* 114. *De quo paulo post.* Illud fortasse diversum jus constituet, si prædium 132
æstimato doti datum sit, postea autem ususfructus ad suam proprietatem revertatur. Cum enim æstimatio veram faciat venditionem. *l.* 10. §. 4. 5. *ff. de jur. dot.* ususfructus accedet prædio

non alteri conjugatorum proprio, sed utrique communi, communi lucro. Molina *d. loc.* Confer Did. Perez. *ad d. l. 4. vers. sed huic ultimò dubio.* Fabrum *in Cod. 5. tit. 8. def. 27.*
133 *n.* 8. Idemne dicendum si utile emphyteuseos, vel feudi alterius dominium in matrimonio consolidetur cum directo? Consolidatio hæc non uno fit modo. Aut enim feudum vel emphyteusis concessa est in certas & determinatas generationes, quibus deficientibus cautum est desinere concessionem, & dominium utile ad directum reverti. Desinit quoque emphyteusis ob canonem non solutum. Aut cum propter ingratitudinem, feloniam, vel inficiationem clientelæ, feudi commisso plectitur vasallus. Et rectè à plerisque responsum est, quolibet modo commissum quæratur, patrimoniale esse Domini feudi, nec quicquam alteri conjugum acquiri. Etenim quoties res consolidatur rei, à qua olim abstracta est, ex causa, aut lege concessioni primariæ apposita, censetur ejusdem, priorisque naturæ, & jure postliminii sic reverti, ut semper mansisse videatur in eo corpore unde abstracta erat, non per modum acquisitionis novæ, sed per modum extinctionis, & desinentiæ. Covarr. *d. §. 1. n. 9.* Argentr. *d. gl. 2. n. 11. & seqq.* Valla *d. n. 5.* Choppin. *de Morib. Paris. lib. 1. tit. 2. n. 40.* Charond. *liv. 7. resp. 120.* Duret. *sur Orleans, art. 373. in fin.* Jos. à Sesse *d. decis. 25. n. 95. & seqq.* Delommeau *en sa jurispr. liv. 2. art. 284. vers. Autre chose. & art. 441. à la fin.*
134 Garsias *d. cap. 22. n. 11. & de Acquæst. n. 98.* Giurba *ad Messan. cap. 1. gl. 2. n. 73.* Itaque erroris arguendi Molinæus; *ad Paris. §. 43. n. 186.* Rosenthal. *tract. de Feud. cap. 5. concl. 67.* Idem Sesse *sibi contrarius decis. 63. n. 31. vers. Aliquando.* Chistin. *ad LL. Mechlin. tit. 16. art. 34. n. 8.* qui acquisitionem novam existimant, quando propter abnegationem, vel ingratitudinem feudum in commissum cadit, quasi hoc casu feudum non finiatur per se, sed per accidens, ex causa extrinseca, in pœnam ingratitu-
135 dinis. Formaliter namque & propriè à causa & concessione feudali, & ipsius actus natura commissum resultat, ob violatum fideli-

deli-

delitatis sacramentum. Etenim delictum per se consideratum, absque qualitate Dominica, vel clientelari, non faceret committi feudum, sed sine ista consideratione remaneret delictum promiscuum & commune, subjectum vulgaribus delictorum coërcitionibus & pœnis. Quapropter eo nomine Molinæus jure merito reprehensus est ab Argentræo. *d. loc. n.* 13. *& seqq.* 136
Boguet. *d. tit. des gens mar.* §. 2. *verb. en acquests. n.* 5. Godefroy *sur Normand. ad rubr. art.* 304. *& art.* 329. *vers. de l'appellation.* 137
D. Matthæus *d. loc. n.* 26. Illud nihilominus verum est, si Dominus acquirat aliunde quam à causa feudi, ex promiscuis sc. contractibus, dum datis nummis feudum redemit, quæstuum jure illud venire. Hæc enim unio adventitia est, non profectitia, id est accidentaria, non nativa, quæque merâ patrisfamilias voluntate & libertate exercebatur. Itaque necesse est, ut redemptum uxori communicet, aut semissem pretii refundat. Choppin. *d. loc.* Argentr. *d. gl.* 2. *n.* 17. *vers. sic quæ.* Garsias *d. n.* 98. *in fin.* Giurba *d. loc. n* 74. *& in decis. Regn.* 138
Sicil. 92. *n.* 1. D. Matthæus *d. n.* 26. De confiscato feudo dissimile judicium est. Confiscatio enim non provenit à causa feudi, sed ratione jurisdictionis & imperii. Feudum autem & jurisdictio nihil habent affine, licet non raro contingat feudum cum jurisdictione concedi. Itaque obventiones jurisdictionis in fructu consistunt, sicut quodvis aliud adventitium lucrum. Costal. *ad l. fructus.* 7. §. *si vir, in fin. ff. solut. matr.* Gomez *ad l. Taur.* 50. *n.* 33. *vers. Quarto.* Choppin. *ad ll. And. lib.* 1. *cap.* 42. *n.* 19. *ferè in fin.* Argentr. *d. gl.* 2. *n.* 16. Valla *d. n.* 5. *in fin.* Boguet. *d. n.* 5. Baëzia *tract. de Decim. Tutori, Hispan. jure, præstanda. cap* 22. *n.* 13. Sande *de Feud. d. cap.* 5. §. 1 *n.* 8 Ferron. *d.* §. 23. *vers. Ideoque si quid ex bonis: cujus tamen substratam rationem reprobam refutavimus supra n.* 128. *& seqq.*
In quæstu quoque computantur merces, & aliæ res quæ Fisco, 139
& publicanis ejus committuntur, ob fraudem edicto de vectigalibus factam. D. Matthæus *d. loc. n.* 26. *à pr.* Idem accidit in 140

hæreditatibus nothorum, & spuriorum, sine hæredibus mortuorum, quæ extra feudi causam alibi addicuntur merum Imperium habentibus in loco domicilii, aut situs. Molin. *d.* §. 43. *n.* 183.
141 Argentr. *d. gl.* 2. *n.* 17. D. Matthæus *d. loc. n.* 25. *in fin.* Utcunque, quantum ad confiscata & hæreditates nothorum, dissentiat Godefroy *ad d. art.* 329. *vers. le doute.*, qui ea proprium esse statuit ejus, qui jurisdictionem habet. Quod & definitum est statutis Casletensibus. *Cost. en usant. der Stede en Casselrye van Cassele, art.* 292.

Quæ nascuntur ex rebus nostris, aut ab iisdem proveniunt,
142 uno & communi nomine fructus appellantur. Hi si vel extent, vel si ex iis comparatum quid, aut acquisitum sit in partem ejus admittitur conjux, ut nihil intersit ex quibus rebus percepti sint fructus, communibus, an verò ex cujusque propriis & receptitiis. Itaque & fructus ex feudis & fideicommissis, quæ commu-
143 nionem non recipiunt, redacti, communes erunt, nisi nominatim communioni exempti sint, vel in coëundis nuptiis convenerit, ut & fructus stante matrimonio percipiendi substantiam alterius ex conjugibus augeant. Muta *ad consuet. Panorm. cap.* 47. *n.* 120.
144 Quod latius executi sumus *in comm. ad Novell. const. Ultraj. art.* 6. *n.* 32. *& seqq.* Fructus quoque omnium eorum, quæ in matrimonio, citra communionem, cuique obvenerunt, ut hæreditate, legato, donatione, consolidatione, & similibus modis supra à nobis enarratis. Gomez. *ad d. l. Taur.* 50. *n.* 11. 33. Muta *ad Panorm. cap.* 44. *n.* 48. 49. Giurba *d. tract. cap.* 1. *gl.* 3. *n.* 13. Grotius *lib.* 2. *Isag. part.* 12. *n.* 11. omnesque uno ore Doctores ad singulas præfatas materias suo loco citati.

145 Venit & sylva cædua, quæ scilicet in hoc habetur ut cæderetur, & quæ excisa ex stirpibus, vel radicibus enascitur. *arg. l. qui fundum.* 40. §. 4. *ff. de contrah. empt. l. sylva.* 30. *ff. de V. S.* Alciat. *ad d. l.* 30. *n.* 1. Costal. *ad l.* 7. §. *si fundum. n.* 7. *ff. so-*
146 *lut. matr.* Barbosa *ad eund.* §. *si fundum.* (*apud quem tamen d.* §. *legis est.* 8. *divortio*) *n.* 1. Etiamsi non renascatur nisi post longum

gum tempus: Garsias *de Expens. & Melior. cap.* 11. *n.* 35. Barbosa *d. loc. n.* 2. *& seqq.* Busius *ad l. ex sylva.* 10. *ff. de usufr. n.* 17. Dixi cum ICto Gaio, *quæ in hoc habetur, ut cæderetur.* Quid enim si animi causa, platanum, ulmum, fagum, fraxinum educaverim? Quid si sylvam antiquam, eandemque glandariam habeam, quam nunquam cædere solitus fuerim, sed subulcis locare? Non dicetur sylva cædua, nec quæstuum communioni subjicietur. Alciat. & Barbos. *dd. ll.* Busius *d. loc. n.* 3. 147

Quid de cæspitibus & tessellis ustilibus, quæ apud nos ex terra palustri, seu famelicosa, effodiuntur, quibusque ad solem siccatis utimur ad ignem struendum, fovendumque? Et quia hisce cæspitibus effodiendis fundus redditur deterior, fundique substantia consumitur, dicendum omnino est, soluto matrimonio æstimationem præstandam esse conjugi, qui fundum istum in matrimonium contulerat, adinstar lapidicinarum, quæ non renascuntur, & excisæ fundum reddunt deteriorem. *l.* 32. *ff. de jur. dot. d. l. fructus* 7. *§. si vir.* 13. *ff. sol matrim.* solum ergo interusurii commodum in quæstu fore. Confer ea quæ de sylva cædua, & cæspitibus tradiderunt D. Rodenburg. *de jur. conjug. tit.* 2. *cap.* 4. *de conjug. gratif. potest. n.* 34. 35. *p. m:* 284. *& seqq.* Sande *lib.* 5. *defin. Frisic. tit.* 3. *def.* 2. 148

Quantum ad fructus, non interest, an naturales ii sint, an civiles. Proinde fœnus, usuræ, pensiones annuæ, quas titulo reditus annui, census, locationis, emphyteuseos, aut quo simili percipimus, communicantur. Sanz. *de divis. bonor. d. cap.* 11. *n.* 24. *& seqq.* D. Ant. Matthæus *d. parœm.* 3. *n.* 24. Reditus quoque vitalitii universi, huic communioni cedunt. *Ordin. decisor. anni* 1659. *art.* 9. *ad quem nos multa in comment.* Item salaria, honoraria, stipendia, & mercedes, quæ maritis solvuntur. Sunt enim fructus quidam civiles artis, scientiæ, operæ, muneris publici, quod gerimus. Lupus de Palac. Ruv. *d. §.* 62. *n.* 19. *& seqq.* Suarez. *ad d. l.* 1. *tit. de bon. acquis. n.* 361. Gutierr. 149 150 151

lib. 2.

lib. 2. pract. quæst. 119. *n.* 7. Gomez *ad d. l. Taur.* 50. *n.* 72. *ferè in fin.* Sanz. *d. cap.* 11. *n.* 46. Giurba *d. gl.* 3. *n.* 17. Muta *d. cap.* 44. *n.* 51. D. Matthæus *d. n.* 24. Nec ſpeciem rationis
152 video ob quam in contrarium iverit Garſias *d. tract. de ac-*
153 *quæſt. n.* 114. Circa ſtipendia militaria variatum ſententiis eſt. Hæc enim communioni eximit, maritoque ſoli addicit Sanz. *d.*
154 *cap.* 11. *n.* 9. 45. Quod alii tum demum admittunt, ſi ſuis expenſis militatum iverit maritus, cæterum ſi communibus ſtipendia fecerit, in commune ea quæſita eſſe. Lupus de Palac. Ruv. *d.* §. 62. *n.* 18. *vers. & iſta conſuetudo.* Suarez *d. loc. n.* 32. Did.
155 Perez *ad Ordin. Regn. Caſtell. lib.* 5. *tit.* 4. *leg.* 2. *verb.* *O en hueſte del Rey.* Rectius indiſtinctè etiam iſta ſtipendia communioni includemus. Quæſtus enim communis eſt, quicunque conſtante matrimonio fit, nullâ habitâ conſideratione ad communes utriusque, vel alterius tantum conjugis expenſas. Quin imo vel ſolo mariti labore & induſtriâ parta, legis miniſterio, uxori quoque actutum communicantur, dum forte uxor otioſa domi totos ſedet dies: *uti dictum ſæpius.* Itaque univerſalis noſtratium quæſtuum communio non permittit, ut de militaribus ſtipendiis aliud dicamus, quam de cæteris lucris undecunque provenientibus. Caldas *ad l. ſi curatorem, verb. læ-*
156 *ſis. C. de in integr. reſtit. n.* 90. *verſ. tamen apud nos.* Giurba *d. n.* 17. *in fin.* Muta *d. cap.* 44. *n.* 52. Ut uno verbo plura dicamus, omne illud, quod deductâ & extractâ cujuſque illata ſorte, propriiſque bonis ſupereſt, quæſtum vel ſuperlucratum appellamus, utrimque dividuum.

157 Illud monuero, quantum ad fructus ſoluto matrimonio, vel communitati, vel ſoli ſuperſtiti, ceſſuros, non ubique conſonare mores. Sunt enim, qui omnes univerſim fructus, ſive naturales, ſive civiles ſint, non alias communioni concedunt, quam ſi illi fructus tempore obitus à ſolo ſeparati ſint, itidem circa mercedes locatorum agrorum, non tempus condictæ ſolutionis, ſed perceptorum fructuum, reſecti nempe frumenti, vel fœni ſpectant:

ctant: quin nec reditus ex hypotheca, vel aliis cautionibus præstandos communioni inferunt, nisi quorum integer annus decurrerit horâ mortis, pro rata temporis nihil eorum computant. Transisulani *lantr. part.* 2. *tit.* 2. *art.* 9. Daventrienses *part.* 3. *tit.* 2. *art.* 12. 13. 14. Gandenses *part.* 4. *rubr.* 25. *art.* 24. Bellenses *rub.* 8. *van successie, art.* 7. Alii communioni etiam 158
fructus pendentes indunt, qui communi sumptu eo anno exculti sunt, quo alteruter obierit, ut viritim dividantur inter defuncti hæredes, & conjugem superstitem. Choppin. *ad ll. And. lib.* 3. *tit.* 2. *n.* 22. Bouvot. *en ses arrests tom.* 2. *verb. societè, quest.* 34. Barbosa *part.* 1. *l. divortio.* 8. *in pr. ff. solut. matrim. n.* 28. 29. Castill. Sotomaj. *de usufr. cap.* 77. *n.* 27. *& seqq.* Confer Carpzov. *part.* 3. *de-* 159
fin. forens. const. 32. *def.* 6. *& seqq.* Quin imò, vel in sylvis cæduis ratam temporis considerant, ut si sylva sit quæ postremo cujusque lustri anno matura cædatur, moriatur autem alter sub finem tertii anni, terna quoque portio cæsorum quinquennio lignorum communioni cedat. Charond. *liv.* 4. *resp.* 38. Alii fructus natura- 160
les, qui naturâ sui & per se proveniunt magis, quam hominis industriâ, uti fœnum, glandes, poma, pira, nuces, similesque fructus à solo nondum separatos vel perceptos soli proprietario addicunt: industriales verò, qui operâ factoque hominis indigent, licet ex ipso corpore prodeant, uti sata, vineæ, & id genus alia: itemque fructus civiles totius anni, communes faciunt. Bituricenses *tit. des mariages. art.* 23. 24. 25. *& ibi Labbè in comm.* Delommeau *aud. liv.* 2. *art.* 239. Moribus nostris negotium 161
hoc componimus secundum regulas, quæ de usufructuarii jure sunt, & in naturalibus fructibus spectamus tempus perceptorum fructuum, resecti frumenti, vel fœni: quod si mortis articulo non contigerit fructus postea perceptos proprietario concedimus, refuso defuncti hæredibus impendiorum factorum semisse. Civiles verò fructus, fœnus, usuras, pensionis item annuas, quas titulo reditus annui, census, locationis, aut quo simili percipimus, pro rata temporis, quo matrimonium stetit, commu-

nioni inferimus. Consentiunt Tilenses *stadr. tit.* 5. *art.* 20. Antverpienses *tit.* 41. *art.* 67. Parisienses *art.* 231. *& ibi Charond. & Tronçon.*

162 Ex hisce atque superioribus liquet, quæstuum conjugalium societatem pinguiorem esse societate quæstus Romanis usitatâ. Si quid comparatum sit ex fructibus eorum, quæ alterius conjugum erant, verborum vis eo illos redigebat, ut participationi locum esse negarent: nec enim Romanis pro quæstu cedebat, quod nec ex empti, nec ex locati successu prospero, nec alio industriæ, aut artis modo quæsitum erat. *l.* 7. *l.* 8. *ff. pro soc.* quod contrà moribus nostris obtinere, demonstratum suprà. Non item Romani hæreditatem, legatum, vel donationem in quæstu posuerunt, quia non sine causa obveniunt, sed ob meritum aliquod accedunt. *l.* 9. *l.* 10. *l.* 11. *ff. eod.* cujus contrarium nostris hominibus placet, si ab extraneis & quibus succedere non possumus institutio, legatum, vel donatio obvenerit: nec enim inspicimus, cujus de conjugibus merito, aut consideratione lucrum obortum fuerit, exigimus tantum ut alteri quæsitum sit, nam cætera lex communicat, modò expressim non dicatur, cui soli illud pro-
163 prium sit futurum; *de quo suis locis egimus latius.* Quamobrem existimo connubiale quæstuum consortium, novum aliquod & suum societatis genus esse, quam saltem societatem (si illatas opes, & si quid ex causa nuptiis anteriori cuique sit obventurum, unà cum corporibus miscere nolint conjuges) jus & lex matri-
164 monii secum trahere videtur. Hæc eo faciunt, ne à Romanorum societatis quæstus genere, ad nostrum conquisitorum deductum argumentum facile admittamus, necessaria namque consequentia non est, non veniunt in legalem illam societatem, ergo nec in hanc connubialem: quod & observatum est Herbaio *Rer. Quotid. cap.* 14. Sande *lib.* 2. *tit.* 5. *def.* 3. *&* 4. Burgund. *de Evict. cap.* 35. *n.* 4. *in fin.* Argentr. *ad consuet. Brittann. art.* 408. *gl.* 3. *& art.* 418. *gl.* 1. *n.* 1. *&* 7. Mornac. *ad l.* 7. *&* 8. *ff. pro soc.*

165 Restat inspectio de malè & illicitè stante matrimonio acquisi-

tis.

tis. Uti furto, rapinâ, concussione, injuriâ, aliove scelere. Hæc conjugi socio non communicari, sed acquirenti propria esse tradunt Lupus de Palac. Ruv. *d. rubr. §. 65. n. 1. & seqq.* Did. à Segura *de lucr. mar. & ux. n.* 160. Did. Perez *ad Ordin. Regn. Castell. d. l. 2. verb. O. en hueste del Rey. vers. Quæritur de quibus lucris.* Costal. *ad l. 52. §. socium. ff. pro soc.* Suarez *d. tit. de bon. acquis. n.* 38. Peck. *de testam. conjug. lib. 2. cap. 2. n. 1. & seqq.* Gratian. *tom. 2. discept. forens. cap.* 243. *n.* 42. Giurba *d. gl. 3. n. 40. & cap. 2. n. 2.* Muta *d. cap.* 44. *n.* 84. Garsias *de Acquæst. n.* 71. cum delictorum turpis atque fœda communio, rerumque inhonestarum nulla societas sit. *l. 53. l. 57. ff. pro soc.* Verum non video, quî in erciscun- 166
da familia ea res in cognitionem venire possit: cum enim quæstum appellamus omne id, quod extractâ cujusque sorte superest, isque quæstus quoad dominium & possessionem uxori quoque actutum cedat, utique quod vel ex maleficio in medium collatum est, commune erit lucrum. *d. l. 53. in fin. ff. pro soc.* Et quis maritorum uxoris præmortuæ hæredes à superlucratorum portione arcere præsumet, detegendo propriam turpitudinem, ab alio non detectam? Allegando per quos illegitimos nefariorum hominum tramites in tantam pecuniæ vim tam subito excurrerit? Cui item bono foret ea super illicitè acquisitis altercatio, cum persecutio eorum quæ scelere acquisita probari possunt, Fisco competat? *l. 9. ff. de jur. Fisc.* Hâc forsan ratione motus Suarez. *d. n. 38. vers. Et utinam,* in hæc verba prorumpit: *utinam hæc opinio mea servaretur inter contrahentes societatem, sed quomodo eis persuadetur, cum ferè omnis & tota communicatio est in illicitè acquisitis.* Confer Lupum *d. §. 65. n.* 8. Itaque quandiu Fiscus superlucrata bona ex causa maleficii 167
societati nondum ademit, communioni cedent: in dubio enim præsumuntur bona licitè quæsita, donec Fiscus contrarium probaverit. *l. merito. 51. ff. pro soc.* Lupus *d. §. 65. n. 8. in fin.* Muta *d. loc. n.* 89. Giurba *d. gl. 2. n.* 12.

168 Diximus sæpius expensum, melioratum, & in rem alteri conjugi propriam ex communi arca erogatum, conquisiti titulo & causa venire, eoque nomine alteri conjugi indemnitatem esse præstandam, datâ æstimatione, & refusâ parte pretii: alioqui ea res caderet in prohibitam inter conjuges gratificationem, & donationem. Boër. *ad Bituric. tit.* 8. *§.* 2. *vers. Sed quæro.* Choppin. *de Privil. Rustic. lib.* 3. *part.* 3. *cap.* 4. *n.* 1. *in fin.* Charond. *sur Paris. art.* 220. *à la fin. & liv.* 2. *resp.* 63. *&* 5. *resp.* 10. *& en ses resol. part:* 3. *tit.* 14. *à pr.* Coquille *en son Instit. au droict Franc. tit. des communautez. vers. le bastiment.* Did. Perez. *d. tit.* 4. *l.* 4. *vers. item meliorationes.* Garsias *de Expens. & melior. cap.* 13. *n.* 41. *& de Acquæst. n.* 73. Sande *d. defin.* 3.
169 *vers. reparationes.* Grot. *lib.* 2. *Isag. part.* 12. *n.* 14. Verum de modo æstimandi & refundendi ambigitur. Maritus in fundo feudali, vel aliàs proprio plantavit, ædificavit, vel ejus modi aliquid adjecit, quod fundo cedit, quo modo, ejus ergo, uxori satisfiet? Quidam ex jure Civili hanc difficultatem distinctione expediendam censent, ut si soluto matrimonio melioratio minor sit expensis, eo casu æstimationem meliorationis, non autem omne id quod impensum est, in communionis taxationem venire; quando è contra pretium meliorationis expensas superat, non ipsam meliorationem, sed quod erogatum est, refundendum esse. *arg. l.* 38. *ff. de rei vind. l.* 58. *ff. de legat.* 1°. Fred. à Sande *de Feud. Gelr. d. cap.* 3. *n.* 15. *& cap.* 5. *§.* 2. Bort. *de Feud. d.*
170 *part.* 9. *n.* 5. Inde eveniet, ut si maritus pomarium plantaverit in suo fundo, non præsentem pomarii æstimationem esse considerandam, sed tantum expensas in præparationem soli, ac plantationem arborum factas. Jo. à Sande *lib.* 3. *tit.* 6. *def.* 8. Mean.
171 *ad jus Leod. part.* 2. *obs.* 185. *n.* 1. Rursus si maritus in suo ædificaverit, soluto matrimonio, non quod in ædificationem impensum est, sed quantum nunc ædificium valet, taxandum fore. Giurba *ad cons. Messan. cap.* 15. *gl.* 12. *per tot.* Cancer. *part.* 1. *var. resol. cap.* 2. *n.* 37. 38. Garsias *d. tract. de Expens. cap.*

Sande

Sande *d. lib.* 3. *tit.* 15. *def.* 4. Ratio hujus tam diversi juris redditur hæc, quod uxori ejusque hæredi id solum debeatur, quod eidem decessit, decessit autem ei dimidium solum ejus pecuniæ, quam maritus in rem suam vertit: igitur sufficere videtur, si id quod impensum est, quoque in communi esset, si non expensum, sed in arca retentum fuisset, denuo in commune conferatur. Quando autem plus impensum est quam sit accessionis æstimatio, æstimationis potius quam impensarum habenda sit ratio, quia non sufficit impensum esse, nisi etiam utilitas sit manifesta. Fred. 172
à Sande *d. cap.* 3. *n.* 15. Verum utut hæc distinctio applicari 173
possit, ubi cum possessore, usufructuario, emphyteuta, & similibus agitur, nequaquam tamen consulit indemnitati uxoris, quam præstandam esse inter omnes constat. Utriusque enim causæ dissimilis valde ratio est. Cum quis in rem alienam im- 174
pendit, ac Dominus rem suam vindicat, tum Domini potius quam possessoris causam defendemus, spectantes id quod minus est, ut rem suam tanto facilius à possessore recuperare possit, neve impensarum magnitudine deterritus, derelinquere eandem cogatur Dominus: idem & de usufructuario & emphyteuta, qui in proprietatem alterius impensas fecit, dicendum est, ut proprie- 175
tarius seu dominus præstando id quod minus est, possit defungi. Ast non rectè iidem Auctores conjugem, qui impensam fecit, possessori, alterum, cui ea præstanda est, domino comparant. Cum maritus communi ære prædium suum reddidit melius, non est ille possessor, à quo res meliorata avocanda, vel alteri restituenda venit, sed ipse Dominus. Nec quemadmodum in superiori, ita & hoc casu ulla ratio est, cur marito adversus uxorem favere debeamus, cujus ille curator est. Quid, nonne aliter posito jure, marito integrum foret omnem quæstum insumere plantationi pomariorum in prædiis suis, quo sibi soli, vel hæredibus suis omne lucrum & augmentum inde proveniens applicare possit, remotâ istinc uxore, oblatione ejus solius quod expensum est? Nonne certè invidenda planè res foret, si maritus in arvo,

cujus ſegetes dimidiatim uxoris lucro cedebant, pomarium plantaverit, uxor autem cogeretur intermedio lucro carere, cum arbores initio, & dum incrementum ſumunt, vix ullum fructum exhibent; & ſi longam poſt moram fructuoſior impenſis communibus hic ager factus fuerit, dum arbores ingentum vim fructuum emittere incipiunt, contenta eſſe juberetur uxor eo quod in plantationem impenſum eſt, omne autem augmentum cederet lucro hæredibus mariti? Cum reverà ſit quæſtus ſtante matrimonio factus, quique ex æquo foret dividendus, ſi à fundo ſeparari poſſet, quemque indubiè uxor habitura fuiſſet, ſi maritus ab initio ex communi arca ſumptâ pecuniâ arvum emerit, & in eo pomarium plantaverit, illudque in tantum fructuum creverit. Quid, nonne marito integrum foret, ſuppreſſis impenſarum rationibus, expenſi magnitudinem diſſimulare, & per id uxori partem quæſtus intervertere? E converſo, quis maritorum in arvum uxorium tales ſumptus impenderet, ſi uxoris hæredes fructum laborum ſuorum perciperent, ille autem ſolo expenſorum ſemiſſe à lucro veniret removendus? Itaque adverſæ partis ſententiæ illud ſemper conſequens eſt, plantando vel ædificando in fundo alterius, nunquam parem utriusque eſſe conditionem, ſed ſemper lucrum unius fore, damnum commune. Quid enim ſi maritus non tantum in ſuo ingens pomarium plantaverit, ſed, dum eſſet Equeſtris Ordinis, in territorio ſuo, communi pecuniâ, caſtrum auguſtum exſtruxerit? Soluto morte uxoris matrimonio hoc ædificium foret æſtimandum, eſtque evidens non rarò ædificium etiam recens ſtructum propè dimidio minoris æſtimari, quanto quidem conſtitit: jam gemino onere premerentur uxoris hæredes, primò enim à pomario removerentur, oblato ſemiſſe pretii ſolius expenſi, à caſtro autem, refusâ iis dimidiâ parte pretii quo in præſens æſtimatum erit: quæ res nonnunquam in extremam perniciem ſubſtantiæ uxoriæ verti poſſet, dum interim maritus omni pomarii acceſſione, & viliori caſtri ſui
176 æſtimatione gauderet. Igitur nihil juſtius & æquius eſt, quam &

nun-

nunquam inſpiciamus quid impenſum ſit, ſed maritali poteſtati univerſum patrimonii regimen relinquamus, ſi commodè plantaverit, ſin malè ædificaverit, id omne communi lucro, & damno ſit, inque æſtimando ſemper tempus ſoluti matrimonii ſpectemus; ſicuti videmus in conferenda militiæ æſtimatione placitum eſſe. *l.* 30. *§. imputari, C. de Inoff. teſtam. l.* 20. *C. de Collat.* Hanc ſententiam probant Choppin. *lib.* 2. *de Morib. Paris. tit.* 1. *n.* 29. Charond. *liv.* 2. *reſp.* 79. *vers. J'ay reſpondu.* Coquille, *en ſes queſt. & reſpons. chap.* 94. Mornac. *in obſerv. poſth. ad l.* 1. *ff. de impenſ. in rem dotal.* Bouvot. *des gens mar. art.* 3. *verſ. donare. & art.* 25. *verſ. la recompenſe.* Groenew. *ad eund. tit. ff. de impenſ. n.* 2. D. Matthæus *d. paræm.* 2. *n.* 28. *& ſeqq.* D. Io: à Someren *de jure Noverc. cap.* 12. *n.* 5. *in fin.* Ita judicavit Curia noſtra *in der ſake van vrouwe Maria van Winſen van Heemſtede, wed^e. van wijlen den Heere van Muyſwinckel, Rendante, contra de erfgenamen van den ſelven Heer van Muyswinckel Debattanten, op den* 20 *Decemb.* 1667. Id
quod & variorum locorum ſtatutis definitum eſt, uti apud Ru- 177
remundenſes *d. §.* 4. *n.* 5. Tranſiſulanos *part.* 2. *tit.* 2. *art.* 8. Daventrienſes *part.* 3. *tit.* 2. *art.* 15. Bergizomios *d. tit.* 14. *art.* 36. Tilenſes *tit.* 5. *art.* 19. Antverpienſes *tit.* 41. *art.* 76.
Poſſent tamen oriri caſus, quibus non præcisè impenſa quanti 178
nunc eſt, ſoluti matrimonii tempore, ſed arbitrio boni viri taxanda foret. Ut ecce; maritus è fundo ſuo ingentes moles in flumen projecit, hiſce transjecto flumine adverſa prata non parum abſumpta ſunt, multum alluvionis per id prædiis ſuis adjectum eſt: Flumen, priori ferè alveo derelicto, in aliam partem fluere cœpit, indies exinde augetur mariti alluvio: communi ære jactæ moles tractu temporis propè defecerunt, nec ob quietum à mariti parte flumen iis amplius indiget, quicquid earum reſtat, vix operæ pretium eſt ut taxetur, certè iniquum foret uxorem jacturam molum dimidiatim pati, ad maritum autem ſolum omne alluvionis commodum ſpectare. Æquitas ergo ſuadet, ut impenſæ

pensæ nomine, quæ tantum lucri marito attulit, uxor saltem indemnis servetur. Itaquæ huic rei rectè applicare possis eorum mores, qui arbitrio boni viri partem æstimationis refundi jubent. Antverpienses *d. art.* 76. Bergizomii *d. art.* 36. Bonus autem vir certè non æstimabit moles quanti nunc sunt, postquam operâ suâ sunt functæ, verum considerabit quanto auctiora mariti prædia per eas facta sunt, ut quoniam in partem alluvionis uxor venire nequit, *uti diximus supra, n.* 125. 126. tantum pecuniæ ei præstetur, quantum maritus in rem suam vertendo ex communibus loculis erogavit, quodque revera, & amplius in rem suam versum est.

179 Si ex communi impensum quidem, res tamen in quam impensum est, melior facta non sit, vel si inutilis impensa deprehendatur, non est alteri conjugi desiderandum, ut pars impensarum sibi refundatur, cum nulla melioratio extet quæ æstimari posset, & potestati maritali apud nos id datum sit, ut non tantum quæstum, sed & rem uxoris perdere & dissipare possit. Groenew. *ad Grot. lib.* 2. *Isag. part.* 13. *n.* 14. D. Matthæus *d. parœm.* 3. *n.* 28. D. Someren *de jur. Noverc. cap.* 12. *n.* 5. Lib. Franc. Christinæus *in not. ad Bugnion. liv.* 2 *des loix abrog. sat.* 120.

180 Illud dicendum videbatur, cum impensarum refusionem uxori injungimus, de necessariis & utilibus hoc esse intelligendum, pro voluptuariis enim actio non est, quamvis eas impensas voluntate uxoris fecerit, sed illas tollere maritus potest, si operis facies id patiatur, alioquin uxori relinquendæ. *l.* 9. *l.* 11. *ff. de impens. in rem dot. fact. l. un. §. taceat. C. de rei uxor. act.* Ita judicatum apud Charond. *en ses Pand. liv.* 2. *chap.* 37. *p.* 341. *& liv.* 5. *resp.* 10. Fabr. *in Cod. lib.* 5. *tit.* 1. *def.* 27. *n.* 8. Inde videas præfata statuta passim loqui *van merckelicke verbeteringen, nieuwe, profÿtelÿcke edificien, werck, of melioratien.* Bergizomii tamen

181 *d. art.* etiam voluptuariarum rationem habendam esse statuunt, modò, per eas, res alterius melior facta sit. Quid enim si maritus tabernam aut cœnacula, quæ locari solent, picturis, incrusta-

sta-

ſtationibus exornaverit, quo tanto pluris locentur? Tum nam- 182
que hæ impenſæ utiles exiſtimantur, & exactionem habent. *l.* 7. *§.* 1. *ff. de impenſ. in rem dotal. fact.* Actione ſc. mandati, vel negotiorum geſtorum. *Gloſſ. ibid.* quam ſequuntur Mornac. *in obſerv. poſth. ad eand. leg. & ad l.* 11. *eod. tit.* Giurba *ad Meſſan. cap.* 15. *gl.* 10. *n.* 27. Delommeau *liv.* 2. *de la juriſp. Franc. art.* 286. *vers. Secus.* Quod & apud nos malè affirma- 183
veris, propter prohibitam inter conjuges vel tantilli gratificandi licentiam. Conſentiunt ob eandem rationem Charond. *en ſes Pand. liv.* 4. *chap.* 12. *à la fin.* Valla *de reb. dub. tract.* 13. *in fin.* Claud. Guerin. *ad conſ. Paris. art.* 244. *in fin.* Medioburgenſes *tit. van Rechten aengaende man en wijff. art.* 14.

Superiori conſentaneum eſt, apud nos nihil referre, ex volun- 184
tate mulieris in res dotales impenſas fecerit maritus, nec ne, ſed in univerſum, excluſâ tabulis nuptialibus ſocietate conjugali, utiles impenſas dotem minuere. Groenew. *ad d. tit. ff. de Imp. in rem dotal. fact. & ad d. l. un. §. taceat. ff. de rei ux. act.* Quod & placet Mareſcot. *lib.* 2. *reſol.* 109. *n.* 13. *& reſol.* 113. *n.* 2. *& ſeqq.* Giurb. *d. cap.* 15. *gl.* 8. *n.* 19. Utriuſque tamen volunta- 185
tem in impendendo requirunt Ruremundenſes, Antverpienſes, Bergizomii, *dd. ll.*

Neque hæ impenſæ cum fructibus compenſantur: fructus 186
enim jure ſocietatis in quæſtu ſunt, utrique conjugi communes. Præſ. Everhard. *conſ.* 197. Coſm. Nepita *ad conſuet. Catinenſ. tit.* 18. *n.* 29. Giurba *ad Meſſan. d. cap.* 15. *gl.* 11. *n.* 3. Autumnus *ad Burdegal. art.* 51. *vers. Raiſonnables.* Molina *de Iuſtit. & Iur. diſp.* 433. *verſ. Expenſæ, & ſeqq.* Herbai. *d. cap.* 14. D. Matthæus *d. parœm.* 3. *n.* 27. *ferè in fin.*

Illud nihilominus verum eſt, licere nuptias coëuntibus paciſci, 187
ut uxorius fundus mariti impendio reficiatur, reſtaureturque, nullâ ſpe repetendorum ab eo ſumptuum. Choppin. *ad Paris. d. tit.* 1. *n.* 29. Automne *d. art.* 1. *vers. Ce ſont les opinions. à la fin.* Giurba *d. gl.* 11. *n.* 31. Goris *in adverſ. tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 27. *in not.*

T Hæc

188 Hæc impensarum refusio actionem solummodo gignit personalem ex statuto, vel consuetudine. Itaque si maritus in cujus fundo impensa facta est, eundem vendiderit, emptorique mancipaverit, nulla adversus eum impensæ nomine dabitur actio hypothecaria. Charond. *en ses Pand. aud. chap.* 37. *fol.* 341. *& sur Paris. art.* 220. *à la fin. & liv.* 2. *resp.* 100. *& en ses resolut. part.* 3. *tit.* 14. *& en ses memor. observ. verb. Hypotheque.* Papon. *lib.* 15. *tit.* 2. *arr.* 5. *in append.* Delommeau *aud. art.* 286. *vers. Ce qui se doit.* Bouvot. *d. art.* 25. *vers. la recompense.*

189 Impensarum causa & ratione veniunt quoque cujusque onera nuptiis antiquiora, communi ære, stante matrimonio, persoluta: succedit enim alter conjux dimidiatim in jus creditoris, qui communi istâ conjugum pecuniâ dimissus est. Choppin. *ad ll. And. lib.* 3. *cap.* 2. *tit.* 2. *n.* 21. *& tit.* 2. *n.* 17. *& ad Paris. lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 14. Argentr. *ad d. art.* 428. *gl.* 3. *n.* 11. 15. Charond. *sur Paris. art.* 244. *& liv.* 7. *resp.* 73. Duret *sur Orleans. art.* 186. *in fine.* Coquille *d. tit. des gens mar. art.* 7. *verb. ou l'un d'eux, vers. De mesme diray-je. & en son Instit. du droict Franc. au mesme titr. vers si durant.* Delommeau *aud. art.* 286. *&* 336. *&* 511. 512. 513. Bouvot. *d. tract. art.* 9. *verb. sur tous debtes. & tom.* 2. *verb. societè, quest.* 15. Henr. Kinschot. *resp.* 13. *n.* 31. Jo: à Sande *lib.* 2. *tit.* 5. *defin.* 8. *lit. d.* D. Someren

190 *d. cap.* 12. *n.* 6. Id quod moribus multarum gentium sancitum est. Uti apud Parisienses *art.* 244. *& ibi Charond. Tronçon. & Guerin. in comm.* Gandenses *d. rub.* 20. *n.* 13. *&* 17. Dendermondenses *rubr.* 12. *van Reghte, van gehuwede, art.* 6. Antverpienses *tit.* 41. *art.* 75. Ruremundenses *d.* §. 4. *n.* 4. Bergizomios *d. tit.* 14. *art.* 35. Tilenses *d. tit.* 5. *art.* 10. Medioburgenses *tit. van Reghten aengaende man en wijff, art.* 14.

191 Veniunt & dotes, quas maritus ex communi arca constituit filiabus prioris thori. Dotandi enim officium ad patrem spectat, qui in partem ejus, invitam novercam trahere nequit, cum pro sua

ſua quisque progenie, & quidem ex ſua ipſius ſubſtantia dotem dare teneatur. *l. un. Cod. de dot. promiſſ.:* nec dotis à patre datio, hoc caſu propriè adminiſtratio patrimonii eſt, ſed ſolutio oneris poſterius matrimonium antecedentis: quin imò anticipatio quaſi paternæ hæreditatis eſt, cum poſtea filiæ in legitimam imputetur. *l. 29. l. 30. §. fin. C. de inoffic. teſtam.* & in erciſcunda familia eandem cæteris liberis conferre teneatur. *l. 19. l. 20. §. 1. Cod. de Collat.* Itaque adhuc intelligitur marito adeſſe quicquid dotis filiabus ſuis conſtituit; adeoque cum utilitas erogati, alteri tantum ex conjugibus cedat, extare potius pecunia videtur de communi ſumpta, quam conſumpta: quapropter, ad exæquanda ſocietatis jura, ratio exigit, ut tantundem à muliere, ejusve hæredibus in diviſione præcipiatur. Mulier enim nullo jure, nec naturali, nec civili, ad conſtituendam privignæ dotem obſtricta eſt, ſatisque eo onere premitur, quod ex communibus loculis donati intermedio fructu carere cogatur. Lupus de Palac. Ruv. *in repet. rubr. de donat. int. vir. & ux. §. 62. in fin. & §. 66. n. 18. in fin.* Gutierr. *d. lib. 2. quæſt. 128. n. 5.* Argentr. *ad cons. Brittan. art. 408. gl. 6.* Barboſa *ad l. 1. part. 4. ff ſolut. matrim. n. 93.* Delommeau *aud. art. 286.* Coquille *d. art. 7. vers. Et quand à la dot.* Caſtill. Sotomaj. *de uſufr. cap. 2. n. 42.* Giurba *ad Meſſan. cap. 3. gl. 6. n. 64. & ſeqq. & cap. 9. gl. 9. n. 14. 15.* Gars. *d. tract. de Acquæſt. n. 154.* Bouvot. *d. tract. art. 3. vers. le meſme.* D. Someren. *d. tract. cap. 2. n. 1.* Quid ſi noverca unà cum patre dotem 192
promiſerit, ejusque ſolutioni ſeipſam pariter obligaverit? Sunt, qui hanc mulieris dotis dictionem nullam eſſe pronunciant, quaſi ſponſio facta ſit in commodum mariti, maritusque in rem ſuam uxori ad hunc actum auctoritatem præſtiterit, & ſic res inciderit in donationem inter virum & uxorem prohibitam. Charond. *liv. 8. reſp. 34.* Ann. Robert. *lib. 3. rer. judic. cap. 11.* Delommeau *aud. liv. 2. art. 328.* Idem placuit Ant- 193
verpienſibus, excepto, quod tum novercam ad dotem præſtan-

dam adstrinxerint, cum adjuta tutore extraneo solenniter coram Scabinis dotis nomine spoponderit. *Costuym van Antwerpen.*
194 *tit.* 41. *art.* 11. Alii contra statuunt, novercam, quæ unà cum patre dotem constituit ampliorem, quam erant materna filiæ bona, intelligi hoc additamentum pro sua parte privignæ donasse, nisi aliter dixerit. Brugenses *tit.* 7. *art.* 4. Gomez. *ad ll. Taur.* 50. *n.* 25. *vers. Ex quibus infero.* Barbosa *ad l.* 1. *part.* 4. *n.*
195 107. *ff. solut. matrim.* Giurba *d. gl.* 6. *n.* 65. qui tamen putat, novercam, si SC^to Vellejano non renunciaverit, ejusdem exceptione, ac beneficio, se contra dotis dictionem tueri posse. In
196 alia omnia abiêre mores nostri. Quantum enim ad priorem sententiam attinet, certum apud nos est, novercam, etiam manente matrimonio, privignis donare posse. *art.* 3. *edict. decisor. anni* 1659. *ad quem nos multa in comm.* Itaque si privigna morigera, obsequiorum sedulitate, adeo novercæ benevolentiam captaverit, & in se provocaverit, ut ea spontaneâ voluntate, absque metu, & dolo malo, unà cum marito dotem dixerit, spoponderitque se ex suo soluturam quicquid materna filiæ bona excurrit, non dubitandum, quin validè promiserit, datamque fidem adim-
197 plere teneatur. D. Someren *d. tract. cap.* 4. *sect.* 1. *n.* 4. Cæterum si noverca insimul cum marito simpliciter dotem promiserit, censetur illud fecisse de bonis ipsius filiæ, vel animo repetendi: cum enim nullo juris vinculo ad dotem privignæ præstandam noverca adigatur, intelligitur honoris & solennium potius, quam donationis, vel liberalitatis exercendæ causa, unà cum marito interfuisse negotio, cum de dote promittenda tractaretur: nunquam enim in dubio gratificationes à noverca in privignum, privignamque collatas præsumimus, si aliam interpretationem patiatur dotale instrumentum. D. Someren *d. sect.* 1. *n.* 2. *&* 4. *in fin.* Argentr. *d. gl.* 6. *n.* 3. Choppin. *ad ll. And. lib.* 3. *cap.* 2. *tit.* 3. *n.* 20. Ant. de Sousa *decis. Lusitan.* 23.

189 Illud quoque monendi sumus, privignam ipsam ex communi dotatam, novercæ non restituere dimidium nummariæ dotis, sed pa-

patrem, ejusve successores, in communem cum noverca substantiam tantundem communioni reddere, atque imputare. Noverca enim solum habet actionem pro socio ad dimidiatum nummum repetendum ab hæredibus mariti socii, non vero condictionem pecuniæ in privignam, ejusque maritum, qui dotem receperunt, si paternâ successione abstineant. Choppin. *de morib. Paris. lib. 2. tit. 1. n. 11. & ad ll. And. d. tit. 3. de donat. n. 20. ad oram libri.* Delommeau *aud. liv. 2. art. 289.* D. Rodenburg *de jur. conjug. tit. 2. cap. 1. de marit. potest. n. 14. in fine.* Nisi forte immodicam pecuniæ summam doti dixerit maritus, fraudis inde in sese contrahens suspicionem. In simili quoque vi- 199
demus, creditoribus nullam, dotis nomine, actionem competere adversus liberos paternam hæditatem repudiantes. *l. fin. ff. de Collat.* modo parentes tempore dotis datæ solvendo non fuerint, & in fraudem creditorum donationem fecerint, quo casu creditoribus revocatoria actio competit. *arg. l. 10. §. si cum mulier. l. 17. §. ult. ff. quæ in fraud. credit.* D. Matthæus *de Auction. lib. 1. cap. 11. n. 46.* Ruremundenses. *part. 3. tit. 9. n. 11.* Bergizomii. *tit. 14. art. 8.* Cortracenses. *part. 4. rubr. 17. art. 1.* Casletenses. *art. 293.* Dendermondenses. *rub. 17. van Inbringen, off Collatie. art. 1.* Quæ fraus ilico de- 200
tecta creditur, si pater, erarii provincialis quæstor, ampliorem dotem filiæ suæ constituerit, quam ferebant ipsius facultates: quanquam enim gener actione prætoriâ non aliàs tenetur, quam cum à fraudatore socero dotem sciens accepit. *l. 25. §. 1. ff. eod. tit.* videtur tamen scire conditionem soceri, quod exerceat quæstorum ministerium, quod de suo tantam pecuniæ vim doti dare non possit, & consequenter non aliunde, quam in fraudem fisci. Ita Coquille *sur Nivern. d. tit. des droicts de gens. mar. art. 24. vers. derniere. & en ses quest. & respons. chap. 134.*
Tutius tamen & hoc casu generalem quæstionis hujus decisio- 201
nem sequemur, & quæstoris generum, cæterorum omnium numero, & jure censebimus, cum & is dotem ex causa onerosa ac-

ceperit. *l. 29. ff. de O. & A.* in universum enim spectamus, quænam fuerit soceri, tempore dotis dictionis, potentia.

202 Verum è diverticulo in viam. Quid de alimentis à patre liberis prioris thori, stante secundo, præstitis? Edictum de alendis liberis naturalem æquitatem habet. *l. ult. §. 5. C. de bon. quæ liber.* Utique si liberi suismet ipsis alimentis non sufficiunt; cæterum si vel ex fructibus rerum suarum, vel artificio sese exhibere possunt, hos pater de suo alere non tenetur. *l. 5. §. sed filius. ff. de agnosc. & alend.* sed excludendi à domo paterna, ut è nidis aves, cum volare incipiunt, inquit Perez. *ad tit. C. de alend.*
203 *lib. n. 4.* Apud nonnullos, parentes ex fructibus rerum pacto divisorio liberis assignatarum filios alere tenentur, usque ad decimum octavum illorum annum, filias autem usque ad decimum
204 quintum. Grot. *Isag. lib. 1. part. 9. n 9.* In agro Groeningano, qui *Old-Ampten* vocatur, ad decimum sextum annum indistin-
205 ctè. *lantr. lib. 2. art. 4.* Apud Daventrienses usque ad suam
206 liberorum tutelam. *part. 3. tit. 2. art. 17.* Alibi annorum numerus definitus non est, sed alendi necessitas parentibus injungitur, usquedum seipsos exhibere liberi possint. Ruremundenses *tit. 3. §. 2. n. 1.* Antverpienses. *tit. 36. art. 4.* Bergizomii *tit.*
207 18. *art. 40.* Tilenses. *tit. 4. art. 3.* Dixi *ex fructibus*, si enim hi alimentis non sufficiant, non propterea sors liberorum diminuetur, verum parentes, si commodè fieri possit, ex suis reditibus, vel lucris, reliquum supplere tenentur: dicuntur enim liberi non habere unde se alant, qui non aliter habent, quam ex proprietatis, vel sortis jactura. *arg. l. qui bonis. 6. ff. de cession. bon. & ibi Bartol.* Bertrand. *vol. 1. part. 1. consil. 163. n. 6.* Cævall. *comm. opin. quæst. 780. n. 109.* Gomez. *ad l. Taur. 9. n. 40.* Surdus *de Aliment. tit. 4 quæst. 9. n. 10.* Gratian. *tom. 2. discept. forens. 400. n. 40.* Garsias *de Expens. cap. 4. n. 19.* De-
166 lommeau *aud. liv. 2. art. 260.* Montan. *de Tutel. cap. 32. Reg. 9. n. 229.* Giurba *ad Messan. part. 1. cap. 7. gl. 16. n. 12.* Mevius *ad jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 8. n. 68.* Gabr. Al-

var.

var. de Velasco *de Privil. Paupert. part.* 1. *quæst.* 4. §. 4. *n.* 169. Tilenses *stadr. d. tit.* 4. *art.* 4. Quod si & liberorum, & parentum reditus, & obventiones alendis omnibus pares non sint, 208
tum demum in alimenta, liberorum bona vendere licebit, præviâ tamen judiciali auctoritate. Ruremundenses *d.* §. 2. *n.* 4. Bruxellenses *art.* 268. Gandenses *part.* 3. *Rub.* 22. *art.* 7. Hæc, hoc modo, alendi liberos necessitas, cum à ratione natu- 209
rali orta sit, non cessat ubi parens ad secundas nuptias transivit. Illud quidem Imp. Gordianus statuit, *si paterno affectu privignas tuas aluisti, seu mercedes pro his aliquas magistris expendisti, ejus erogationis tibi nulla repetitio est: quod si ut repetiturus, ea quæ in sumptum misisti, aliquid erogasti, negotiorum gestorum tibi intentanda est actio. l.* 15. *Cod. de negot. gest.* Verum rectè monet Surdus *d. tract. quæst.* 11. *tit.* 6. *n.* 16. quem 210
sequitur Aug. Barbosa, *ad d. legem*, eam esse intelligendam de liberis qui seipsos alere poterant, tenebanturque: at si egeni à matre erant alendi, nihil repetet ab iis vitricus, cum nec illorum negotium gestum, nec versum quicquam sit in illorum utilitatem. Verum eritne vitrico fas, alimenta liberorum à matre re- 211
petere? Sunt qui ita aiunt, cum negotium ejus utiliter gesserit, & pecunia in ejus utilitatem versa fuerit, eo quod vitricus ex communi liberos aluerit, ad quod sola mater tenebatur: illud enim onus, vel debitum, stante matrimonio non supervenit, sed matri vel ab ipsa liberorum nativitate incubuit, ergo ex oneris vetustate idem de alimentis, quod de dote pronunciandum esse tradunt Surdus *d. loc.* Gutierr. *d. lib.* 2. *quæst.* 129. Castill. Sotomaj. *d. cap.* 2. *n.* 42. Sanz. *de divis. bon. lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 14. Garsias *de Acquæst. n.* 152. Giurba *ad Messan. cap.* 9. *gl.* 9. *n.* 16. Cancer. *var. resol. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 14. & *cap.* 16. *n.* 25. Carpzov. *part.* 2. *const.* 10. *n.* 25. Apud nos alter con- 212
jux nihil erogati in alterius liberorum alimenta repetit, cum sibi imputare debeat maritus, quod, unà cum uxore, tam numerosam prolem, & onerosam familiam introduxerit, quo facto, inci-

cipit communis esse familia, ex communibus fructibus alenda. Quapropter superlucratum dici nequit illud, quod alendo adscitos liberos consumptum est. Dotis certè alia ratio est: hæc data

213 constituit filiarum sortem, abradit simul & semel non modicum paterni patrimonii: quanquam & in isto quoque remanere fingatur, ex superiori illa collationis necessitate. Alimenta dietim præstanda veniunt, consumpta, lucrum non contulerunt, nec alimentarium, vel matrem ejus, locupletiorem fecerunt, hoc tantum effecerunt, ne fame exhaustus homo interierit. Itaque alimenta onus sunt quotidie renascens, quæ, manente matrimonio privignis præstita, in eadem consideratione sunt, ac impensæ factæ in res uxoris quæ soluto matrimonio non extant. D. Someren *d. cap. 2. n. 2.*

De eo apud nos disceptatum fuit. Mater, transiens ad secunda

214 vota, pacto divisorio assignavit liberis paterna bona. Ex fructibus in se suscepit eorum educationem. Liquido constat istos reditus non sufficere liberorum alimoniæ, vitricumque ex manuum opera reliquum debere supplere. Supervenit postea illis liberis hæreditas, cujus fructus, juncti iis qui ex paternis bonis cogebantur, ægrè coæquabant alimentorum necessitatem. Vitricus à liberorum tutore petit, ut & hi adventitii fructus sibi præstentur, in liberorum exhibitionem insumendi. Renititur tutor pacto convento, quo mater, ex solis paternorum bonorum proventibus liberorum curam in se susceperat. Verum suprema Curia vitrici causam potiorem esse judicavit. *In der sake van Adriaen Verkerck, als getrouwt hebbende Maria Eyckels Impetrant Contra Herman Jaspersen vander Meer, als voocht over het kint van de voornoemde Maria Eyckels geprocreert by Johan vander Meer: op den 26 Marty* 1670. Etenim, pacto isto divisorio, mater non amplius promiserat, quam ad quod mero jure tenebatur, alere nimirum liberos ex paternorum bonorum fructibus; evidens autem est, matrem, si pacti tempore ampliores fuissent liberorum reditus, tantillâ pecuniâ eorum curam in se suscipere noluisse.

luisse. Itaque cum jam liberi tantum anniversariorum fructuum habeant, unde honestè semet ipsos alere possunt, incivile foret adventitios fructus commodo liberorum superlucrari, alimentorumque defectum operâ, sudoreque vitrici supplere velle. Fontanell. *de pact. antenupt. claus.* 6. *gl.* 2. *part.* 3. *n.* 73. Idem apud Gandenses speciatim sancitum est. *part.* 3. *rub.* 22. *art.* 8. Confer Choppin. *ad ll. And. lib.* 3. *tit.* 3. *n.* 2.

Alimentorum nomine veniunt & impensæ in studia filii 215
factæ. *l.* 6. *§.* 5. *ff. de Carbon. edict.* Verum cum ea res sæpè magnam quæstus partem absumere possit, præjudicio alterius ex conjugibus, non displicet quorundam temperamentum, ut quæ pater in studia filii erogavit, dum domi suæ moraretur, & aleretur, sint onus societatis ordinarium & solitum, quæ verò maritus impendit in studia filii peregrè degentis, ea dimidiatim uxori esse refundenda. Coquille *d. art.* 7. Christin. *vol.* 3. *decis.* 51. *n.* 8. D. Someren *d. n.* 2. *in med.* Hinc pecuniam 216
quam in peregrinationes filii maritus impenderat, novercæ resarciendam esse judicavit Suprema nostra Curia. *in causâ Toparchæ de Hermelen ult. Iulii* 1665. *uti refert idem D. Someren.* Ea tamen refusio non universim facienda: etenim rursus ante 217
omnia deducendum tantum pecuniæ, quantum necesse fuisset domi patris moranti filio. Cum enim solita alimenta societati imputentur, *uti dictum suprà*, consequens est restituendos solummodò esse sumptus æquo ampliores. Valasc. *in prax. partit. cap.* 13. *n.* 165. Blas. Michalor. *tract. de Fratrib. part.* 1. *cap.* 26. *n.* 33. Gomez. *ad l. Taur.* 29. *n.* 16. *vers. secundo.* Garsias *de Expens. d. cap.* 4. *n.* 5. D. Someren *d. loco.* Confer Coquille *en ses quest. & resp. chap.* 168. Quare cum nuper 218
pater, stante secundo matrimonio, aliquot aureorum millia in emptionem librorum, veterumque numismatum pro filio prioris thori expendisset, judicavit Supremus Senatus quingentos solummodò aureos filio in eam rem cessuros, societatique decessuros, reliquam autem pecuniam novercæ dimidiatim refun-

dendam esse. *in der sake van Mr. Antonis de Goyer Advocaet, Gerequireerde: op en jegens Aletta van Wijck weduwe en boedelharster van wijlen Antonis de Goyer Requirante, op den* 19. *Decembris* 1671.

219 Hactenus actum fuit de iis quæ ex quæstu utrique conjugi confestim communia fiunt. Interdum autem evenit maritum stante matrimonio comparare inibi latifundia, vel ei donata esse, ubi nulla inter virum & uxorem rerum societas est, sed omnia acquisita mariti lucro cedunt: quo casu dubitatum est, an & hæc prædia uxori communia sint? Et rectè á Doctoribus responsum est, etiam uxorem horum prædiorum dimidium habituram: cum de quæstibus nuptiale pactum, sit conventio in quasvis res soli, regionumque omnium transitoria. Itaque si maritus se adversus uxorem prædiariâ lege tueri velit, illa pacti conventi exceptione eundem repellet: quod si maritus à judice rei situs defendatur, qui secundum suas leges, acquisitum marito proprium, nec uxori communicandum esse judicare præsumat, in ercifcundâ familiâ semis æstimationis uxori præstandus erit, sicuti evenit, quando feudum, stante matrimonio, communi ære emptum soli marito investito cedit. Lupus de Palac. Ruv. *d.* §. 62. *n.* 31. *vers. ampliabis.* Choppin. *ad Paris. lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 3. Louet *en ses arrests. lit. C. arr.* 15. 16. *&* 42. *& ibi Brodeau in not.* Charond. *liv.* 2. *resp.* 64. *&* 5. *resp.* 38. *&* 7. *resp.* 100. *&* 13. *resp.* 46. *& en ses memor. observ. verb. biens.* Bacquet *aud. chap.* 21. *n.* 67. Papon. *lib.* 15. *tit.* 2. *de commun. arr.* 14. 15. Delommeau *aud. liv.* 2. *art.* 288. Bouvot *en ses arrests. tom:* 2. *verb. societè. quest.* 3. Buridan. *sur Vermand. art.* 17. *vers. l'on pourroit.* Quod nuncupatim apud Antverpienses sancitum est. *tit.* 41. *art.* 63. 65. De quo latius suprà *tract.* 2. *cap.* 1. *n.* 103.

220 De eo ambigitur. Ipsis matrimonii auspiciis repertorium bonorum utrimque illatorum confectum, in ercifcundâ familiâ non reperitur, interversum est, jam diu est quod matrimonium

con-

constitit, nescitur quid in quæstu, quid in alterius matrimonio fuerit, utrum erit præsumendum? Quidam respondent antiquum patrimonium præsumi. Chassan. *ad consuet. Burgund. tit. des droicts des mar.* §. 9. *verb. & acquests.* Ferron. *ad Burdegal.* §. 11. *tit. de retract.* Duret *sur Orleans.* §. 303. *à la fin.* Berault *sur Normand. tit. de success. collat. ad rubr. in fin.* Godefroy *ad eand. rubr.* Verum, rogo, cujus? uterque enim contendit rem suam esse. Quare rectius alii à possessione origi- 221
nem tituli dijudicandam esse censent, ut si possessio penes alterum conjugem ante contractas nuptias fuerit, ipsius res esse præsumatur, nisi uxor probet solam possessionem habuisse maritum, proprietatem autem stante matrimonio acquisitam esse. Rursus, si conjuges constante matrimonio ad novam possessionem fundi venerint, existimabimus quæsitum fundum esse, nisi alter qui eum sui dominii esse asserit, ex successionis, vel simili causâ, possessionem provenisse doceat. Argentr. *d. gl.* 3. *n.* 16. Boguet *ad consuet. Burgund. tit.* 13. §. 3. *verb. son. ancien. n.* 3. D. Matthæus *d. parœm.* 3. *n.* 29. Cæterum quia & possessionis 222
possit esse incertitudo, eane ante, ad alterum, an verò post nuptias ad utrumque pervenerit, idcircò & in hâc dubitatione possessionem stante potius matrimonio quæsitam esse præsumemus. Inde videas Doctores ad nostram quæstionem passim generaliter respondere, rem in dubio quæsitam potius, quam patrimonialem censeri. Molin. *ad cons. Paris. art.* 20. *gl.* 6. *n.* 3. *in fin.* Did. Perez. *ad Ordin. Regn. Castell. lib.* 5. *tit.* 4. *leg.* 4. *vers. Et sis cautus.* Molina *de Iust. & Iure, disp.* 433. §. *penult.* Gomes. *ad l. Tauri.* 50. *n.* 70. Mornac. *ad l.* 8. *ff. pro soc.* Delommeau *aud. liv.* 2. *art.* 283. Garsias *de acquæst. n.* 158. Uffelius *in not. ad Covarruv. lib.* 3. *var. resol. cap.* 19. Præsumendum 223
enim quod benignius est, consuetudinique conforme. Itaque in dubio pro communione potius, quam contra eam respondebimus. Coren *observ.* 38. *n.* 66. Neostad. *de pact. antenupt. obs.* 23. *in fin.* D. Someren *d. tract. cap.* 12. *n.* 3.

224 Postremo loco monendi sumus, quicquid pactis dotalibus speciatim expressum non est, illud relinqui providentiæ & dispositioni juris nostri municipalis: eatenus enim tantum contrahentes à consuetudine, vel statuto recessisse intelligendi sunt, quatenus instrumento nuptiali pacti sunt in contrarium, cætera per se lex, vel consuetudo adjicit, & interpretatur. Nic. Everhard. *in loc. à contrar. sens. n.* 3. *& loc. ab æquipoll. n.* 14. *& consil.* 206. *n.* 3. Surd. *decis.* 322. *n.* 55. Valasc. *consult.* 103. *n.* 7. *& seqq.* Giurba *ad Messan. cap.* 10. *gl.* 5. *n.* 9. Neostad. *de pact. antenupt. obs.* 4. Coren *observ.* 30. *vers. dan wierde*, *n.* 64. *& seqq.* Grotius *lib.* 2. *Isag. part.* 12. *n.* 8. D. Someren *d. n.* 3.
225 Omlandi *lib.* 3. §. 14. Igitur exclusâ pactis dotalibus bonorum communione, lucri damnique in matrimonio facti communio remanet. Grotius *d. part.* 12. *n.* 9. Neostad. *d. observ.* 4. Valasc. *d. consult.* 103. Car. de Mean. *ad jus Leod. part.* 1. *obs.* 13. *n.* 4. 5. *& obs.* 73. *n.* 10. *& obs.* 76. *n.* 7. Ruremun-
226 denses *lantr. tit.* 2. §. 1. *n.* 31. Quid è contrà, si contrahentes antenuptialibus tabulis lucri, damnique consortium pepigerint, de reliquis bonis nullâ factâ mentione? Et videri posset etiam hoc casu reliqua bona communioni cessura, eo quod quæ speciatim isti communioni exempta non sunt, dispositioni statuti nostri relicta censeantur, ut lex in iis suppleat communionis jura: quod enim moribus competit, necesse non est dari, sufficit non denegatum esse. *text. in l.* 25. *ff. ad municip.* Ita in simili Charond. *liv.* 8. *resp.* 26. Grivell. *decis. Dolan.* 68.
227 Verius tamen existimarem, & pactum, & intentionem contrahentium impedimento esse, ne ultrà quæstus, societas in reliquis bonis contracta intelligi possit. Si enim præfato casu universorum bonorum communionem per nuptias coitam esse asserere velimus, quorsum attineret tabulas nuptiales conficere, & in iis solorum quæstuum communionis mentionem facere, nisi ut illi faciendi quæstus soli communionem sint ingressuri, cætera bona non item? Supervacuum namque foret, unius,
con-

conquirendorum ſc. bonorum ſpeciei pactum interponi, ſi vel jam tum univerſalis omnium fortunarum communicatio conjugibus intercederet. Diximus ſæpius, communionis bonorum jus ex tacito nuptias contrahentium pacto introduci, eo quod nihil conſuetudini noſtrati adverſum pepigerint: voluntas quoque contrahentium evidens eſt ea, quæ vel expreſſim, vel ex conjecturis colligi poteſt. *l. licet.* 74. *ff. de legat.* 1°. *l. ſi ita.* 13. *ff. de liber. & poſth.* Quis autem aſſerat, ſecundum conſuetudinem, quæ de conjugali bonorum communione eſt, contraxiſſe eos, qui de communicandis quæſtibus in matrimonio faciendis ſolum ſolliciti fuerunt? Quis non credat, cum ex conjugibus, qui forte ampliſſimas facultates matrimonii auſpiciis poſſidebat, cum alter, aut nihil, aut parum in bonis haberet, ſi de quæſtibus in matrimonio faciendis pactum ſolummodò interpoſitum fuerit, interrogatum, numquid prætereà omnia ſua bona, alteri conjugi communicatum iri deſideraverit, extemplo reſponſurum, illud omninò à mente ſuâ alienum fuiſſe, quæſtuum ſolummodò communionem ſe admiſiſſe, qui collaboratione fierent? Cum

Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri.

Verum ut inſuper res non parta labore, ſed relicta, à majoribus fortè, dimidiatim per nuptias alteri conjugi cederet, animum nequaquam ſubiiſſe. Itaque quam maximè referre, & differre arbitror, an conjuges certa quædam bona communioni exemerint, quo caſu cæterorum ſocietatem iniiſſe cenſendi ſunt: an verò ſocietatem certorum ſaltem bonorum, ſc. quæ ex quæſtu veniunt, contraxerint, & tum futura tantum, ſeu lucra poſteà obvenientia communicantur, res coëuntium, ſeu bona præſentia non item: diverſitas enim ſubjecti efficit, ne eodem illo pacto, quo communionem quæſtuum ſolam paciſcimur, affirmare poſſimus, introductam præterea eſſe, rerum & bonorum omnium

societatem. *arg. pr. Inst. de societ. l.* 1. 5. 7. *& seqq. ff. eod.* Nicol. Everhard. *consil.* 135. D. Jo: à Someren *de jur. Noverc. cap.* 3. *n.* 8. *& cap.* 12. *n.* 3. *in fin.* Confer Peck. *de testam. conjug. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 3. *in fin.* Ferron. *ad cons. Burdegal. tit.* 4. *de dote.* §. 6. *vers. Tamen si in contractu.* Car. de Mean. *d. part.* 1. *obs.* 11. *n.* 3. *& seqq. & d. obs.* 13. *n.* 6. *& observ.* 76. *n.* 5.



DE

DE DAMNI Inter Conjuges Communione.

TRACTATUS SECUNDI, CAPUT TERTIUM.

SUMMARIA

1. *Ubi bona inter virum & uxorem communia sunt, ibi & æs alienum commune est.*
2. *Uxoris bona pro debitis mariti, matrimonio antiquioribus, rectè excutiuntur.*
3. *Non tantum in id quod facere potest uxor, verum in solidum.*
4. *Etiam dirempto matrimonio.*
5. *Prætermissâ tamen viduâ, creditores in solidum agere possunt, contra hæredes mariti, qui æs alienum contraxit.*
6. *Pactis dotalibus stipulari potest uxor, ne pro mariti debitis, matrimonio antiquioribus, à creditoribus conveniri possit.*
7. *Non tamen, ne teneatur debitis stante matrimonio contrahendis, nisi pactio illa solenniter publicata fuerit.*
8. *Pactum illud solos conjuges, non verò creditores obstringit.*
9. *Qui simpliciter bona doti confert, intelligitur ea absque oneribus conferre, ideòque onera reticita de suo luere tenetur.*
10. *Explicatur Grotius, qui docet de non professis oneribus nullam actionem, nec refusionem gigni.*
11. *Si conventum sit, lucra æqualiter communia fore, damna quoque ex æquo ferenda sunt.*
12. 13. *Quæstuum ratio non initur, nisi deductis oneribus, & solutis reditibus quæstuum acquirendorum causâ constitutis.*
14. *Damnum inter conjuges non alias commune est, quam quod ex causâ societatis, & juris maritalis, non aliunde accidit.*

15. 16. *Uxo-*

15. 16. *Uxoris ædes si stante matrimonio, incendio, ruinâ, fundi chasmate perierint, damnum solius uxoris est.*
17. 19. *Par ratio est damni ob redimendum incendium ab hostibus lati.*
18. *Explicatur* l. penult. & ult. ff. de Impens. in rem dot.
19. *Item* l. 13. ff. eod. tit.
20. 21. *Quid si res doti æstimatò datæ perierint? Distinctione expeditur.*
22. *Apud Castellanos & Lusitanos in dubio censetur res æstimatò doti data, ut venditionem efficeret.*
23. *Moribus nostris secus.*
24. *Damni vocabulum in nostratis quæstus materiâ generalius est, quod ex usu temperamentum accipit.*
25. 43. *Æs alienum potissimum conflatur à marito.*
26. *Apud nos mulier per matrimonium pro minore habetur, transitque in tutelam mariti.*
27. *Uxor mercatrix se, suumque maritum obligat validè, in rebus ad negotiationem spectantibus.*
28. *Referuntur consentientes consuetudines.*
29. *Ad negotiationem spectant non illi saltem actus, quibus emitur, aut venditur, sed etiam sine quibus negotiationem exercere non licet, quin imò & immobilium oppignoratio.*
30. *Alienandi tamen immobilia potestatem non habet negotiatrix uxor.*
31. *Cautela circà nostratem uxorem mercatricem improlem, in oppignorandis immobilibus.*
32. *Citantur mores, qui oppignorandorum immobilium facultatem denegant uxori mercatrici.*
33. *Si uxor fines negotiationis excesserit, non obligat in eo maritum.*
34. *Mercatrix uxor pro debitis in carcerem detrudi potest.*
35. *Etiam quæstoris ærarii, & simili in officio positi, quæ marito sciente pecunias accipit, maritique vices in munere fungendo explet, maritum obligat.*
36. *Dummodò bonâ fide transigantur omnia, uxorque non excesserit muneris, vel officii limites.*
37. *Obligant quoque sese, maritosque suos, mulieres nuptæ, in iis quæ ad œconomiam spectant.*
38. *Eâ re quæ contineantur?*
39. *Nostras Ordinatio vetat mulierem contrahere magna & notabilia debita.*
40. *Actio denegatur ei qui contrahit cum pecuniam mox perdituro.*
41. *Illationem rerum ab uxore emptarum in domum mariti apud nos non exigimus.*

42. *Ma-*

42. *Mariti obligantur ex contractu uxorio, quo ambo ſunt facti locupletiores.*
44. *Uxor obligatur ex mariti tutelâ perperam geſtâ.*
45. *Quid ſi maritus pro aliis fidejuſſerit, qui poſtmodum facultatibus lapſi ſunt? Fidejuſſionis diſpendium multi ſoli marito imputant.*
46. *Quod moribus noſtris improbatur.*
47. 48. *Mariti quoque donationes apud nos uxori nocent, modò bonâ fide, & ſine fraude factæ fuerint.*
49. *Si maritus fundum ſtante matrimonio emptum, prioris thori liberis mancipaverit, nihilominus uxori communicandus eſt.*
50. 51. *Quid ſi damnum ex Baccho, venere, aleâ, ſimilique mariti diſſolutâ vitâ deſcenderit? Reſpondent multi illud uxori non nocere.*
52. *Quorum ſententia redarguitur.*
53. *Uti & eorum, qui fidejuſſionis damnum in ſolum maritum rejiciunt, prodigalitatis verò diſpendium commune faciunt.*
54. *Uxor marito prodigo bonis interdici curare poteſt.*
55. *Oſtenditur Legiſlatorem noſtratem non plenè providiſſe contra temerarias immobilium alienationes, marito improli abſque conſenſu uxoris permiſſas.*
56. *Damnum ex delicto alterius ex conjugibus deſcendens, commune non eſt.*
57. *Nec refert levius, an gravius delictum fuerit.*
58. *Indagatur vera ratio hujus conſtituti juris.*
59. *Bonis mariti confiſcatis incolumis & ſalvus manet uxoris ſemis.*
60. *Referuntur conſonæ conſuetudines.*
61. *Si ex delicto mariti ſocietas aucta ſit, illud turpe lucrum auferendum eſt.*
62. *Si maritus ex cauſâ criminis mulctam ſolvit, ea ſoluto matrimonio ipſi ſoli, hæredibusve ejus imputatur.*
63. *Idem jus in expenſis criminalibus obtinet.*
64. *Niſi maleficium ſocietatis intuitu commiſſum ſit.*
65. *Uxore ex delicto in pœnam pecuniariam condemnatâ, poteritne ea ſententia, ſtante matrimonio, executioni mandari? Negant multi.*
66. *Affirmantium opinio rationibus adſtruitur.*
67. 69. *Si mulctatitia pecunia excedat partem mariti, mulier ſeparationem bonorum petere poteſt.*
68. *Gallorum jus circà publicationem bonorum mariti refertur.*
70. *Mulcta ex cauſâ civili deſcendens, communi damno eſt, ut cum maritus ob frivolam appellationem, vel reviſionem mulctatus eſt.*
71. *Vel cum ob tardiorem ſolutionem pœnam addere tenetur.*

72. *Item cum ob non solutum canonem prædium emphyteuticum in commissum cecidit.*
73. *Maritalis potestas non extendit se ad uxoris testamentum.*
74. *Quod apud multas gentes secus est.*
75. *Maritus non amplius quam de suis bonis, dimidioque conquisitorum testari potest.*
76. *Hæres mariti tenetur solvere testamentaria ejus debita.*
77. *Quod multorum constitutionibus sancitum est.*
78. *Mechliniensium statutum refertur.*
79. *Quod à moribus nostris alienum est.*
80. *Funebres impensæ ad defuncti hæredes spectant.*
81. *Quid de vestibus lugubribus? Has quidam soli viduæ addicunt, defuncti damno.*
82. *Alii utrique has vestes denegant.*
83. *Alii verò utrique conjugi superstiti has vestes induunt, præmortui sumptibus.*
84. *Si superstes suismet pullatis vestibus defunctum luxerit, damno tamen hæredum earum pretium inferre potest.*
85. 86. *Quid si superstes usufructuarius sit omnium bonorum.*
87. *Nonnulli vestes lugubres compensari volunt cum eo quod defunctus superstiti conjugi legavit.*
88. *Aliis placet vestes lugubres unà cum aliis funeratitiis solvendas esse ex mobilibus communibus, vel immobilibus conquisitis.*
89. *Apud nos eorum sententiam sequimur, qui vestes lugubres superstiti indiscriminatim attribuunt, defuncti hæredum damno.*
90. *Nec soli superstiti, sed & domesticis ejus.*
91. *Rhedam quoque funebrem superstiti adornare licet.*
92. *Itidem domum mortuariam panno pullato vestire.*
93. *Refutatur eorum sententia, qui vestes lugubres volunt compensari cum usufructu, vel legato superstiti relicto.*
94. *Superstes usufructuarius prærogare debet sumptus funeris, uti & partem debitorum defuncti.*
95. *Æs alienum hæredis onus est, fructuarius autem pati debet, ut proprietarius ex bonis defuncti tantum distrahat, quantum necesse est ad æris alieni exsolutionem.*
96. 97. *Quid de epulo funebri? Hoc dimidiatim ferendum esse multis placuit.*
98. *Quorum opinio refellitur.*
99. *Apud nos hujusmodi epulum, privilegium inter creditores sortitum est.*

100. *Reliqua quæ ex consuetudine Civitatis in humando erogari solent, damno hæredum defuncti sunt,*

101. 103. *Non tamen salaria Medicorum, sumptus Pharmacopæorum, & similium.*

102. *Hæc salaria, sumptusque, privilegium inter creditores meruerunt.*

104. *Tilensium statutum carpitur.*

105. *Si defunctus bona non reliquerit, nec hæredes, tum superstiti onus sepeliendi incumbit.*

106. *Non rectè Romani, patri, præ marito, onus funerandæ inopis filiæ injunxerunt.*

107. *Antiquitus conjuges in uno tumulo sepeliri placuit.*

108. *Platonis circà conjugem tumulandum prima sollicitudo.*

109. *Messanensium mos refertur.*

110. *Familiæ erciscundæ negotium compendiariò expeditur.*

111. 112. 114. *Si gener datâ apochâ confessus sit se dotem accepisse quam tamen non accepit, receptâ à socero syngraphâ dotis obligatoriâ, patre facultatibus lapso, an damnum posterioris obligationis commune erit? Negantium opinio rebus judicatis stabilitur.*

113. *Affirmantium rationes adferuntur.*

115. *Si sponsus promiserit acquirere sponsæ reditum annuum certæ quantitatis, qui sit futurus ei proprius, moriatur autem nullo facto quæstu, nihilominus debetur viduæ annuus reditus.*

116. *Nisi conditionalibus verbis concepta sit stipulatio.*

117. *Notatur contraria Godefridi sententia.*

118. *Si res conjugum familiaris imminuta sit, æqualiter resarcitur id quod consumptum est ex utriusque illatis bonis.*

119. 122. *Moribus nostris denegatur privilegium mulieri dotem repetenti.*

120. *Cujus contrarium apud Frisios, & Antverpienses obtinet.*

121. *Apud quosdam Gallos mulier ratione dotis cum cæteris creditoribus concurrit.*

123. *Hollandorum jus circà dotis privilegium refertur.*

124. *Moribus nostris improbatur.*

125. *Nec mulieri in lucris nuptialibus prærogativa datur.*

126. *Non item lucrum statutarium ei conceditur, nisi deducto ære alieno.*

127. *Si nostrates conjuges alio habitatum iverint, ubi mariti obligationes uxores non tangunt, illicque maritus decesserit, an liberabitur uxor pristinis creditorum actionibus? Id nonnulli affirmant.*

128. *Qui refutantur.*

129. *Vidua mariti debitis sese eximere potest abdicatione domus mortuariæ.*

130. 131. 132. *Quibus solennibus ea abdicatio celebretur?*
133. 134. 135. *Quid si uxor à marito absit?*
136. *Abdicatione hâc non eximitur vidua debitis suis ante nuptias contractis.*
137. *Nec debitis, quæ ea ipsa stante matrimonio contraxit.*
138. *Vidua mercatrix renunciando bonis nihil agit.*
139. 140. 141. *Gallorum circa bonorum renunciationem placita nonnulla moribus nostris non obtinent.*
142. *Maritus viduus non renunciat domui mortuariæ.*
143. 144. *Etiamsi debita ab uxore mercatrice contracta sint.*
145. *Vidua quæ surripuit, vel celavit quædam bona, onerum rea manet.*
146. *Etiamsi rem modicam celaverit, vel surripuerit.*
147. *Nisi bona post factam renunciationem subduxerit.*



Egimus anteriori tractatu de consortio omnium bonorum inter conjuges, capite præcedenti, de solius quæstus societate. Tempus est, ut de utriusque oneribus, incommodis, & damnis videamus. Conjunximus autem, vel eò lubentius utriusque tractationem, quod vix inchoaveris priorem, quin confestim admixta sit juris mutatio pactis dota-
1 libus orta. Quemadmodum ergò per nuptias omnia quæ ante matrimonium coëuntium fuere propria & peculiaria, quæque eo contracto quoquo modo obveniunt, utrique conjugi fiunt communia, adeò ut una domus & commixta familia verè dicatur, *uti dictum suprà tract.* 1. *n.* 5. ita non potest non esse consequens, æris alieni inter conjuges communio. *arg. l.* 10. *ff. de Reg. Jur. l. un. §. pro secundo. C. de Caduc. toll.* Hoc argumentum plenè executi sumus *d. comment. ad Novell. Constit. Ultraj. art.* 6. *n.* 1. *& seqq.* ubi docuimus uxoris bona pro debi-
2 tis à marito ante nuptias conflatis constante matrimonio rectè
3 hastæ subjici. Et quidem ad peram usque: prohibitorias enim leges de marito & uxore, ultrà id quod facere possunt, non conveniendis, actiones conjugum mutuas solùm respicere, credi-
4 torum non item. Docuimus quoque inibi, eatenus uxorem iisdem debitis alligatam esse, ut vel dirempto matrimonio eorum solu-

ſolutioni ſit adſtricta: non dimidiatim, ſed in ſolidum, ſalvo
ei à mariti hæredibus dimidii repetendi jure. Nec eò minùs cre- 5
ditores prætermiſſâ viduâ poſſe in ſolidum agere contra hæredes
mariti, cum quo contraxerunt. Tradidimus prætereà ibidem, 6
excluſâ bonorum communione, pacto dotali occurri poſſe, ne
uxor ex ſtatuto noſtro mariti debitis matrimonio antiquioribus
alligetur, ſed ut quisque ea debita ſeparatim de ſuo ſolvat, ne-
que eorum nomine à mariti creditoribus conveniri poſſit, modò
pacta ea conditio, à legitimè admiſſo Notario, negotio præſente,
ſubſignata fuerit. Non tamen apud nos pactionem, ne uxor de- 7
bitis ſtante matrimonio contrahendis teneatur, ullum præjudi-
cium creditoribus creare, niſi ea pactio ſolenniter publicata
fuerit: actionem ſolummodò adverſus maritum ejusque hære- 8
dem producere, quâ conſequatur ſi quid ſibi eo nomine contra
pactorum dictamen abfuerit. Quæ omnia cum eo loci fuſius tra-
dita ſint, non eſt quod denuò huc transferamus, atque transſcri-
bamus. Illud tamen monendum, ex aſſertâ noſtrâ conſuetudine 9
tum demum æs alienum ante nuptias contractum fieri commune,
cum nullæ inter conjuges, vel ſaltem quæ communioni non ad-
verſantur, pactæ ſunt conditiones, cæterum ſi maritus tabulis
nuptialibus bona quæ aſſeverat ſe habere, & conferre, recen-
ſuerit, non videntur ea collata niſi deductis oneribus. *l. 30. ff.
pro ſoc.* Verba enim *habere in bonis* cum effectu accipienda
ſunt. *l. nomen* 164. *§. ult. ff. de V. S.* Itaque ſi quid æris alieni
eſt, vel cujus alterius oneris, perveniſſe ad uxorem merito nega-
bitur, inquit JCtus Ulpianus *in l.* 2. *§. perveniſſe. ff. de hæred.
vel act. vend.* Etenim cum maritus bona, quæ in commune con-
ferret, deſignat, & ſcripto mandat, ex contrariâ vi pacti, onera
quæ conſultò reticet, contuliſſe intelligi non poteſt. Si namque
ea expreſſiſſet, aut nuptiæ forſan non fuiſſent ſecutæ, aut id
actum, ut ipſi marito, ejusve hæredi, onera ea ſoluto matrimo-
nio de ſuo eſſent ferenda: ne ergò dolus mariti uxori obſit,
neve hæres mariti ex dolo ejus locupletetur, judicavit Hollandiæ

Curia hoc casu uxorem indemnem esse servandam, non tantum sortis, sed & usurarum constante matrimonio solutarum causa. Neostad. *decis. Cur. Holland.* 5. *vers. Ten tweeden.* & *de pact. antenupt. obs.* 14. Goris *in advers. tract.* 1. *cap.* 4. *n.* 17. *in not.* Confer ea quæ diximus suprà *tract.* 2. *cap.* 1. *n.* 53. Itaque
10 quod Grotius *lib.* 2. *Isag. part.* 11. *vers. Alwaert*, tradit, de non professis oneribus nullam actionem, nec refusionem gigni, quasi ea ipsa communione sit confusa, id exaudiendum de actione super iis stante matrimonio non movendâ, cæterum quod in ercifcundâ familià eorum ratio sit habenda, rectè monet Groenew. *in notis ibid.* & nos ex eodem Grotio demonstravimus suprà *d. n.* 53.

Quemadmodum in omni societate fit, ut quæ conventa sunt de lucro communicando, eadem observanda sint de damno.
11 §. *illud.* 3. *Instit. de Societ.* ita & contingit in societate nostrâ conjugali, ut si pacto dotali placuerit, lucra ex quæstu obvenientia æqualiter communicari, damna quoque uterque conjugum ex æquo ferre debeat. Everhard. *consil.* 197. *n.* 3. Acac. de Ripol. *var. resol. cap.* 10. *n.* 362. Giurba *ad Messan. cap.* 9. *gl.* 4. *per tot.* Christin. *vol.* 3. *decis.* 51. *n.* 2. Vinnius *add.*
12 §. *illud.* Inde cum mulier pacto nuptiali stipulata esset, ut marito superstes lucraretur omnia mobilia, & quæstus, nullâ factâ mentione debitorum, judicatum est, secundum regionis consuetudinem eam contraxisse, atque ante omnia ex iis deducenda esse debita, luendosque reditus acquirendorum quæstuum causâ stante matrimonio constitutos, quæque supersunt ea demum stipulatione contineri. Lucrum enim non particulatim æstimatur, sed in
13 summa summarum, hoc est, id demum pro lucro reputatur, quod deducto omni damno, & impensis superest. *d. l.* 30. *ff. pro soc.* Lupus de Palac. Ruv. *in rubr. repet. de donat. int. vir. & ux.* §. 66. *n.* 1. & 2. Choppin. *ad mores Paris. lib.* 1. *tit.* 1. *n.* 23. *ferè in fin.* & *ad ll. And. lib.* 3. *tit.* 2. *cap.* 2. *n.* 2. Charond. *liv.* 7. *respons.* 92. & *en ses resolut. des quest. de droict. part.* 3. *tit.* 12.
vers.

vers. par. la coustume. Coquille *en ses quest. & respons. chap.* 138. Bacquet *des droicts de justice. chap.* 21. *n.* 79. Zypæus *in notit. jur. Belg. tit. de jur. dot. vers. Plerumque.* Grotius *lib.* 3. *Isag. part.* 21. *n.* 18.

Damnum autem non aliàs commune est, quam quod ex causâ societatis, & juris maritalis, non aliunde accidit. *arg. l.* 12. *ff. pro soc.* Coren *consil.* 18. *sub n.* 38. D. Rodenburg *de jur. conjug. tit.* 2. *cap.* 1. *de marit. potest. in contrah. n.* 12. *vers. differentiæ ratio.* Id quod deserviet quæstionibus non paucis diri- 14 mendis. Uxoris ædes in dotem datæ, stante matrimonio, in- 15 cendio, ruinâ, fundi chasmate perierunt, debitores non solvendo facti sunt, utrius damnum & periculum erit? Respondent nonnulli communioni imputari, si quod damnum alter passus sit in re suâ, quam in matrimonium intulit: æquum enim videri conjuges fortuitorum casuum esse participes. *l.* 22. §. 7. *ff solut. matrim.* deinde cum ex illatis bonis uterque conjux, fructus percepit, humanum esse, ut jactura horum ex communi saltem lucro resarcienda sit. Lupus de Palac. Ruv. *in repet. Rubr. de Donat. int. vir. & ux.* §. 66. *n.* 3. Goris *in advers. tract.* 1. *cap.* 4. *n.* 14. *in notis.* Quo etiam vergere videtur Grotius *lib.* 2. *Isag. part.* 12. *vers. Als oock. verb. of andersints veronghelukt.* Verum non est ita. Fatemur quidem infortunium stante matri- 16 monio subortum, ut alterius furorem (*de quo in d. l.* 22.) patienter esse ferendum, sed quid hoc ad res ab uxore illatas, quarum dominium solius uxoris fuit, cui itaque soli eas perire necesse est, cum res pereant suo domino? Itaque cum nullum earum pretium in commune utriusque patrimonium venerit, nihil quoque est, quod ab altero deduci possit. Ergò nec fructuum ex iis perceptorum ratio ad refusionem sortis quicquam facit, cum fructus quilibet quæstuum nomine communioni ilicò cesserint, satisque alter conjux jacturâ rerum uxoriarum prematur, quod earum commodo & fructu diutius gaudere nequeat. Hect. Felic. *de Societ. cap.* 16. *n.* 5. Duard. *de societ. lib.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 4. *n.* 31.

Her-

Herbai *rer. quotid. cap.* 16. Coren *d. consil.* 18. Sande *lib.* 2. *tit.* 5. *def.* 8. *in fin.* Consil. JCtorum Batav. *part.* 2. *consil.* 284. *&*
17 *tom:* 2. *part.* 3. *cons.* 123. Par ratio est, immodici pecuniarii damni, ob redimendum uxoriæ domus incendium ab hostibus lati. Puta Galliarum Rex postquam invaserat Provinciam nostram, edicto sanxit, ut omnes Hollandi, qui in hâc Provinciâ ædes & latifundia possident, intrà quindenam cum Procuratore Regio conveniant de solvendo tributo quod illis, istorum bonorum nomine imperaretur, adjectâ, ni faxint, incendii, ruinæque domus, arbustorum, sylvarumque excidendarum comminatione. Quo nunciato, Amstelodamensis, cujus uxor in pago vicino amœnum prædium possidebat, amicum per litteras rogat, ut postulata audiat. Denunciat Procurator Regius, adnumerandos esse continuo octies mille aureos, alioquin se mandaturum, omnes eas possessiones intrà triduum exinanitum atque direptum iri. Maritus, ut præsentaneas hasce ruinas sistat, tandem pacto convento Procuratori Regio ter mille aureos addicit, & pendi curat. Hujus certè erogatæ pecuniæ dispendium soli uxori no-
18 cebit, cujus prædium est. Nam quod vulgò dici solet, debere maritum res dotales suo sumptu tueri. *l. pen. & ult. ff. de impens. in res dot.* id intelligendum est, si modico id fieri possit, non si ingens pecuniæ vis in id requiratur. *d. l. pen.* Faber *ad Cod. tit. de rei uxor. act. def.* 27. Nec item oberit, quod juris sanctione
19 neque stipendium, neque tributum, ob dotalem fundum præstita, vir exigere à muliere possit. *l.* 13. *ff. eod. tit. de impens.* illud enim ita ICtus inibi exaudit, quatenus ea impendia sunt onus fructuum: nostro autem casu ista pecunia extrà omnem fructuum causam, & in id solum erogata est, ut uxoris prædium ab hostium manibus vindicetur. Itaque æquum est, ut hæc pecunia, ruinæ, incendiique redemptrix, damnó solius uxoris sit, cujus solius dispendio ipsa ruina, incendiumque fuisset. Alioqui maritus magnitudine tributi facilè deterreretur à conservandis rebus dotalibus, dum interim ille propter sævitiem, calamitatemque belli,

belli, vel nihil, vel parum ex prædio percipit, quod uxori quoque non expediret. Et hoc est quod ait ICtus *in d. l. pen. quæ impendia ex dote deduci debeant, ex genere & magnitudine impendiorum æstimandum esse.* Ita ex Juridicæ Facultatis Gryphiswaldensis consilio Mevius *ad jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 12. n.* 186. 187. Et post visus D. Joan. Voetius Professor Nassovius *tract. de Famil. ercisc. cap. 4. n.* 14. publicâ professione dignissimus. Quid si res illatæ in repertorio æstimatæ proponantur, 20
eæque perierint? Intererit an eo fine æstimatæ fuerint, ut exinde colligi possit contractam esse venditionem, quo casu cum earum dominium transierit in maritum, uxori pretium erit refundendum. *l. quoties* 5. *l. cum dotem* 10. *C. de jur. dot.* Si verò æstima- 21
tio in id solummodò facta sit, ut sciatur rerum valor, quanti eædem fuerint tempore dotis dictionis, & quantum pro iisdem redditurus sit maritus si dirempto matrimonio comperiantur culpa ipsa periisse, vel deteriores fuisse factas, iisdem sine mariti culpa imminutis aut deperditis, nulla earum rerum refusio marito incumbit. *l. si inter* 21. *Cod. l. cum post.* 69. *§. 7. ff. eod. tit.* Et 22
quanquam ex jure Castellæ & Lusitaniæ in dubio censetur res æstimatò doti data, ut venditionem efficeret. Molina *de just. & Iure disp.* 426. *vers. in posteriori & seqq.* Quo etiam vergit Carpzovius *part. 2. const. 42. defin.* 21. Apud nos tamen in posterio- 23
rem solummodò finem æstimatio adhibita intelligitur, uti docet & judicatum refert D. Someren *d. cap. 12. n. 4. in fine.* Confer Covarr. *pract. quæst. cap. 28. per tot.* Mutam *ad consuet. Panorm. cap. 47. n. 31. & multis seqq.*

Ex quo patet, damni, dispendii, seu æris alieni, vel imminu- 26
tionis patrimonii vocabulum nimis generale esse, complectens quasvis impensas, quævis damna, ac æs alienum ex quâcunque causâ stante matrimonio contractum: quæ generalitas, ex usu interpretationem ac temperamentum accipit; imprimis verò complectitur omne æs alienum in matrimonio legitimè conflatum, quod ex communi arcâ solvendum est.

25 Æs hoc alienum potissimum conflatur à marito, qui juris maritalis beneficio apud nos consequitur liberrimam bonorum omnium, etiam uxoriorum administrationem: hujusque potestatis hæc vis est, ut nequeat uxor absque mariti auctoritate ac consen-
26 su contrahere, nec quippiam aliud agere. Etenim, contrà quam Romanis placuit, apud nos uxor per matrimonium pro minore habetur, transitque in tutelam mariti. Grotius *lib.* 1. *Isag. part.* 5. *n.* 27. Sande *lib.* 2. *tit.* 4. *def.* 1. Groenew. *ad* §. 19. *Inst. de Excus. tut. & ad tit. C. qui legit. pers. standi n.* 3. Gudelin. *de jur. Noviss. lib.* 1. *cap.* 7. *vers. hoc enim jure.* Zypæus *in notit. jur. Belgic. tit. de Tutel. Sic mares fœminis junguntur, ut imbecillior sexus præsidium ex mutuâ societate sumat.* Inquit
27 Quintilian. *declam.* 368. Nisi quod mercaturæ ratio hoc exegerit, ut quæ marito auctore, vel consentiente propalam mercatur, se, suumque maritum obligandi facultatem habeat. Quasi maritus uxorem isti negotiationi præposuerit, ut suo ipsius facto intelligatur semetipsum obligasse. Itaque cum maritus ex tali negotiatione lucrum sentiat, rationis quoque est, ut & debitis mercaturæ nomine contractis obnoxius sit. Grot. *d. part.* 5. *n.* 37. Groenew. *ad tit. C. ne uxor pro mar. n.* 6. Sande *d. tit.* 4. *def.* 4. Herbai. *rer. quotid. cap.* 13. §. 20. Gudelin. *d. vers. Hoc enim jure.* Stockmans *decis. Cur. Brabant.* 56. *n.* 2. Mevius *ad jus Lubec. lib.* 1. *tit.* 5. *art.* 7. *n.* 100. Balthasar *resol. jur. Civ. & Bavar. tit.* 4. *resol.* 14. *n.* 13. Choppin. *lib.* 2. *de morib. Paris. tit.* 1. *n.* 9. Charond. *en ses Pand liv.* 2. *chap.* 5. *p. m.* 198. *& sur Paris art.* 230. *& en ses memor. observ. verb. femme. & verb. marchans, sur la fin.* Jo. Cowellus *Instit. jur. Angl. tit. quib. alien. licet.* §. 6. Chassan. *ad cons. Burgund.*
28 *rub.* 4. §. 1. Consentiunt consuetudines Nostrates *Rub.* 22. *art.* 4. Transisulanæ *part.* 2. *tit.* 2. *art.* 5. Daventrienses *part.* 3 *tit.* 2. *art.* 9. Bergizomiæ *tit.* 14. *art.* 18. Frisiæ *tit.* 2. *art.* 2. Tilenses *tit.* 5. *art.* 16. 18. Antverpienses *tit.* 41. *n.* 34. 40. *& seqq.* Lovanienses *cap.* 12. *art.* 6. Brugen-

genses *tit.* 3. *art.* 6. Gandenses *part.* 3. *rub.* 19. *art.* 2. Cortracenses *part.* 3. *rubr.* 12. *art.* 7. Bruxellenses *art.* 236. Mosæ-Trajectenses Car. de Mean. *ad jus Leod. part.* 1. *obs.* 59.
Ad negotiationem autem vel mercaturam non illi saltem spectant actus, quibus emitur aut venditur, sed etiam sine quibus negotiationem exercere non licet. Unde si mulier negotiatrix, pecuniâ egens, mutuum ab alio sumat, vel pro securitate crediti bona sua etiam immobilia oppignoret, fidejussorias cautiones pro socio mercante præstet, quanquam nec mutuum, nec hypotheca, nec fidejussio mercaturæ species sit, quia tamen sine iis vix subsistere negotiatio valet, tam ex mutuo, quam ob pignus, hypothecam, vel fidejussionem obligabitur maritus, quia mercaturæ causâ contraxit uxor. Grot. *d. n.* 27. Mev. *d. tract. lib.* 3. *tit.* 6. *art.* 21. *n.* 31. 32. Berlich. *part.* 2. *concl.* 17. *n.* 92. 93. Carpzov. *part.* 2. *const.* 15. *def.* 16. Nostrates Amisfurtenses *tit. van Man en Wijff. vers. Item dat.* 29
Alienandi tamen immobilia negotiatrix mulier potestatem non habet, cum alienatio non pertineat ad mercimonii tractationem, illud pertineat, ut pignoribus caveat creditoribus alioqui non contracturis. Berlich. *d. loc. n.* 94. Buridan. *sur Vermand. art.* 19. *vers. mais retournant. à la fin.* D. Rodenburg *d. tit.* 2. *cap.* 3. *n.* 20. *p. m.* 232. 30
ubi rectè monet, tutius apud nos fore, ut mercatrix, quæ à viro improlis est, unà cum eo bona immobilia hypothecæ supponat: cum enim nostras maritus illiberis, citrà uxoris præsentiam hypothecam dare nequeat, ambigi posset, an uxori id liceat, nisi insimul cum marito, & an tacitus ille mariti consensus, qui facit, ut mercando uxor adinstar viri obligationem contrahere possit, plus juris in uxorem transtulerit, quam ipse maritus habet. 31
Quorundam tamen mores immobilium hypothecæ subjiciendorum potestatem negotiatricibus uxoribus, absque mariti consensu, planè denegant. Antverpienses *d. tit.* 41. *art.* 41. Bergizomii *d. art.* 18. 32
Superioribus consequens est, si quid uxor fines negotiationis excedens gesserit, ut si, extrà ea quæ mercaturæ 33

intuitu fiunt, fidejusserit, veluti pro conductore fundi, qui nihil ad tabernam pertinebat, vel de judicio sisti, vel judicatum solvi, illud omne maritum non obligare, tanquam in hoc à marito constituta non fuerit. D. Rodenburg *d. tract. de marit. potest. in contrah. tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 19. *in fin. p. m.* 213. Neostad. *de pact. anten. obs.* 18. *n.* 6. Mev. *d. tract. lib.* 1. *tit.* 10. *art.* 1. *n.* 78. Cancer. *var. resol. lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 82. *& seqq.* Mean. *d. ob-*
34 *serv.* 59. *n.* 6. Mercaturæ autem nexu uterque conjux adeò devincitur, ut uxor negotiatrix unà cum viro vinculis nonnunquam cogatur exsolvere æs alienum, mercium nomine contractum, tametsi in sacris, potestateque mariti constituta sit. Judicata vide apud Choppin. *d. n.* 9. Charond. *liv.* 9. *resp.* 50. *à la fin.* Labbè *sur Berry tit. de l'Estat. des personn. art.* 7. Chenu. *en ses notab. quest. chap.* 57. *à la fin.* Tronçon *sur Paris. art.* 234. *vers. marchande.* Delommeau *liv.* 2. *de la jurispr. Franc. art.* 520. *vers. Le premier.* Automne *sur Bourdeaux art.* 3. *vers. la coustume.* Consentiunt Bruxellenses *art.* 236. Gandenses *part.* 3. *rub.* 20. *art.* 10. Confer D. Rodenb. *de jur. conjug. tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 18. *p. m.* 338. *& seqq.*

35 Exemplum negotiatricis non malè trahitur ad uxorem quæstoris ærarii, thesaurarii, aut simili in officio positi, quæ marito sciente, & patiente pecunias accipit, acceptas in diario notat, apochas dat, rationes cum debitoribus, vel reliquatoribus computat, adeòque in universum, mariti vices in munere fungendo explet. Cum enim consensus & patientia mariti in causa sit, ut uxor negotiatrix se suumque maritum mercando obliget, quidni idem dicemus cum maritus propalam sinit, uxorem munus suum obire, vel eam sibi in id negotii adsciscit, curæque partem in eam reponit? Etenim non est desiderandum, ut maritus singulis actibus ab uxore gerendis, aut generatim ei auctoritatem præstet, voluntatemque suam desuper declaret, vel publicè, vel singulis hominibus, qui quædam tractanda cum uxore suscipiunt, verum sufficit eos probare, in oculis mariti, uxorem passim ejus mu-

munus explevisse, eamque sciente & patiente marito similes actus exercuisse: maritus enim consensu suo firmat id quod palam agit uxor, cum inhibere posset, si displiceret. *text. in l.* 1. *§.* 5. *ff. de exercit. act. l.* 4. *§. idem Labeo* 9. *ff. de institor.* Sic sancitum apud Bellenses *cost. der Stede en Casselrye van Belle rub.* 5. *art.* 8. Casletentes *cost. en usant. der Stede Cassele tit. van contracten. art.* 266. Dummodò bonâ fide transigantur omnia, 36
uxorque non excesserit, muneris vel officii limites & terminos, in quo prudentis judicis erit, pro naturâ qualitateque negotii rem ita constituere, ut nec maritus citrà probabilem, verosimilemque suam intentionem æri uxoris alieno nimium intricetur, nec iis, qui bonâ fide negotia sua cum uxore gesserunt, magno præjudicio afficiantur. *text. in l. ult. ff. de exercit. act.* Ita Coquille *en ses quest. & respons. chap.* 103. Gomez. *ad l. Taur.* 54. *n.* 6. D. Rodenburg *d. cap.* 1. *n.* 20. Confer Costal. *ad l.* 2. *§. voluntatem ff. solut. matr.* Cosm. Nepit. *ad cons. Catin. tit.* 5. *n.* 28. Rat. *ad Pictav. art.* 227. *verb. veu & sceu.* Automne *aud. art.* 3. *vers. Que si la femme.*

Contrahunt quoque nescio marito, eumque & sese obligant 37
validè mulieres nuptæ, quatenus quid gestum est ab iis familiæ sustentandæ ac exhibendæ causâ, cæterorumque nomine quæ eo spectant. Aliàs enim à foro rerum venalium, & à curâ domesticâ essent arcendæ fœminæ, quo nihil absurdius, & ab earum officio & genio alienius foret. Impossibile quoque est, mulieres perpetuò præsentiæ mariti esse alligatas, quam sæpè cura & necessitas domestica expectare non patitur, imò muliebribus mercimoniis se miscere masculinum non est, nec conducibile: quis enim maritorum, nisi euclio, in officinis licitando de pretio ita disceptaret, ut mulieres solent? Quâ de causâ omninò dicendum, mulieres à maritis præpositas censeri administrationi rerum domesticarum, maritosque in eas istarum curam rejecisse omnem. Grot. *d. part.* 5. *post. n.* 37. Groenew. *ad tit. C. ne ux. pro mar. n.* 6. Sande *d. def.* 4. *vers. secundo.* Herbai. *d. §.* 20. Mev. *d. tract.*

tract. lib. 3. *tit.* 6. *art.* 13. *n.* 4. *& seqq.* Bouvot *tom.* 2. *verb. mariage quest.* 66. Mean *part.* 1. *obs.* 60. Frisii *tit.* 2. *art.* 2. Daventrienses *d. tit.* 2. *art.* 9. Lovanienses *d. cap.* 12. *art.* 6.
38 *in fin.* Bruxellenses *art.* 235. Eâ re verò quid comprehendatur, non liquidum semper & expeditum est. Sunt quorum mores solummodò loquuntur de supellectile, esculentis & similibus rebus ad œconomiam spectantibus, requiruntque prætereà ut eædem res in domum mariti illatæ sint, communique commodo cesserint. Transisulani *part.* 2. *tit.* 2. *art.* 5. Ruremundenses *part.* 1. *tit.* 2. §. 2. *n.* 14. Antverpienses *d. tit.* 41. *art.* 34. Bruxellenses *art.* 235. Bergizomii *d tit.* 14. *art.* 24. Tilenses *d. tit.* 5.
39 *art.* 18. Civica nostra Ordinatio *rub.* 22. *art.* 4. generalius statuit nefas esse uxori contrahere notabilia, & magni momenti debita, vernaculè *eenige notabile, of merckelijcke schulden.* Quæ autem talia sint, & quatenus eorum nomine in maritum actio sit danda, imò quatenus ipsa uxor censeatur obligata, ad arbitrium judicis pertinet, in cujus æstimatione veniet dignitas mariti, opes conjugum, numerus, onusque familiæ. Herbai. *d.* §. 20. Sande *d. vers. secundo.* Stockmans *decis. Cur. Brabant.* 56. *n.* 3. D. Rodenburg *d. cap.* 1. *n.* 21. Nam ut millia, aut centena aliqua mutuo sumat, quasi in familiam impensura, nemo negabit præter mentem Legislatoris esse, sicuti & si non necessaria emat
40 in diem, mox ea distractura argento præsentario. Inde videas Doctores adimere actionem ei, qui contraxit cum pecuniam mox perdituro. *l.* 8. §. *adolescens ff. mandat. l.* 8. *ff. pro empt.* Gomez. *lib.* 2. *var. resol.* 14. *n.* 35. Coler. *de process. execut. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 29. Faber *in Cod. lib.* 5. *tit.* 40. *def.* 7. Mev. *d. tract. lib.* 1. *tit.* 10. *art.* 5. *n.* 4. Sande *de prohib. rer. alien. part.* 2. *cap.* 1. *n.* 16. *p. m.* 130. Vinnius *ad* §. 3. *Inst. de Curat. in fin.* Cui congruit illud Senecæ *de Benefic. lib.* 2. *cap.* 14. *Pecuniam non dabo, quam numeraturum adulteræ sciam, ne in societate tur-*
41 *pis facti vel consilii inveniar.* Illationem emptorum in domum mariti apud nos præcisè non exigimus, fiduciam creditorum, in con-

contrahendo rem familiarem curari, solummodò respicimus. Hinc cum antehac nostratis uxor, in re lautâ versantis, gemmas ac lina pretiosa emisset, cum iisque deserto marito sese conjecisset in fugam, urgentibus à marito solutionem creditoribus, tractatum in Curiâ fuit, rationem non esse, quo minus empta solveret maritus, eo quod sæpiuscule passus fuisset, ejusmodi res pretiosas uxorem mercari. D. Rodenburg *d. n. 21. ubi rectè reprehendit Argentræum contrà opinantem.* Belordeau *part. 2. controv. 41.*

Illud in universum tenendum est, obligari virum ex contractu uxorio, quo ambo sunt facti locupletiores, jus enim nostrum non patitur aliquem cum alterius jacturâ fieri locupletiorem. *Ordin. Civic. d. rub. 22. art. 5.* Grotius *d loc. n. 38.* D. Rodenb. *d. n. 21. in fine, & quas paulò superius n. 28. 37. citavi consuetudines.* 42

Extrà horum, paucorumque forsan aliorum nomine, ab uxore contracta debita, solus maritus societatis magister est, cujus laxiores sunt habenæ in communes utrique fortunas, etiam insciâ ac inconsultâ uxore. De utili mariti administratione nemo dubitat, de inutili ac detrimentosâ dispiciendum est. 43

Tutelam pupillorum gessit maritus, compendium inde nullum societati inferri, vel sperari potest, dispendium ex malâ administratione imminet, commune hoc damnum erit, ex quasi contractu ortum, ideòque mortuo tutore marito, viduam æquè ac tutoris hæredes ad rationes reddendas, & reliqua solvenda condemnavit Frisiorum Curia. Sande *lib. 2. tit. 5. def. 8. vers: dubitatum.* Confer D. Rodenburg *d. cap. 1. n. 5. in fin.* 44

Quid si maritus pro aliis intercesserit, qui postmodum facultatibus sunt lapsi? Et communius Doctoribus placuit, ut fidejussionis dispendium soli marito noceat, societati inferri nequeat, cui exinde nulla sperabilis utilitas, fidejussioni enim noxa præsto est. Argumentum à servo deducunt, cui liberâ peculii dispensatione concessâ, non ideò tamen fide suâ jubere pro alio potest. 45

potest ipse, nec fidejussoriâ ex causâ solvere. *l.* 3. §. 5. *l.* 47. §. 1. *ff. de pecul. l.* 94. *in fin. ff. de solut.* Sande *d. defin.* 8. *vers. An etiam.* Sanz. *de divis. bonor. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 12. *& seqq.* Garsias *de Conjug. acquæst. n.* 149. Gamma *decis. Lusit.* 188. *n.* 1. Molina *de Just. & jur. disp.* 422. *vers. Si vir.* Coquille *sur Nivern. tit. du droict des gens mar. art.* 7. *& en ses quest. chap.* 108. Bouvot *en ses arrests tom.* 2. *verb. societè quest.* 9. Giurba *ad Messan. cap.* 9. *gl.* 2. *n.* 15. Quod & statutis suis caverunt Ruremundenses *part.* 1. *tit.* 2. §. 2. *n.* 11. Catinenses
46 *tit.* 3. *consuet. un. & ibi Nepita in comment.* Moribus tamen nostris ea sententia minimè quadrat. Repugnat enim quam manifestissimè liberrimæ administrationi mariti, cujus magisterio non convenit à pupillâ, uxore suâ, super intercessionibus veniam rogandi necessitas. Publicæ quoque utilitatis favore introducta hujusmodi sponsio est, ad mutua hominum commercia, civilemque adeò societatem tuendam; sicuti enim maritus pro aliis expromittit, ita pro eo vicissim, res suas curante, expromittunt alii, quo auctior & opulentior evadat conjugalium bonorum societas. D. Rodenburg *d. cap.* 1. *n.* 8. Groenew. *ad. d. tit. C. ne ux. pro mar. n.* 8. Choppin. *de morib. Paris. lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 10. Charond. *sur Paris. art.* 223. *p. m.* 169. *& en ses memor. observ. verb. caution. vers. celuy qui.* Delommeau *liv.* 2. *de la jurispr. Franc. art. ult. vers. Semblablement.* Duret *sur Orleans art.* 193. *vers. il ne peut lit. b.* Bouvot *des droicts des gens mar. art.* 9. *vers. Choppin.*

47 Plus dubitationis in mariti donationibus est. Etenim omnes præfatos Doctores, qui Fidejussionis damno uxores immunes faciebant, pro ratione opinationis suæ adducere videas, quod Fidejubere sit quodammodò donare, & perdere. Multi autem eorum qui nobiscum stabant, Fidejussionum causam, & rationem, differentem à donationibus statuunt. Choppin. & Cha-
48 rond. *dd. ll.* Putaverim tamen & mariti donationes, uxori quoque decedere, dummodò bona fide, justâ & probabili de causa, atque

atque sine fraude factæ fuerint. Quid enim si maritus donaverit ob id ipsum, quod existimaret è re societatis fore, communitatique quam maximè conducere, ut devinctum haberet eum, in quem donationem confert, licet in eo eventus expectationi non responderit? Evidens namque est maritum id omne egisse administrandi animo, non frustrandi, cum *liberalitatem jucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus faciat*. ut dicebat Plinius *in Panegyr. Trajan.* Quod si è contra in fraudem uxoris donaverit maritus, quo uxorem, ejusve hæredes quæstibus stante matrimonio factis interverteret, veluti si, uxore jam infirmâ, & morti vicinâ, multum donatione largitus fuerit: si cuncta bona, vel maximam eorum partem donaverit, utique intelligendus erit maritus fraudandæ uxoris consilium habuisse. *l. omnes* 17. *§. Lucius ff. quæ in fraud. credit.* Igitur accommodanda erit uxori revocatoria actio, adinstar Paulianæ, vel quandoque directa rei vindicatio ei concedetur. D. Rodenburg *d. cap.* 1. *n.* 8. 10. 11. D. Someren *de jur. Noverc. cap.* 4. *n.* 4. 5. Christin. *ad ll. Mechl. tit.* 9. *art.* 2. *n.* 4. *& seqq.* Peck. *de testam. conjug. lib.* 2. *cap.* 7. *&* 8. Mev. *d. lib.* 1. *tit.* 9. *art.* 2. *n.* 8. *& seqq.* Gutierr. *lib.* 2. *pract. quæst.* 121. Garsias *de Expens. cap.* 13. *n.* 18. Choppin. *de morib. Paris. lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 32. *in fin.* Charond. *en ses Pandect. liv.* 2. *chap.* 5. *p. m.* 198. *vers. le mary comme seigneur. & chap.* 21. *p. m.* 266. *& liv.* 3. *resp.* 73. *à la fin.* Bouvot *tom.* 1. *part.* 3. *verb. mari disposant, quest.* 1. Coquille *sur Nivern. tit. des droicts des gens mar. art.* 3. *& en ses quest. & respons. chap.* 109. Chassan. & Boguet *ad consuet. Burgund. tit. des gens mar.* §. 10. *per tot.* Molina *de Hispan. primog. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 66. Did. Perez. *ad Ordin. Regn. Castell. lib.* 5. *tit.* 4. *l.* 4. *verb. pueda enagenar el marido.* Inde videas multis Gallorum constitutionibus, postquam liberrima, quovis inter vivos modo, etiam donatione, de conquisitis dispositio concessa erat marito, ilicò adjectum fuisse, *sans fraude, sine fraude.* Aurelianenses §. 193. *& ibi Duret.* Bituricenses

tit. de l'Estat des personnes art. 19. *& ibi Labbè.* Parisienses *art.* 225. *& ibi Charond. & Tronçon. in comm.* ubi rectè Tronçonius ex Molinæo notat, ea verba potissimum eo tendere, ne maritus, ejusve hæres, ex tali donatione vel alienatione, præjudicio uxorii juris locupletior fiat. Quod & Bruxellenses caverunt
49 *art.* 237. Illud suprà, *tract.* 2. *cap.* 2. *n.* 12. adstruximus, si fortè prioris thori liberis mancipaverit maritus fundum stante matrimonio emptum, uxori nihilominus eum esse communicandum.

50 Quid si damnum ex Baccho, Venere, aleâ, similique prodigalitate, ac dissolutâ mariti vitâ descenderit? Hujus imminutionis bonorum partem uxori non imputari tradunt multi. Herbai. *rer. quotid. cap.* 14. Christin. *ad ll. Mechlin. tit.* 9. *art.* 11. *n.* 10. *in fin.* Mevius *d. lib.* 1. *tit.* 5. *art.* 7. *n.* 37. *& seqq.* Valasc. *de*
51 *partit. cap.* 24. *per tot.* Quorum sententia si ex regulis societatis simplicis metienda esset, verissima deprehendetur *arg. l.* 58. *ff.*
52 *pro soc. in fin.* Verum sæpius à nobis ostensum est, titulum pro socio nullam habere affinitatem cum præceptis connubialibus, jusque obligandi uxorem non derivare à rerum inter conjuges communione, sed à potestate & imperio maritali: cum enim mulier viro se tradidit in vitæ societatem, eâ lege ut imperium penes virum, ipsaque mariti voluntati subjecta sit, consequens est, ut culpam prodigalitatis unà luere teneatur uxor, quæ sibi imputare debet, quod talibus moribus præditum maritum, sibi suisque rebus præfecerit. Grot. *d. part.* 5. *vers. uyt kracht.* Groenew. *ad. d. tit. C. ne ux. pro mar. n.* 1. Neostad. *de pact. antenupt. observ.* 9. *in fin.* Sande *d. defin.* 8. *lit. c.* D. Rodenburg *d. cap.* 1. *n.* 7. Burgund. *tract. de Evictiion. cap.* 34. *n.* 1. *&* 4. Peck. *d. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 5. Sanz. *d. cap* 13. *n.* 15. Gutierr. *d. quæst.* 121. *n.* 7. Garsias *de acquæst. n.* 66. Giurba *ad Messan. d. gl.* 2.
53 *n.* 22. Illud de Frisiis, aliisque, mireris, quod prodigalitatis mariti dispendium in uxorem quoque, fidejussionis verò damnum in solum maritum rejiciant: cum fidejussio non ilicò nociva sit,

sit, sit prodigalitas; fidejussio ad civilem societatem tuendam pertineat, prodigalitas ad eam perturbandam: turpior quoque ac fœdior sit per Venerem, Bacchum, & aleam, quam per fidejussionem bonorum perditio: hæc accidentaria, & præter intentionem intercedentis, illa ex malevolo dilapidantis proposito orta, uti rectè observatum D. Rodenburgio *d. cap.* 1. *n.* 8. *in fin.* Ne tamen uxor per decoctorem maritum ad inopiam duca- 54
tur, occurrere potest malæ ejus administrationi, remque ad judicem deferre, qui causâ cognitâ non uxoris tantum, sed & suis bonis marito prodigo interdicit, omnemque administrationem ei adimit, illud publicando ne quisquam cum marito quicquam commercii habeat. Grot. *d. part.* 5. *n.* 41. 42. Herbai. *d. cap.* 13. §. 10. D. Rodenburg *d. n.* 7. *in fin.* Neostad. *d. tract. observ.* 8. *in not.* Sande *d. defin.* 8. *vers. ne tamen.* Groenew. *ad pr. Inst. quib. alien. lic.* Coquille *en son instit tit. des droicts des mar. vers. quand le mari.* Transisulani *part.* 2. *tit.* 2. *art.* 11. Daventrienses *part* 3. *tit.* 2. *art.* 8. Ruremundenses *part.* 1. *tit.* 2. §. 3. *art.* 10. Ex superioribus planum est, inutiliter ferè 55
Legislatorem nostratem circà immobilium à maritis alienandorum vel oppignorandorum facultatem, discrimen constituisse, inter maritos patres, & improles, iis alienatione, vel oppignoratione immobilium absque consensu uxorio concessâ, his denegatâ. Cum enim maritus fidejubendo, donando, bacchando, scortando, ludendo, prodigendo, uxorem, harum rerum ignaram, vel in solidum obligare possit, hancque obligationem tandem alienatio necessaria sequatur, quamvis non voluntaria ea futura sit, sed judiciaria, & coacta, æris alieni, quod uxori incumbit, distrahendi causâ, ferè est ut alienatio rerum uxoriarum eâ inconsultâ, vel invitâ, in manu mariti sit.

Transeamus ad damnum ex delicto alterius ex conjugibus 56
descendens. Et quidem scriptores nostrates gravius, aut improbius delictum discriminant à leviori, statuuntque hujus pœnam ex communibus, illius verò, ex solius delinquentis loculis esse

luendam. Goris *in advers. tract.* 1. *cap.* 4. *n.* 7. *idem ad consuet. Velav. cap.* 2. *art.* 5. *gl.* 1. Groenew. *ad d. tit. C. ne ux. pro mar.*
57 *n.* 3. Ita quoque Louet *en ses arr. lit. C. arr.* 31. Verùm rectè animadvertit D. Rodenburg *d. tract. part. alt. tit.* 2. *an conj. conjug. oblig. delinq. n.* 3. ex naturâ delicti, non gravitate pœnæ esse, quod innoxius ex delicto alterius non teneatur. Sunt apud quos homicidæ fugitivi bona omnia fisco addicuntur: apud nos, soli octoginta aurei: *instruct. Cur. tit. van proces crimineel art. ult.* utique hæc pœnæ gravitas, vel levitas juris diversitatem inducere nequit, vel efficere, ut magis vel minus insons muliercula ex delicto mariti teneatur: pœna enim licet minor sit, pœna tamen est quoad sui naturam & qualitatem. Maritus quidem caput est, magisterque societatis in contrahendis negotiis, non autem in flagitiis & pœnis. Nec propriè maritus eo nomine dicitur debitor, nec fiscus creditor, cum ex delicto etiam nolens & invitus sit obligatus: *obligationes*, ait Imper. *ex maleficio unius generis sunt, nam omnes ex re nascuntur, id est, ex ipso maleficio, veluti furto, rapinâ, damno, injuriâ. pr. Inst. de oblig. quæ ex delict. l.* 4. *ff. de O. & A.* Itaque ille tantum obligatus est, qui tale crimen commisit, *unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur, nec alieni criminis successor constituitur.* ait JCtus *in l. crimen* 26. *ff. d. pœn.* ibi ergò pæna erit, ubi & noxia est, cum peccata suos teneant auctores, ne ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum. *Impp. Arcad. & Honor. in l.* 22. *C. eod.* Igitur si vel ob levius delictum mulcta duntaxat pecuniaria pendenda veniat, rationis non est, ut hæc mulcta etiam innoxiam uxorem premat. Quid? corporalis pœna nonnunquam pecuniariæ substituitur, (plurimis enim hujus Provinciæ decretis sancitum est, ut qui incursam mulctam solvere nequit, in pelle luat) certum autem est, cum ob delictum corporaliter venit animadvertendum, eam pœnam soli peccatori conjugi infligi: quapropter cum is publicam eam infamiam, solvendo mulctam, evitaverit, num propterea immerens conjux eo magis in partem
damni

damni venire debebit? Ex quibus patet non rectè Doctores hu- 58
jus rei rationem in eo ponere, quod delictorum inter virum & uxorem societas contracta non sit, cum & citrà communionem bonorum uxor per maritum obligetur, ex solo illius in eam imperio: vera ratio est, quod obligatio ex maleficio, non descenderit ex aliquo imperio, & administratione, (cum & uxor, quæ sub mariti tutelâ est, inscio marito crimen contrahat) sed ex ipso maleficio, ipsâ noxâ, noxa autem caput sequatur; pœna constituatur in emendationem hominum *l. 20. ff. de pœn.* ille autem solus sit emendandus, qui peccavit, non innoxius. Hinc quoque est quod in liberos, hæredesque pœna non transeat. *d. l.* 20. Si ergò in- 59
ter conjuges bonorum omnium communio viguerit, maritus autem crimen commiserit, confiscatione bonorum plectendum, fiscus solum semissem auferet, uxor autem jus suum incolume, integrumque servabit. Sin solius quæstus inter eos communio intercesserit, etiam salva erit uxoria bonorum conquisitorum portio: cum enim Fiscus in mariti locum succedat, pro mortuo ille habetur. *l. actione* 65. §. 12. *ff. pro soc.* §. 7. *Inst. de societ.* & Fiscus hæredis loco est. *l. 2. C. ad l. Iul. de vi publ. l. inter eos.* 51. §. *fin. ff. de fidejuss.* Id quod non nostris modò, sed & aliarum gentium moribus receptum est. D. Rodenb. *d. loc.* Grot. *d. part.* 5. *n.* 35. Groenew. *d. loc. n.* 3. Goris *dd. ll.* Christin. *ad ll. Mechlin. tit.* 9. *art.* 2. *n.* 12. *& seqq. & ibid. in not.* Stockmans *decis.* 55. *n.* 5. Mev. *d. lib.* 1. *tit.* 5. *art.* 7. *n.* 40. *& seqq. & part.* 2. *tit.* 2. *art.* 12. *n.* 223. *&* 338. *& part.* 3. *tit.* 9. *art.* 3. *n.* 40. Carpzov. *part.* 3. *const.* 20. *def.* 23. Giurba *ad Messan. cap.* 16. *gl.* 4. *n.* 5. Grivell. *decis.* 114. *n.* 44. Garsias *de Acquæst. n.* 175. *& de Expens. cap.* 13. *n.* 19. Sixtin. *de Regal. lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 15. *& seqq.* Choppin. *de Doman. Franc. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 13. *& de morib. Paris. lib.* 2. *tit.* 2. *n.* 18. Chenu *en ses notabl. quest. chap.* 56. Charond. *en ses Pand. liv.* 2. *chap.* 33. *& en ses memor. obs. verb. communaute p. m.* 35. *& verb. condamnè, & verb. femme.* Bouvot *en ses arrests tom.* 2.

 verb.

verb. des droicts appart. à gens mar. quest. 9. Boguet *d.* §. 10. *vers. constant per tot.* Did. à Segura *de lucr. mar. & ux. n.* 32.
60 *& seqq.* Consentiunt consuetudines Zelandæ *costuym. en keur. cap.* 3. *art.* 45. Velavæ *d. cap.* 2. *art.* 5. Ruremundenses *part.* 1. *tit.* 2. §. 2. *n.* 20. Transisulanæ *part.* 2. *tit.* 22. *art.* 2. Zutphanienses *lantr. tit.* 11. *art.* 17. *in fin.* Antverpienses *tit.* 16. *art.* 1. Tilenses *tit.* 2. *art.* 13. Omlandæ *lib.* 3. §. 20. Gandenses *part.* 3. *rub.* 20. *art.* 9. Bellenses *rub.* 5. *art.* 10. Casletenses *art.* 267. Dendermundenses *rub.* 12. *art.* 8. Omnis ferè Galliæ quas diligenter congestas vide apud Belordeau *sur Bretagne art.* 444.
61 Si tamen ex delicto mariti commune patrimonium auctum sit, persecutio eorum quæ scelere acquisita probari possunt, Fisco competit, inquit JC[tus] Modestinus *in l.* 9. *ff. de jur. Fisc.* ne alieno scelere ditetur uxor. *l. un. C. ex delict. defunct.* Sande *d. defin.* 8. *vers. similiter.* Coquille *sur Nivern. d. tit. art.* 7. *vers. la question. & en ses quest. & respons. chap.* 108. *vers. se dict.* Brodeau *sur Louet lit. C. arr.* 35. *vers. Ultimo fallit.* Bouvot
62 *d. quest.* 9. *à la fin.* Similiter marito ex causâ criminis mulctato si mulctam solverit in matrimonio, eodem soluto ipsi uni, hæredibusve ejus ea mulcta imputabitur. Sande *d. vers. similiter lit. b.* Groenew. *d. n.* 3. Lupus de Palac. Ruv. *ad d. rubr.* §. 66. *n.* 18. *& seqq.* Choppin. *de morib. Paris. lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 23. Charond. *en ses Pand. liv.* 4. *tit. des reigles du droict. Franc. art.* 20. *& sur Paris art.* 220. *à la fin.* Bacquet *des droicts de justice chap.* 15. *n.* 85. Giurba *ad Messan. cap.* 9. *gl.* 2. *n.* 21.
63 Brodeau *ad d. arr.* 35. *in fine.* Idem jus in expensis criminalibus obtinet. Charond. *aud. liv.* 2. *Pand. chap.* 33. Papon. *lib.* 15. *tit.* 2. *arr.* 12. Bacquet *d. n.* 85. Jacq. Godefroy *sur Normand. art.* 330. *vers. mais non obstant.* Christin. *ad LL. Me-*
64 *chlin. tit.* 9. *art.* 8. *n.* 9. *in notis.* Illud forsan diversum jus constituet, si maleficium societatis intuitu commissum sit: puta pro conservatione bonorum communium, dum fortè, ea defendendo moderamen inculpatæ tutelæ excesserit maritus, indeque in num-
mariam

mariam mulctam condemnatus fuerit, hoc casu æquum videtur, uxorem in partem damni vocari. Lupus de Palac. Ruv. *d.* §.66. *n.* 30. *in fin.* Mozz. *de contract. tit. de Societ. cap. de natur. col.* 4. *n.* 41. *in fin.* Mevius *d. art.* 9. *tit.* 3. *n.* 45.

De eo quæsitum est. Uxor ex delicto in pœnam pecuniariam 65
condemnata est, poteritne ea sententia stante matrimonio executioni mandari? Sunt qui id negant, quasi uxor nihil committere possit dispendio, fraudique mariti, ideòque expectandum esse matrimonii exitum. Tiraquell. *de Legib. connub. gl.* 5. *n.* 156. *& seqq.* Imbert. *in Enchir. verb. Vir & uxor. à princ.* Charond. *aud. art.* 220. *& sur. Paris art.* 223. *& seqq. vers. Si la femme. p. m.* 169. *& liv.* 7. *resp.* 87. Bouvot *des gens mar. art.* 1. *vers. n'ester en jugement. vers. finali & en ses arrests. tom.* 2. *verb. des droicts appart. quest.* 1. Utilitas ta- 66
men publica, quæ exemplum postulat, facit ut jam maritalis commodi nulla habeatur ratio: ne ergò interim delicta manerent impunita, magis est ut publica privatis anteponamus, constanteque matrimonio sententia sortiatur effectum. Quid enim si uxor tantum æris solvendæ mulctæ non habeat, atque in pelle luere debeat, possetne maritus flagitare, ut ejus executio suspendatur donec solutum sit matrimonium? Minimè. Quæ ergò dedecori, probroque mariti in pelle teneretur luere, utique redemptricem ejus mulctam dispendio mariti continuò solvat necesse est, dirempto matrimonio eandem summam retributura. Herbai. *d. cap.* 13. §. 15. D. Rodenburg *d. tit.* 2. *n.* 5.

Superioribus consequens est, ut si mulctatitia pecunia excedat 67
partem mariti, posse uxorem intercedere, atque separationem bonorum petere. Etenim cum mulcta transcendit condemnati bona, nihil remanet unde posteà resarciri possit id, quod Fiscus ex uxoriâ portione auferre intendit: igitur cum alienæ culpæ dispendium nemo luat, utique quantum ad uxorem innoxiam, effectu inspecto, nulla differentia videtur esse facienda, an mariti bo-

na

na propter crimen confiscata sint, (quo casu uxori salvus & incolumis manet non tantum propriorum, sed & conquisitorum bonorum semis, *uti demonstratum suprà n.* 59.) an verò mulcta superet facultates mariti: utrobique enim consimilis est separationis bonorum noxii ab innoxii conjugis petendæ causa: siquidem ad exemplum noxalis actionis iniquum esset, nequitiam mariti ultrà ipsius bona uxori damnosam fore. *arg.* §. 2. *Inst. de nox. act.* sufficit ergò ipsius solius fortunas noxæ dedere, in quam rem proditum est præfatum illud separationis bonorum reme-
68 dium. Apud plerosque Gallos publicatione bonorum mariti includuntur mobilia viri & uxoris communia, publicatione uxoriæ substantiæ nulla omninò: eo quod apud ipsos mobilia in dominio solius mariti sint, uxor eorum usum duntaxat habeat. Imbert. *d. verb. vir. & uxor.* Argentr. *ad cons. Brittann. art.* 408. *gl.* 3. *n.* 2. *& ad art.* 422. *gl.* 2. *n.* 1. *& seqq.* Bacquet *du droict. de justice chap.* 15. *n.* 90. 91. Cui consequenter Brodeau *sur Louet lit. D. d. arr.* 31. tradit, ex mulctâ mariti, communia bona (sunt autem in Galliâ tantum communia mobilia & conquisita immobilia) in judicati causam capi posse,
69 frustrà intercedente & separationem petente uxore. Id quod moribus nostris non congruit, quibus, exclusâ bonorum communione, mobilia, cuique propria manent, cujus ante matrimonium ea fuerunt, quæstusque in matrimonio factus, quoad dominium, & possessionem, uxori ilicò communicatur. *uti dictum suprà tract.* 2. *cap.* 2. *n.* 11. Quid? marito bona sua dilapidante, si contingat uxorem censu ab eo separari, suam quisque partem in mobilibus & quæstu ex æquo aufert, non auferret ergò uxor unà cum bonis suis, mobilium, quæstusque portionem suam, si maritus nequam delinquendo bona sua profusissimè perdat? Ut cuivis alii prodigo bonis interdicatur, uxorque ab eo separetur, diligenti inquisitione præviâ opus est, nullâ opus, ubi delicta mariti sunt manifestissima, cum propter ea in tantum æris sit condemnatus, cui solvendo bona sua non sufficiunt. Ad

sti-

ſtipulatorem habeo D. Rodenburg *d. tit.* 2. *n.* 6. Confer Argentr. *ad. d. art.* 408. *gl.* 5. *n.* 3. Bouvot *en ſes arreſts tom.* 2. *verb. ſocietè queſt.* 41.

Et hæc quidem de damnatis ex cauſâ criminali. Alia ratio eſt 70
pœnarum, in quas maritus ex cauſâ civili condemnatus eſt: puta ob frivolam appellationem, vel temerariam reviſionem certo ære mulctatus eſt, damnum illud utrique commune erit, eo quod in cauſis civilibus vigeat illa mariti poteſtas, & imperium, etiam in noxiè geſtis, inque judiciis quaſi contrahatur. Bacquet *d. chap.* 15. *n.* 89. Papon. *d. tit.* 2. *arr.* 3. Brodeau *aud. arr.* 35. *lit. c. verſ. ſecundo.* Chriſtin. *ad LL. Mechlin. tit.* 9. *art.* 8. *n.* 9. *in not.* D. Rodenburg *d. tit.* 2. *n.* 8. Ruremundenſes *d. loc. n.* 20. *in fin.*
Similiter maritus fœneratitiam pecuniam promiſit reddere ad 71
certum diem, ni faxit, pœnam addere, culpâ mariti condicto tempore non ſolutâ pecuniâ tenebitur & uxor promiſſam pœnam luere. Charond. *liv.* 4. *reſp.* 58. Item ob non ſolutum ca- 72
nonem prædium emphyteuticum in commiſſum cecidit, damnum commune erit. Hæ enim pœnæ deſcenderunt ex contractu, in pœnis autem conventionalibus mulieris favor non attenditur. Itaque hoc negotium non alîus generis eſt, quam illud quod de non bonæ frugi, oſcitante, ac decoctore patrefamilias tradidimus modò. Judicatum vide apud Louet *en ſes arreſts. lit. F. arr.* 15. Conſentiunt D. Rodenburg *d. tract. tit.* 2. *cap.* 3. *de poteſt. alienand. inter viv. n.* 13. *p. m.* 227. Mornac. *in obſerv. poſth. ad l.* 30. *C. de jur. dot.* Jacq. Godefroy *ſur Normand. art.* 330. *verſ. ſecus.* Confer Coquille *en ſes queſt. chap.* 55.

Hæc maritalis vis ac poteſtas in uxorem ejuſque bona, circà 73
actus diſpoſitioneſque inter vivos ſolummodò operatur, non quæ ultimâ voluntate fiunt. Teſtamenta enim poſt mortem demum teſtatoris vires & effectum capiunt, morte autem mariti ceſſat ejus imperium, atque auctoritas. Nec in uxorio contractu neceſſarium mariti arbitrium, pertinet ad uxoris teſtamentum. *l.* 20. *ff. de V. S.* Quod enim uxor abſque viri licentiâ contrahe-

re nequit, eam tantum rationem habet, ne ea res fraudi sit marito, uxoris autem testamentum initium sumit ipso momento articuloque mortis, quo uxor sacris mariti liberatur, & matrimonium desinit. Incivile quoque putatum est, testandæ postremæ voluntatis facultatem ab alienâ potestate, arbitrioque pendere. *l.* 32. *l.* 70 *ff. de hæred. instit.* D. Rodenburg *de jur. conjug. tit.* 2. *part.* 1. *cap.* 4. *de potest. viri in testam. n.* 1. *& seqq. p. m.* 236. Grot. *lib.* 1. *Isag. part.* 5. *n.* 43. Sande *lib.* 2. *tit.* 4. *defin.* 4. Mean. *d. tract. part.* 1. *obs.* 55. *n.* 2. Bugnion *des loix abrog. liv.* 6. *sat.* 26. *& ibi Christinæus in notis.* Argentr. *ad consuet. Brittann. art.* 223. *gl.* 4. Mornac. *ad d. l.* 20. *in observ. posth. ff. de V. S.* Charond. *liv.* 5. *resp.* 5. Delommeau *aud. liv.* 2. *art.* 510. Christin. *ad LL. Mechlin. tit.* 9. *art.* 4. *n.* 36. Daventrienses *part.* 3. *tit.* 2. *art.* 11. Gandenses *part.* 3. *rub.* 20. *art.* 18. Bruxellenses *art.* 239. Medioburgenses *tit. van Rechten van man en wijff. art.* 5. Antverpienses *tit.* 41. *n.* 25.
74 Quanquam non desunt, apud quos sine marito non admittuntur conjuges testatrices. Vide Chassan. *ad cons. Burgund. d. rub.* 4. §. 1. *verb. n'aussi par testament.* Matth. de Afflict. *decis.* 260. Choppin. *de morib. Paris. lib.* 2. *tit.* 4. *n.* 21. Coquille *sur Nivernois tit. des gens mar. art.* 1. *verb. disposition. & en son institut. eod. tit. vers. les coustumes. & en ses quest. & respons. chap.* 104. Belordeau *sur Bretagne art.* 619. Mev. *ad jus Lubec. part.* 2. *tit.* 1. *art.* 14. Skenæ: *in leges Scotiæ lib.* 2. *cap.* 36. *n.* 7. 8. Hos tamen ferè omnes videas suos mores ini-
75 quitatis taxare, eorumque reformationem optare. Igitur apud nos maritus non amplius quam de suis bonis, dimidioque conquisitorum testari potest. Id quod variorum locorum statutis sancitum est, quæ diligenter congesta vide apud Christin. ad *LL. Mechlin. tit.* 9. *art.* 2. *n.* 14. *& art.* 11. *n* 14. 15. Consentiunt Brodeau *sur Louet lit. D. arr.* 48. Choppin *ad LL. And. lib.* 3. *cap.* 2. *tit.* 4. *n.* 10. Peck. *de testam. conjug. lib.* 2. *cap.* 1. Leonin. *consil.* 74. *in pr.* Buridan, *sur Vermand. art.* 18. *vers.*
D'avan-

D'avantage. Bergizomii *tit.* 17. *art.* 5. Antverpienſes *d. tit.* 41. *art.* 68. Buſcoducenſes *tit. van teſtamenten art.* 3. Iperenſes *rub.* 9. *tit. giften by teſtamente art.* 4. Bellenſes *d. rub.* 5. *art.* 9. Nec in æris alieni claſſem redigenda ſunt teſtamentaria 76
debita, ut legata à marito relicta, verum ea ex ſuis bonis ab hæredibus ejus ſolis luenda ſunt. *text. in l. verum* 63. *§.* 9. *ff. pro ſoc.* Leonin. *d. conſil.* 74. *n.* 3. Papon. *ad conſuet. Burbon. art.* 241. Boguet *d. tit. de gens mar. §.* 6. *verſ. les debtes. n.* 4. Coquille *d. tit. des gens mar. art.* 7. *à la fin.* Tronçon *ſur Paris art.* 229. *verſ. apres le trespas.* Charond. *liv.* 8. *reſp.* 21. *idem & Guerin ad conſuet. Pariſ.* 286. Chaſſan. *d. rub.* 4. §. 9. *verb. & ne ſont.* Conſentiunt Ruremundenſes *part.* 3. *tit.* 8. 77
art. 8. Antverpienſes *tit.* 47. *n.* 28. Brugenſes *tit.* 4. *art.* 6. Cortracenſes *part.* 4. *rub.* 16. *art.* 12. Bellenſes *rub.* 6. *art.* 16. Medioburgenſes *tit. van Succeſſien art.* 4. Mechlinienſes *tit.* 16. *art.* 36. qui tamen diverſum jus ſtatuunt, ſi ſuperſtes fa- 78
ctioni teſtamenti conſenſerit, ut tum legata de communi ſolvenda ſint: *ibique Chriſtin. in comment.* id quod à moribus no- 79
ſtris planè abhorret. Hæc enim uxoria de ſuis bonis data marito teſtandi licentia incideret in gratificationem, conjugibus etiam in ultimâ voluntate ſibi mutuo apud nos prohibitam: uti rectè D. Rodenburg *de jure conjug. tit.* 2. *cap.* 4. *de gratific. poteſt. n.* 38. *p. m.* 289. Boër. *ad conſuet. Bituric. tit.* 8. *§.* 2. *verſ. Sic in caſu.* Chaſſan. *ad Burgund. d. tit.* §. 4. *verb. ne peut. n.* 6. *& ſeqq.* Jo: Bapt. Larrea *deciſ. Granat.* 60. *n.* 13. Funebres quoque impenſæ ſuperſtitis damno partim non ſunt: mor- 80
tuo enim conjuge ſocio, non ſocietatis, ſed hæredum onus ſepeliendi eſt. *l. ſi pro ratâ* 27. *ff. de relig. & ſumptib. fun.* ideòque de hæreditate mortui eas extrahendas eſſe, dicitur *in l.* 45. *ff. eod. l. ſcimus* 22. §. 9. *Cod. de jur. delib.* Grot. *lib.* 2. *Iſag. part.* 11. *n* 13. Groenew. *ad l.* 16. *ff. de religioſ.* D. Someren *de jur. Noverc. cap.* 8. *n.* 1. Leonin. *d. conſ.* 74. *n.* 3. *in med.* Acac. de Ripol. *var. reſol. cap.* 10. *n.* 177. Coquille *d. art.* 7. *in fine.*

Fontanell. *de pact. antenupt. claus.* 6. *gl.* 2. *part.* 5. *n.* 19. *& seqq.* Parisienses *d. art.* 286. *& ibi Charond. & Tronçon.* Pictavienses *art.* 246. *& ibi Rat.* Burbonii *art.* 241. *& ibi Papon.* Burgundi *d.* §. 9. *verb. Et frais. & ibi Chassan.* Cortracenses *d. art.* 12. Bellenses *d. art.* 16. Dendermondenses *rub.* 15. *van sterf huys van man en vrouw, art.* 31. Gandenses *d. art.* 41. & 42. Medioburgenses *d art.* 4. Daventrienses
81 *part.* 3. *tit.* 2. *art.* 19. Quid de vestibus lugubribus? Sunt, quorum mores soli viduæ superstiti pullas vestes addicunt, marito non item. Bacquet *aud. traicté chap.* 21. *n.* 38. Brodeau *sur Louet lit. V. arr.* 11. *in fin.* cum maritus uxorem lugere non teneatur. *l.* 9. *ff. de his qui not. infam. Fœminis lugere honestum est, viris, meminisse.* Tacit. *de German. mor. Annum,* inquit Seneca *epist.* 63, *fœminis ad lugendum constituêre majores, viris*
82 *nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum.* Sunt, qui utrique has vestes denegant, superstitique, si defunctum lugere velit, eas de suo solvere injungunt. Coren *observ.* 38. *n.* 50. Groenew. *ad Grot. d. n.* 13. *& tract. de LL. Abrogat. ad l. un.* §. 7. *C. de rei uxor. act. n.* 4. Garsias *de Expens. cap.* 8. *n.* 36. *& seqq.* Argentr. *ad cons. Brittann. art.* 417. *gl.* 3. *n.* 2. Antverpienses *d. art.* 28. Ruremundenses *d. tit.* 8. *art. ult.*
83 Sunt & alii, qui utrivis superstiti, sumptibus hæreditatis præmortui conjugis, funebre vestimentum secundum dignitatem facultatesque ejus induunt. Nicol. Everhard. *consil.* 198. *n.* 19. Bouvot *en ses arrests. part.* 1. *verb. mari quest.* 4. *& part.* 3. *eod. verb. quest.* 1. *& tom:* 2. *verb. societè, quest.* 4. Transisulani, *lantr. part.* 2. *tit.* 2. *art.* 17. Daventrienses *d. art.* 19. Medioburgenses *tit. van successien. art.* 4. Quod
84 eousque à quibusdam diducitur, ut si superstes suismet pullatis vestibus defunctum luxerit, damno tamen hæredum defuncti tantum pretii inferre possit, quantum iis emendis impendi debuisset. Cancer. *var resol. part.* 3. *cap.* 11. *n.* 35. *post ibi-*
85 *dem citatos.* Casum excipiunt Tilenses cum superstes usufructuarius

rius est omnium bonorum, ut eo ex suis bonis teneatur solvere vestes lugubres, nisi contrarium defunctus voluerit. *tit.* 5. *art.* 22. Quod statutum coincidit cum eorum Doctorum placito, qui 86
vestes lugubres compensari volunt cum bonorum fructu. Riccius *in annot. ad Vinc. de Franchis decis.* 413. Cavalc. *tract. de usufr. lib.* 2. *cap.* 9. *sect.* 1. *n.* 52. Jo: Franc. Marcian. *disp. forens.* 49. *n.* 12. Vel cum eo quod defunctus superstiti conjugi 87
legavit. Fontanell. *de pact. antenupt. clausul.* 7. *gl.* 3. *part.* 6. *n.* 101. Hect. Capyc. Latro *decis.* 94. *n.* 12. Apud quosdam vestes lugubres una cum aliis funebribus solvuntur ex mo- 88
bilibus communibus, vel immobilibus conquisitis. Brugenses *tit.* 4. *art.* 6. Mechlinienses *tit.* 16. *art.* 35. *& ibi Christin. in comm. & in addit.* Bergizomii *d. tit.* 14. *n.* 41. Hujus Provinciæ moribus eos sequimur, qui vestes lugubres su- 89
perstiti indiscriminatim attribuunt, easque solius defuncti bonis imputant, uno ac communi funebri titulo, adeò ut nunquam in ercis cundæ familiæ negotiis ac judiciis hujus rei contradictorem viderim. Etenim ad pompam funebrem pertinere existimatum est, ut maritus pullatâ veste exequias faciat, nec una uxor maritum, verum & maritus uxorem lugeat, nam statim uxoris honestæ memoriam unà cum funere domo efferre, inhumanum est, & viro probrosum. D. Ant. Matthæus *de Auction. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 9. Nec soli superstiti debentur vestes lugubres, sed & domesticis 90
ejus. Mastrill. *decis. Regn. Sicil. part.* 1. *decis.* 10. *n.* 11. Fontanell. *d. part.* 5. *n.* 33. Giurba *ad Messan. cap.* 13. *gl.* 4. *n.* 33. Charond. *en ses memor. obs. verb. obseques.* Louet *d. lit. V. arr.* 11. D. Someren *d. cap.* 8. *n.* 3. Rhedam quoque lu- 91
gubrem superstiti adornare licet sumptibus hæreditatis, si defunctus solitus fuerit rhedâ vehi. Fontanell. *d. gl.* 3. *part.* 5. *n.* 30. Itidem domum panno pullato vestire. Polid. Ripa *de* 92
act. in artic. mortis, cap. 99. *n.* 38. Giurba *d. gl.* 4. *n.* 28. Illi sanè qui de compensando usufructu, vel legato superstiti relicto, 93
cum vestibus lugubribus loquuntur, apud nos audiendi non
 sunt:

sunt: cum nostrates conjuges sibi mutuo nihil quicquam, vel ultimâ voluntate, largiri possint, usumfructum autem, non nisi reciprocum, & quem alter invito altero revocare nequit, effectu enim inspecto, per speciem contractus, eamque solam inter conjuges licitam, datus intelligitur. D. Rodenburg *d. cap.* 4. *de conjug. gratif. potest. n.* 52. 53. Cum ergò uterque conjux ex mutui ususfructus causâ irrevocabiliter sit obligatus, isque solummodò superstiti cedat ex ambiguâ fati sorte, quæ aliò cadere potuisset, qui posset ille conventionalis ususfructus compensari cum lugubribus vestibus, ex decentiâ, & consuetudina-
94 riâ nostratium necessitate superstiti debitis? Illud nihilominus verum est, debere superstitem usufructuarium prærogare funeris sumptus, ut & partem communis æris alieni defuncti, verum illud in erciscundæ familiæ negotio refundendum erit ex eâ parte, quæ posteà defunctum contigerit. Bacquet *d. chap.* 21.
95 *n.* 80. Æs quidem alienum hæredis onus est, non conjugis fructuarii, etiam omnium bonorum: proinde jure communi solus hæres, non fructuarius à creditoribus hæreditariis conveniri poterat. Cum tamen, usufructu bonorum legato, æs alienum ex rebus defuncti deducendum sit. *l. fin. ff. de usufr. legat. l. usufructu* 69. *ff. ad l. Falcid.* pati debebat fructuarius, ut proprietarius ex bonis defuncti tantum distraheret, quantum necesse erat ad æris alieni exsolutionem. *l. fin. §. fin. C. de bon. quæ liber.* Covarr. *lib.* 2. *var. resol.* 2. *& ibi Uffelius in not.* Faber *in Cod. lib.* 3. *tit.* 23. *def.* 1. Peck. *lib.* 5. *de testam. cap.* 24. *n* 6. Zans. *de divis. bon. lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 98. *& seqq.* Grivell. *decis.* 73. M. Ant. Thomat. *decis.* 106. Kuyck *ad Cravett. consil.* 187. Sande *lib.* 5. *tit.* 3. *def.* 1. D. Jo: à Someren *d. cap.* 8. *n.* 4. Transisulani *part.* 2. *tit.* 3. *art.* 5. Daventrienses *part.* 3. *tit.* 8. *art.* 6. Zutphanienses *lantr. tit.* 14. *art.* 1. *& stadr. tit.* 28. *art.* 1. Velavi *tit.* 28. *art.* 5. Ruremundenses *part.* 2. *tit.* 4. §. 1. *n.* 4. Tilenses. *tit.* 7. *art.* 12. Apud nostrates superstes
96 conjux, qui massarius est, *den boedelhouder, of boedelhoudster,* solus

ſolus convenitur ad luenda, etiam defuncti, debita, lege repetendi. Idem obtinet Brugis. *Coſtuym van Brugge tit.* 4. *art.* 4. Gandavi. *part.* 4. *rub.* 25. *art.* 44. *& ſeqq.*

Reſtat conſideratio quæ de epulo funebri eſt. Hujus ſumptus 97
inter ſuperſtitem, hæredeſque defuncti dimidiatim ferendos eſſe ſanxerunt Gandenſes. *d. rub.* 25. *art.* 43. Iperenſes *d. rub.* 9. *art.* 8. Bellenſes *d. rub.* 6. *art.* 16. Dendermondenſes *rub.* 15. *art.* 31. Antverpienſes *d. tit.* 47. *n.* 28. Nullâ prorſus ratio- 98
ne, ſunt enim appendix expenſarum funebrium, eoque tempore eas fieri oportet, quo nulla amplius ſocietas eſt. Itaque noſtra praxis meritò eos ſumptus inter exequiales reponit, ſolius defuncti, hæredumve ejus damno, quibus ſolis, uti ſepeliendi, ita & amicos funus comitantes convivio excipiendi onus incumbit.
Quin imò apud nos epulum lugubre, modò non ſit abnorme, unà 99
cum reliquis funeratitiis privilegium inter creditores ſortitum eſt. Sic Curia noſtra *in der ſake van de crediteuren van den Heere Jacob van Aſch van Wijck op den* 16. *Mey* 1657. *Item de crediteuren van Gerrichjen Heſſels Wed*e. *van Melchior Thoniſſen, den* 30 *Marty* 1672. D. Ant. Matthæus *d. n.* 9. Conſentiunt Berlich. *part.* 1. *concl.* 64. *n.* 88. *& ſeqq.* Carpzov. *part.* 1. *conſt* 28. *def.* 41. *n.* 2. *& ſeqq.* Moller. *ad d. conſt.* 28. *n.* 9.
Charond. *d. verb. obſeques in fin.* Reliqua porrò quæ ex con- 100
ſuetudine civitatis in humando erogari ſolent, veluti quod veſpilloni, quod æedituo, quod pro clangore campanarum, pro chirothecis, pro inſignibus expenditur, quod vicinis funeratoribus donatur, & ſi qua ſunt ſimilia, expenſarum funebrium appellatione, damno ſolius defuncti, ejusve hæredum cedunt. D. Matthæus *d. n.* 9. D. Someren *d. cap.* 8. *n.* 2. Confer Garſiam *de Expenſ. cap.* 8. *à pr.* Coſtam *de quot. & ratâ. quæſt.* 73.

Diſpendio tamen ſolorum defuncti hæredum non veniunt 101
ſalaria Medicorum, ſumptus Pharmacopæorum, Chirurgorum, & ſimilium in curationem ægri inſumpti, etiamſi ex eo
morbo diem obierit. Illud quidem verum eſt, hæc ſalaria, ſum- 102
ptus-

ptusque, unà cum exequialibus privilegium inter creditores meruisse. De quo doctè D. Matthæus *d. cap.* 19. *n.* 8. Maynard. 2. *decis.* 48. Choppin. *ad LL. And. lib.* 3. *cap.* 3. *tit.* 5. *n.* 7. Cancer. *lib.* 1. *var. resol. cap.* 9. *n.* 9. Hect. Capyc. Latro *decis.* 47. *n.* 19. Carpzov. *d. const.* 28. *def.* 43. Charond. *liv.* 7.
103 *resp.* 86. Verum hoc singulari ratione ac favore introductum est, ne curationis auxilio destituantur ægri. Nostra autem inspectio non est, ubi de privilegio inter creditores disceptatur, verum ubi, uterque dives, solummodoque definiendum est, ex communibusne, an verò solius defuncti bonis præfata debita luenda sint: in quo intrepidè dicendum, æquo onere has impensas esse ferendas, ut cæteras omnes, stante matrimonio factas. *arg. l. quod in uxorem.* 13. *C. de negot. gest. l.* 43. *l.* 44. *ff. de V. S.* Herbai. *d. cap.* 14. *ferè in fin.* Sande *d. defin.* 8. *à pr.* Automne *sur Bourdeaux art.* 58. *vers. Par arrest.* Chassan. & Bouvot *ad d. art.* 9. *verb. Et frais funeraux.* Quod & Daventrienses sanxerunt. *part.* 3. *tit.* 2 *art.* 19. *in fine.* Tilenses verò incautè
104 satis præfatum discrimen non observando, unà cum funeris expensis ea salaria sumptusque in solius defuncti partem rejecerunt. *d. art.* 22. Quod & placuit Castill. Sotomaj. *tract. de usufr. cap.* 59. *n.* 25. Acac. de Ripol. *var. resol. cap.* 10. *n.* 178. 179. Cavalcan. *d. tract. de usufr. n.* 217. *vers. Secundo casu.*

105 Quod diximus de funeris impensis in defuncti partem rejiciendis, id ita exaudiendum, si exinde humatio commodè fieri possit: quod si bona non habeat, nec parentes hæredesque, aut eos quidem, sed qui solvendo non sunt, superstes suis sumptibus funus expedire debet. Hæc enim causa pia est, & commiseratione plena, nec honestas conjugalis id ferre potest tam inhumanum, ut alterius injuriâ alter horum insepultus jaceret. *l. si pro ratâ* 27. §. *fin: & l. seq. ff. de relig. & sumpt. fun.* Affectioni namque suæ superstes hos sumptus expendere debet. *l.* 13. *C. de negot. gest.* Costa *de remed. subsid.* 83. *n.* 5. Garsias *de Expens. cap.* 8. *n.* 46. 47. Fontanell. *d. tract. claus.* 6. *gl.* 2. *part.* 5.
n. 24.

n. 24. Giurba *ad Messan. cap.* 13. *gl.* 7. *n.* 5. Carpzov. *part.* 3. *const.* 25. *defin.* 19. *n.* 4. Gandenses *part.* 4. *rubr.* 25. *art.* 53.
Illud non immeritò cum Dion. Gothofredo *ad eand. l. lit. b.* 106
mireris, cur Romani patri, ante maritum, onus funerandæ filiæ injunxerint, cum, posthabito patre, conjuges invicem una caro facti fuerint. Eâ de causâ antiquitus placuit, conjuges in uno 107
tumulo esse sepeliendos: *quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum, quia una caro sunt. Can. Ebron.* 2. *in fin. Caus.* 13. *quæst.* 2. ut quorum mens una fuit in Domino, eorum quoque corpora sepultura non separaret. Inde Plato *lib.* 108
4. *de legib.* primam à conjugibus sollicitudinem exigit, quomodò eorum superstes defuncti funus expediret. Apud Messanenses 109
quoque communis inolevit usus, ut auspiciis matrimonii, etiam sub exclusione bonorum initi, pacto adigatur maritus ad parandum suis sumptibus uxorium funus, si conjugem vitâ superârit. Giurba *d. cap.* 13. *gl.* 8. *in fin.* Fit enim plerumque ut hæredes, dum undique bonis defuncti inhiant, parum de ejus sepulturâ curent. Quintus Curtius *lib.* 10. refert, Septimo die Alexandri Magni corpus jacuisse in solio: *curis*, inquit, *omnium ad formandum publicum statum à tam solenni munere aversis, re autem verâ dividentibus amicis regna, ac invicem dissentientibus.*

Jam fermè universim disseruimus, quæ, qualiave damna, vel 110
utriusque communi, vel alterius peculiari patrimonio decedere debeant. Cum ergò familiæ erciscundæ negotium tractandum venit, communium rerum cumulo prius subducendum est æs debitum. Redintegranda sunt cujusque illata, ac propria bona. Luendi reditus, oneraque alterius fundo stante matrimonio imposita. Refundenda alteri ea, quorum nomine dimidiatum nummum refundi debere docuimus suprà. Superstes præcipiet illud palmarium, quod fortè eventu longioris vitæ, vel aliàs, pactis dotalibus stipulatus est, quod superest constantis matrimonii acquisitum est, utrimque æqualiter dividendum. *l.* 30. *ff. pro soc. l.* 39. §. 1. *ff. de V. S. cum simill.* Grot. *lib.* 2. *Isag. part.* 12. *vers.*

Als oock Goris *in advers. tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 5. *in fin. & tract.* 2. *cap.* 6. *n.* 3. Sande *d. tit.* 5. *def.* 3. *verf. Soluto.* Chriftin. *vol.* 2. *decif.* 58. Mev. *d. tract. lib.* 2. *tit.* 2. *art.* 12. *n.* 290. *& feqq.* Henr. Kinfchot *refp.* 13. *n.* 38. Choppin. *ad LL. And. lib.* 3. *tit.* 2. *n.* 23. Delommeau *aud. liv.* 2. *art.* 336. Fontanell. *d. tract. claus.* 11. *gl. un. n.* 10. *& feqq.* Ruremundenfes *part.* 1. *tit.* 2. §. 4. *art.* 7. Antverpienfes *tit.* 41. *art.* 77. *& tit.* 52. *art.* 8. Bruxellenfes *art.* 298. Dendermondenfes *rub.* 12. *art.* 5. Daventrienfes *d. tit.* 2. *art.* 15. Bergizomii *d. tit.* 14. *art.* 34. 35. 37. Tilenfes *d. tit.* 5. *art* 19.

111 De eo hæfitatum eft. Pactis dotalibus pater fponfæ certam pecuniæ quantitatem dotis nomine promifit fponfo: ilicò poft contractas nuptias gener, datâ apochâ, fatetur fe à focero dotem accepiffe: verum focer incontinenti genero tradit fyngrapham dotis obligatoriam, quâ fatetur fe dotem non folviffe, fictamque effe priorem illam dotis apocham: pater fit non folvendo, cujus hæreditate filia poftmodum abftinet: foluto dehinc morte viri matrimonio, redintegrandane erit viduæ ab hæredibus mariti, vel ex communi quæftu pecunia illa doti dicta? Pro hæredibus viri facit antapocha huic continuò poft confeffionem folutæ dotis à focero tradita, quâ apochæ fictio, fucusque detegitur. Dotem quippe numeratio, non fcriptura dotalis inftrumenti facit. *l.* 1. *C. de dote caut. non numer.* cum igitur maritus acceptam fecit dotalem pecuniam, conceptâ modò fpe futuræ numerationis, utique incivile foret repetere velle id, quod in dotem datum non eft. *l.* 1. *C. de donat. ant. nupt.* Itaque hi mariti hæredes videntur defungi poffe, cedendo viduæ conjugi actiones contrà fucceffores, vel curatorem hæreditatis patris fui, novis tabulis obligati. *l. fi focer.* 44. §. *Lucius.* 1. *l. Mævia.* 48. *ff. folut.*
112 *matrim.* Aft viduæ caufæ firmiores fuffragantur juris rationes. Fictione enim brevis manus gener intelligitur dotem accepiffe, dotalemque pecuniam fœnori dediffe focero, cujus fidem, conditionemque, novâ fumptâ obligatione, fecutus eft. *l.* 26. §. 2. *ff.* *man-*

mandat. Siquidem habere fidem de dote, non illud est stipulari dotem, sed fateri datam, seque obligare ad restitutionem ejus, quasi solutæ. *arg. l.* 19. *ff. de contrah. empt.* tanti enim æstimavit posteriorem illam soceri sponsionem, dotisque cautionem, ac si dos ei reapse numerata fuisset: liberavit namque socerum, qui dotem ex pristinâ causâ præstare tenebatur. Ergò cum pecuniam à socero promissam, novandi causâ, ab eo novâ obligatione stipulatus est, commune cœpit esse periculum, & damnum posterioris istius obligationis, dosque, quasi soluta, ab hæredibus mariti viduæ restituenda est. Bartol. *in l. pen. §. si vir ff. sol. matrim.* Franc. Marc. *part.* 1. *decis. Delphin.* 180. Menoch. *lib.* 3. *præsumpt.* 12. *n.* 90. Fachin. *lib.* 8. *controv.* 74. Choppin. *de morib. Paris. lib.* 2. *tit.* 2. *n.* 5. Charond. *liv.* 6. *resp.* 83. *&* *liv.* 9. *resp.* 63. Maynard. *lib.* 2. *decis.* 77. *in fine.* Delommeau *en sa jurisp. Franc. liv.* 2. *art.* 333. *& seqq. vers. Quid si le mari.* D'Espeisses *part.* 1. *du dot. sect.* 3. *num.* 85. *à la fin.* Kuyck *ad Cravettæ consil.* 282. Hæc tamen stricta disputandi ratio qui- 114
busdam tribunalibus non placuit, æquius judicantibus, si non nimia culpari possit mariti in exigendo negligentia, non esse quod ille à mulieris hæredibus, aut ejus hæredes à muliere in amplius conveniantur, quam reverà ex causâ dotis marito adnumeratum est: pro reliquo sufficere actionibus suis adversus debitorem cedere. Inhumanum enim foret marito velle objicere & exprobrare, cur socerum protinus post datam apocham judicio non pulsaverit, dotisque quantitatem ab eo exegerit. Ita de Senatu Pedemontano testatur Ant. Thessaur. *decis.* 112. *n.* 3. De Cathalaunico Cancer. *lib.* 1. *var. resol. cap.* 9. *n.* 147. 148. De Burdegalensi Automne *sur Bourdeaux art.* 68. *vers. Mais si le mari.*

Illud quoque hoc loco investigandum est. Maritus, cum 115
sponsus esset, merâ liberalitate promisit sponsæ acquirere ducentas libras annui reditus, qui sit futurus ejus proprius, moritur autem nullo facto quæstu, debebiturne uxori, jam factæ viduæ,

id quod acquirere promissum, non tamen acquisitum est? Certè hoc casu & acquisitio, & factum deductum est in stipulationem, ob causam matrimonii, perindeque habendum ac si sponsus matrimonii causâ sponsæ donasset ducentarum librarum annuum reditum: hæc enim stipulatio pura est, nec ad acquisitionem aliud expectat quam matrimonium secutum. Itaque cum quæstus, si factus fuisset, mulieri ex conventione cessisset, non eo minus, si factus non fuerit, vel eundem facere neglexerit maritus, tantundem ex ipsius bonis uxori, vel viduæ erit præstandum; quando facti vel faciendi lex à vi ejusdem pacti descenderit: alioquin inutilis evaderet stipulatio, & mulier circumventa, quæ non aliter in manum viri convenisset. Chassan. *d. rub.* 4. *§.* 2. *verb. & acquests n.* 19. Argentr. *ad cons. Britann. art.* 221. *gl.* 4. *vers. Quid si quis.* Duret *sur Orleans* §. 186. *vers. sont uns.* Tronçon *sur Paris art.* 220. *verb. communautè.* Boguet *d. tit. des gens mar.* §. 4. *verb. en acquests.* Delommeau *aud. liv.* 2. *art. ult. lit. a.* Sane si conditionalibus verbis concepta sit
116 stipulatio, *si quæstus fieri contingeret*, vel, *quos fieri contingeret*, existimarem, nullis factis, nihil deberi, ex naturâ relativi, quod cum futuro conditionem continere putatur. Argentr. *d. loc. n.* 7. Perperam itaque existimat Jacq. Godefroy *sur Nor-*
117 *mand. art.* 330. *vers. mais j'ay cette opinion*, hanc promissionem semper continere tacitam conditionem, *si maritus quæstum faciat.*

118 Quod si non tantum nullus quæstus factus, sed & res familiaris conjugum retrò abierit, & imminuta sit, id quod consumptum est, ex utriusque illatis bonis æqualiter ferendum, atque resarciendum est, tametsi unius illatæ facultates longè superent alterius. Regulæ enim communis societatis, ut lucrum dividatur, damnum feratur ad rationem utrimque collatæ sortis, non obtinent in pactitio nostro quæstus consortio: sicuti ergò quæstus factus communis foret, etiamsi alter multum, alter parum contulerit, ita & damnum obortum commune erit.

Sande *d. verſ. ſoluto.* Bacquet *des droicts de juſtice chap.* 21. *n.* 105. *verſ. Si par un.* Ruremundenſes *d. art.* 7. Daventrienſes *d. art.* 15. Antverpienſes *d. art.* 8. Bergizomii *d. art.* 34. Gandenſes *part* 3. *rub.* 20. *art.* 13. Bellenſes *rub.* 6. *art.* 6. Franconates Flandri *deelboeck art.* 52. Tilenſes *d. art.* 19.

Cum igitur æs alienum inter conjuges communicetur, & æ- 119
qualiter luendum ſit, omninò conſequens eſt, denegari moribus noſtris privilegium mulieri dotem repetenti: tametſi illud pri- 120
vilegium dotis mulieri concedant Antverpienſes *Tit.* 41. *art.* 94. *& tit.* 66. *art.* 17. *& ſeqq.* Friſii, Sande *lib.* 2. *tit.* 2. *def.* 2. Apud Gallorum quoſdam, ſi cladem acceperit patrimonium, 121
non habet quidem mulier privilegium, concurrit tamen cum cæteris creditoribus pro ratâ debiti: ita judicatum tradit Charond. *en ſes Pand. liv.* 2. *chap.* 5. *p. m.* 186. Apud nos cum cre- 122
ditoribus non concurrit, ſiquidem creditorum actio eo tempore nata eſt, quo maritus ſe, ſuamque uxorem obligandi poteſtatem habuit, quâ actione cum creditores noſtrates integrum debitum à conjugum ſingulis exigere poſſint. (*ordin. Civic. rub.* 22. *art.* 3.) actio quam mulier prætenderet poſt mortem demum viri orta eſſet: iniquum autem foret, eam quæ paulò ante ſub perſonâ mariti correa, imò individuè rea debendi fuit, ſtatim cum ipſâ morte mariti adeò creditricem fieri, ut par ejus conditio cum iis creditoribus deveniret, quibus ex eâdem cauſâ debitrix eſſet. Grot. *lib.* 2. *Iſag. part.* 12. *§. ult.* Neoſtad. *de pact. antenupt. obſ.* 10. D. Ant. Matthæus *de Auction. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 27. *& ſeqq.* Bruxellenſes *art.* 247. Confer Herbai. *d. tract. cap.* 13. *§.* 5. *ſub fin.* Bugnion *liv.* 1. *des loix abrog. ſat.* 145. *& ibi Lib. Franc. Chriſtin. in not. idem liv.* 6. *ſat.* 12. Et 123
quanquam Hollandi tum privilegiarium jus dotium uxori concedant, cum pacto ſponſalitio lucri & æris alieni communio excluſa, aut uxori potentia data eſt, poſt mariti mortem bonis conquiſitis renunciandi, ſimulque æri alieno maritali ſemet eximendi: vel cum nuptialibus tabulis marito inhibitum eſt bo-

na uxoris dotalia alienare, ut hoc casu alienando nihil agat maritus, indulgeaturque uxori adversus quoscunque possessores rerum dotalium vendicatio. Groenew. *ad l.* 30.*C. de jur. dot.*
124 Id tamen moribus nostris non quadrat, quibus privatis istis pactis jus creditorum lædi, vel imminui nequit: ideòque non aliàs apud nos dotem salvam habebit uxor, quam cum, quæ clam pacta, publicari curaverit uxor: quod argumentum latius executus fui in
125 *comment. ad Novell. Ultraj. art.* 6. *n.* 38. Nec tantum dotis privilegium moribus nostris cessat, sed nec in lucris nuptialibus, quæ superstes ex conjugis bonis stipulata est, vel ex defuncti liberalitate sperat, ulla ei datur prærogativa. Itaque nec morgengeba, seu matutinale donum, arrhæ sponsalitiæ, annulus pronubus, ornamenta, quæ sponsæ donantur, superstiti uxori cedunt, nisi ante deducto ære alieno: id quod expressim apud nos definitum est statuto urbano. *d. rub.* 22. *art.* 1. *in fin.* D. Matthæus *d. cap.* 19. *n.* 31. Edicto Caroli V. Imper. *anni* 1540. *art.* 3. Grot. *d. part.* 12. *vers. insgelijx* Medioburgenses *tit. van Rechten aengaende man en wijff. art.* 13. Tilenses *tit.* 5. *art.* 3. Bergizomii *tit.* 14. *art.* 2. Cortracenses *part.* 4. *rubr.* 16.
126 *art.* 13. Bruxellenses *art.* 246. Nec item lucrum, quod ex statuto vel consuetudine superstiti conjugi debetur, lucri enim ratio non nisi post soluta debita habetur. Scheplitz *ad consuet. Brandeb. part.* 3. *tit.* 2. §. 3. *n.* 2. & 3. Mev. *d. art.* 12. *n.* 294.

Diximus suprà maritales contractus apud nos eatenus uxorem adstringere, ut eorum nomine ipsa in solidum sit obligata, judicatumque facere teneatur. Quid si nostrates conjuges, cum
127 grande æs alienum hic contraxerant, aliò habitatum iverint, ubi mariti obligationes uxores non tenent, isticque, postquam per longum tempus commorati essent, tandem mariti obitu conjugium dirimatur, intuendane erit postremi domicilii, solutique matrimonii lex, an verò coitarum nuptiarum, conflatique debiti? Prius à non infimi nominis Doctoribus affirmatum est, quasi

si nomina, cautionesque debitorum, traductis aliò domesticis laribus, traducantur quoque in legem novi domicilii, uxoriumque jus omne in communes fortunas, earumque onera propriè inchoetur decessu viri. Choppin. *ad mores Paris. liv.* 2. *tit.* 1. *n.* 5. Usque adeò ut si continuo post mariti obitum vidua in veteres sedes, ubi æs alienum contractum erat, remigraverit, nihilomagis creditoribus teneatur, exuta semel oneribus per legem mortuariæ domus. Charond. *liv.* 7. *respons.* 88. Mihi contrà 128
videtur, inutiliter mutari domicilium dispendio creditorum: non enim apud nos jus creditorum in uxorem, oritur ab obitu viri, sed continuo partum est post contractam cum marito obligationem, cui apud nos uxoria obligatio inest. Obligandæ enim uxoris potentia effectus maritalis imperii, ac juris administrandi est, ut quæcunque debita maritus manente matrimonio contraxerit, ea communi, tam suo, quam uxorio nomine contraxisse habeatur. Cum ergò creditores, jure publico freti, fidem utriusque conjugis sint secuti, certè novato domicilio nequaquam novabitur, vel immutabitur creditorum actio, jam dudum in uxorem nata, quæ illam comitabitur, quocunque tandem sese vertat. Leges namque loci, ubi obligatio orta est spectamus, quas in contrahendo secuti videmur. *l.* 65. *ff. de judic. l.* 6. *ff. de Evict.* Cumque communionis, vel quæstuum jura domicilii mutatione non mutentur, vel varientur, ne quidem inter ipsos conjuges, qui tamen fortè communi consilio larem familiarem aliò transtulerunt, *dixi suprà tract.* 1. *n.* 107. *& seqq.* quî posset uxor in præjudicium creditorum, solâ domicilii conjugalis translatione, iisdem sæpe insciis, vel invitis factâ, obligatione, oneribusque exui: nemo enim potest mutare consilium in alterius injuriam. *l.* 75. *ff. de R. I.* Alioquin mulieribus via sterneretur, quâ sese commodè conjugalibus debitis in necem creditorum eriperent. D. Rodenburg *d. tract. prælim. tit.* 4. *cap.* 1. *n.* 7. *& seqq. p. m.* 152. D. Ant. Matthæus *parœm.* 2. *n.* 65. *in fine.* Stockmans *decis. Cur. Brabant.* 54.

Cæ-

129 Cæterum cum incivile videbatur, mulierem ultrà ſua bona marito concredita teneri ad æs alienum ab eo conflatum, quodque ob ejus imperium, cui parere neceſſe habet, impedire nequivit, receptum apud nos eſt, ut poſt viri obitum eripere ſe poſſit judiciis debiti perſecutoriis, abdicatione domus mortuariæ; hâc adhibitâ ſolennitate, ut vidua relictis omnibus ante exequias mariti defuncti domo mortuariâ exeat abſque pallâ & calanticâ, indutaque ſolo amictu quotidiano. *ordin. civ. rub.* 23. *art.* 21. Idem Hollandis placet. Grot. *lib.* 2. *Iſag. part.* 11. *n.* 16. Apud
130 Burgundos vidua ignobilis continuò poſt inhumationem ſuper tumulo mariti Zonam diſcingere tenetur. *tit. des gens mar. art.*
131 20. Apud alios claves ſandapilæ vel ſepulchro mariti imponere debet, vel ſaltem claves eopſce die quo funus effertur porrigere amanuenſi Cameræ hæreditatum jacentium. Brugenſes *d. tit.* 4. *art.* 7. Lovanienſes *cap.* 12. *art.* 17. Medioburgenſes *d.*
132 *tit. van Reghten aeng. man en wijff. art.* 6. 7. Apud nonnullos viduæ intrà triduum claves porrigere, domoque cedere permittitur. Bellenſes *rubr.* 6. *van ſterf huys van man en wijf. art.* 13. Iperenſes *rubr.* 7. *van contract. van huwelick art.* 5.
133 Quod ſi uxor à marito abſit, adeòque præfato mori noſtrati ſatisfacere nequeat, ſufficit ilicò, poſtquam ei mors mariti innotuit, coram judice, vel notario & teſtibus declarare domus mortuariæ renunciationem. Ita curia noſtra *inder ſake van Geertruyd de Milanen, wed^e. van Willem Moreelſe cum ſuis impetranten, contrà Cornelis van Clarenburgh q. q. Ged^e. op den* 9 *May* 1668. Cui ſuccinit ſtatutum noſtras Montfortenſe *rub.* 9. *art.* 7. Apud
134 Burgundos eam teſtationem facere tenetur intrà xxiv horas à
135 mortis notitia. *d. tit. des gens mar.* §. 19. *&* 20. Aliorum conſuetudinibus arctius, aliorum longius tempus mulieribus in id indultum eſt; quas vide apud Tronçon *ſur Paris art.* 237. *verb. renoncer. verſ. la pluſpart.* Coquille *ſur Nivern. tit. des gens mar. art.* 14. *& en ſon inſtitut. au meſme tit. verſ. A eſtè dict cy deſſus.* Belordeau *ſur Bretagne art.* 432. Loyſeau

du

du deguerpissement. liv. 4. chap. 2. n. 12. Hâc ergò renuncia- 136
tione eximitur vidua debitis stante matrimonio à marito contractis, non iis quæ ea ipsa ante nuptias contraxerat. Etenim conditio creditorum, ex accidenti, matrimonio sc. subsecuto, mutari vel imminui nequit, nec mores mariti causari potest uxor in eo quod ipsa soluta gessit. Grot. *d. n.* 16. D. Someren *de jur. Noverc. cap. 7. sect.* 1. *n.* 13. Christin. *ad LL. Mechlin. tit.* 9. *art.* 8. *n.* 7. Chassan. & Bouvot *ad d. tit. de gens mar. §.* 21. *verb. & n'entend. on point.* Boguet *ad eund. tit. art.* 18. *verb. la moitie n.* 1. *&* 2. Coquille *d. loc. vers. non obstant.* Choppin. *ad Paris. lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 22. *in fin.* Charond. *en ses memor. observ. verb. communaute vers. la veufve p. m.* 24. Damhoud. *prax. Civil. cap.* 18. *n.* 21. Brugenses *d. art.* 7. Et ita judicavit Curia nostra, in causâ ante relatâ. Quapropter nec abdicatione domus mor- 137
tuariæ judicium effugere poterit vidua, quæ convenitur ex suopte contractu stante matrimonio inito. Chassan. *d. tit.* §. 20. *verb. par son mari. & elle.* Valla *de reb. dub. tract.* 13. *n.* 10. Delommeau *aud. liv.* 2. *art.* 238. *à la fin.* Boguet *d. n.* 1. Choppin. *ad LL. And. lib.* 3. *cap.* 2. *tit.* 2. *n.* 3. *&* 5. Charond. *sur Paris. art.* 238. *vers. si toutesfois. & verb. communaute. vers. la femme.* Christin. *d. n.* 7. Lovanienses *d. cap.* 12. *art.* 18. Brugenses *d. art.* 7. Proinde & vi- 138
dua mercatrix renunciando bonis nihil agit, cum adinstar viri, res proprias gerendo, creditoribus districtè sit obligata. Choppin. *ad ll. And. d. tit.* 2. *n.* 6. Charond. *en ses Pand. liv.* 2. *chap.* 5. *p. m.* 198. *& sur Paris. art.* 236. *& liv.* 13. *resp.* 85. Damhoud. *d. n.* 21. Grot. *d. loc. n. fin.* Lovanienses *d. art.* 18. Antverpienses *tit.* 41. *art.* 42. Leidenses *Keuren der Stad Leyden, art.* 114.

Plura sunt, quæ de hoc abdicandæ domus mortuariæ argu- 139
mento tractant scriptores Galli: an transeat hoc privilegium in hæredes uxoris præmortuæ. De quo Argentr. *ad consf. Brit-*


tan. art. 415. *gl.* 2. Choppin. *de morib. Parif. lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 24. Charond. *liv.* 2. *Pand. chap.* 5. *p. m.* 200. *vers. A eftè auffi jugè. & en fes refolut. part.* 3. *tit.* 12. *verf. l'ancienne.* Bacquet *aud. chap.* 21. *n.* 88. & 93. Boguet *d.*
140 *art.* 18 *.n.* 6. An contrà factam renunciationem vidua in integrum reftitui poffit. De quo idem Argentr. *d. loc. gl.* 3. *n.* 4. Charond. *aud. chap.* 5. *verf. la veufve & liv.* 7. *refp.* 136. Tronçon *fur Paris. art.* 237. *verb. renoncer. à la fin.* Guerin. *ad eund.*
141 *art.* Verum eæ quæftiones fundamentum habent in propriis illorum confuetudinibus, quibus vidua abdicando domum mortuariam abftinet folummodo bonorum communione, fit expers lucri & damni, eoque fua bona fibi confervat peculiaria, cum apud nos omnem fubftantiam deferere teneatur, ut focietatis oneribus eximi, neve judiciis executionibusque in pofterum pulfari poffit: privilegio in id tantum prodito, ut fecurè retineat vidua ea, quæ pofteà parta vel acquifita funt, veluti coluber depofitis exuviis.

142 De viduâ loquens ftatutum noftrum nullo modo marito viduo applicari poteft, hic enim focietatis magifter contracta à fe debita abdicatione bonorum effugere nequit. Id quod ftatutis nonnullorum locorum expreffim fancitum eft, uti apud Lovanienfes *d. cap.* 12. *art.* 17. Iperenfes *rub.* 7. *van contract. van huwelijck, art.* 5. Brugenfes *d. tit. art.* 8. Veromanduos *art.* 28. & *ibi Buridan. in comm.* Tronçon
143 *ad d. art.* 237. *verf. l'on à demandè.* Inde quæfitum eft, num viduus, cujus uxor mercatrix perperam negotiando, vel emacitate rem domefticam negligentius curando, tot, tantaque debita contraxit, quibus folvendis patrimonium impar eft, eodem abdicationis privilegio gaudeat? Et ficuti in viduâ iniquum vifum eft, eam ex mariti facto poft renunciationem amplius teneri, quidni idem obtineat in vi-
144 duo, qui ex uxorio facto judicium extimefcit? Verius tamen eft, marito hoc privilegium non prodeffe, cum enim uxo-

uxorem isti negotiationi, vel curæ domesticæ quasi præposuit, & firmavit id quod palam egit uxor, potuitque inhibere, si displiceret, ex suomet facto maritus obligatus intelligitur, ut proinde judicio debiti persecutorio sese eripere non possit. Mev. *ad jus Lubec. part* 2. *tit.* 2. *art.* 12. *n.* 166.

Revertamur ad viduam, quæ absque pallâ & calanticâ domo 145
mortuariâ exivit. Hæc si comperiatur alia quævis bona surripuisse, vel celasse, onerum rea manet *d. art.* 21. *stat. Civ.* Montfortenses *d. rub.* 9. *art.* 7. Amisfurtenses *tit. van weduwen voor die baer uyt te gaen.* Tilenses *tit.* 5. *art.* 25. Medioburgenses *d. tit. van rechten aeng. man en wijf. art.* 8. Bellenses *d. rubr.* 6. *art.* 14. Etiamsi rem modicam celaverit, vel 146
surripuerit: Ruremundenses, aiunt, *alenwaert maer einen holteren lepel. part.* 3. *tit.* 8. *art.* 4. Id est, *vel ligneum cochleare.* cum propter parvum maleficium, perdatur magnum beneficium, ut ait Baldus *tract. de statut. verb. uxor. n.* 3. Loyseau *aud. chap.* 2. *n.* 4. Charond. *en ses Pandect. liv.* 2. *chap.* 5. *p. m.* 200. *& sur Paris. art.* 238. *vers. ce qu'elle dict.* Coquille *en ses quest. & respons. chap.* 119. Bouvot *en ses arrests. tom.* 2. *verb. divorce, quest.* 4. *& verb. societè, quest.* 1. Christin. *ad LL. Mechlin. tit.* 9. *art.* 8. *n.* 25. Itaque quæ assedit morienti, subduxit loculos, suppilavit supellectilem, frustrà renunciat. *l. si servum* 71. §. 4. *ff. de acq. vel omitt. hæred.* Renunciasse prius, deinde intervertisse, aut subduxisse aliquid, re- 147
nunciationi disertè factæ non obest, nec ejus effectum infringit: interversio enim, rerum amotarum, vel furti actionem potius parit, quam reclamat viduam in servitutem actionum semel exutarum, & detersarum renunciatione. *text. in d. l.* 71. §. *ult.* Argentr. *d. gl.* 3. *n.* 3. Choppin. *ad LL. And. lib.* 3. *tit.* 2. *de connub. bon. societ. n.* 18. Charond. *aud. art.* 238. *vers. mais si hors & liv.* 2. *resp.* 103. Delommeau *aud. liv.* 2. *art.* 238. *& art. ult. vers. la femme.* Louet *en ses ar-*

rests lit. R. arr. 1. *& ibi Brodeaux in not.* Tronçon *sur Paris. ad d. art.* 237. *verb. renoncer à pr.* Belordeau *sur Bretagne. art.* 435. Bouvot *d. tit. art.* 21. *verb. & n'entend. on point.* Buridan. *sur Vermand. art.* 26. *vers. retournant.* Duret *sur Orleans. art.* 204. *vers. la chose estant entiere lit. f.* Christin. *d. art.* 8. *n.* 29. 30. *& ibid. in notis.*



DE

DE FINIENDA,

Vel Continuanda Connubiali Bonorum Societate.

TRACTATUS SECUNDI

CAPUT QUARTUM.

SUMMARIA.

1. *Conjugum separatione finitur eorum bonorum consortium.*
2. *Quot modis fiat ea separatio.*
3. *Romanorum in adulterantem conjugem, commodo innoxii, pœna.*
4. *Nostras statutum generatim reservat innocuo conjugi omne jus, omnemque persecutionem, quæ jure ei competit.*
5. *An hodiè dotem amittat adulter? Affirmat Groenewegius.*
6. *D. Ant. Matthæus eundem adulterum hodiè subjicit dispositioni legis* jubemus 11. C. de Repud.

7. 10. 11. *Utraque sententia refellitur.*

8. *Nostræ praxi consentientes consuetudines referuntur.*
9. *Jus Romanum in partes non vocandum, quod manifestâ desuetudine apud nos receptum non est.*

11. *Succedendi inter conjuges jus in his regionibus antiquatum est.*

12. 14. *An conjugalis bonorum societatis commodum per adulterium perdatur? Affirmantium sententia confirmatur.*

13. *Transisulanorum circà eam rem statutum refertur.*

15. 16. 17. 18. *Quid de quæstibus in matrimonio factis? Variorum locorum placitis adductis, definitur hisce conjugem adulterum apud nos non privari.*

19. 20. 21. 22. *Nazianceni, & aliorum graves, circà Romanorum discrimen pœnæ inter maritum & uxorem adulterantem, inclamationes.*

23. *Apud Groeninganos, qui* Old-ampten *vocantur, conjux nocens cadit proprietate omnium bonorum, commodo immerentis.*
24. *Quid si adulterii condemnatus, & ob id lucris privatus appellaverit, pendenteque appellatione decesserit?*
25. *Explicatur* l. ult. C. ad l. Jul. de Adulter.
26. *Separatione conjugum ob adulterii causam factâ, finitur inter eos bonorum societas.*
27. *Apud Reformatæ Religionis professores adulterium rumpit ipsum matrimonii vinculum.*
28. *Quid si conjuges spontaneâ voluntate thorum separaverint, ac bona sua diviserint? Hoc casu docet Grotius, quoad ipsos, eorumque hæredes societatem diremptam esse.*
29. 30. *Contraria sententia probatur.*
31. *Si uxor à marito sine justâ causâ decesserit, & seorsim ad mortem ejus usque habitaverit, non gaudebit ea communione intereà quæsitorum.*
32. *Nec lucro doërii in casum mortis promissi.*
33. *Modò conjux de moribus, fugâque uxoris questus fuerit, eamque sedulo curaverit domum revocandam.*
34. *Atque justum conquerendi tempus habuerit.*
35. *Quid si sententiâ judicis thoro, bonisque separati sint conjuges? Hoc casu multi administrationem quidem bonorum uxori concedunt, alienationem verò aut hypothecæ dationem, absque mariti auctoritate, non item.*
36. 38. *Alii separatione judicialiter factâ, omnem mariti potestatem tollunt, uxoremque quasi viduam considerant.*
37. *His mores nostrates congruunt.*
38. *Formula Curiæ nostræ in separandis conjugibus usitata.*
39. *Quid fiet de doërio, quod mulier eventu longioris vitæ dotali instrumento stipulata erat? Refertur opinio existimantium, si culpâ mariti separatio facta sit, ilicò uxori doërium deberi, perinde ac si mariti morte matrimonium solutum fuerit.*
40. 45. *Alii potius mortis horam expectandam esse docent.*
41. *Si tamen uxor ex suismet bonis sese sustentare nequeat, adjudicanda ei est ex mariti bonis congrua portio alimentaria.*
42. *Hujus quantitas aliquando constituitur ad valorem redituum, qui ex promisso doërio percipi potuissent.*
43. *Nisi mariti facultates tantæ erogationi pares non sint.*
44. *Cautio postulari potest, de doërio, ubi dies venerit, solvendo.*
46. *Curiæ nostræ cautela, quando non apparet liquidò, uter conjugum separationi causam dederit.*

47. *Lucrorum amissio cessat quando mutua reconciliatio intervenit.*
48. *Ea intervenisse creditur renovato concubitu.*
49. *Fiat tamen ea reconciliatio permissu Magistratus.*
50. 51. *Si verò sola thori, mensaque separatio contigerit, absque judiciali cognitione, neglecto etiam parentum consensu in gratiam mutuam redire possunt.*
52. *Quo casu medio tempore acquisita communioni cedunt.*
53. *Mors quoque est societatis conjugalis dirimendæ medium.*
54. *Adeò ut nec pacisci possimus, ut hæres succedat societati.*
55. 57. *Apud nos, ut fraus coërceatur superstitis, qui, divisionem non accelerando, in patrimonio grassari posset, societas bonorum cum liberis continuatur.*
56. *Statuti nostri verba.*
58. *Fundamenta item hujus constituti juris adducuntur.*
59. *Sunt quibus placet cum solis minoribus liberis bonorum societatem continuari.*
60. *Apud alios hæc societatis prorogatio etiam cum majoribus liberis fit.*
61. 62. *Hæc opinio nostratibus placuit, eaque æquitati congruentior est.*
63. 64 *Liberos non primi tantum, sed & ulteriorum graduum intelligimus.*
65. *Hæc continuatio absque facto inventario tenet, etiamsi tempore mortis nihil ferè in bonis fuerit.*
66. *Vel si conjux peregrè decesserit, ejusque mors non innotuerit.*
67. *An ea quoque continuatio obtineat in iis locis, ubi nihil de eâ reperitur cautum? Id multi affirmant.*
68. *Negativa sententia verior est.*
69. *Itaque apud eos liberi solummodò petere possunt parentis hæreditatem unà cum usuris & fructibus.*
70. *Statutum loquens de viduo viduâve à prole suâ indivisis, non extenditur ad collaterales, aut alios defuncti hæredes.*
71. *Nisi & eos speciatim includat.*
72. *Multo minus Fiscus, qui perduelli filio in bona succedit, utetur hâc societatis continuatione.*
73. *Apud quosdam, superstiti parenti secundæ nuptiæ denegantur, antequam prioris thori liberis bona præmortui parentis assignaverit.*
74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 83. *Quod cum apud nos cautum non sit, in quam partem societatis secunda uxor veniet? Plenè excutitur, & adductis variorum sententiis & judicatis tandem resolvitur, tutius hujus rei definitionem arbitrio judicis relinqui.*
82. *Actus continuandæ societatis est individuus, nec ea continuatio pro parte acceptari, pro parte repudiari potest.*

84. *In*

84. *In continuatâ societate, acquisita solum communicantur, non ipsæ sortes.*
85. *Parente mortuo hæc societas non amplius continuatur cum vitrico, vel novercâ.*
86. *Prorogata societas non est eadem illa, quæ inter liberorum parentes fuit.*
87. *In continuatâ societate, non licet parenti superstiti de quæstibus disponere, sicuti in primariâ illâ cum matre societate.*
88. *In eâ liberis integrum est repudiare communionis jura atque postulare, ut materna bona sibi illæsa præstentur, unà cum usuris & fructibus.*
89. *Consentientes consuetudines referuntur.*
90. *Liberi non possunt acquisita desiderare, nisi ante deductis oneribus.*
91. *Omnes liberorum reditus in eorum alimenta non sunt insumendi, si illorum debitum modum excedant.*
92. *Contrarium apud quosdam sancitum est.*
93. *In continuatâ societate parta, non consequuntur liberi ex maternâ successione, vel jure hæreditario, sed adventitio.*
94. *Fundi in istâ societate empti, non patrimoniales sunt, sed merè acquisititii.*
95. *Fundus feudalis in eâ societate emptus, non antiquum, sed novum feudum constituet.*
96. *Liberi jure continuatæ societatis acquisita partiuntur inter se æqualiter, absque ullo primogenituræ, vel præcipui jure.*
97. *Parens transitu ad secundas nuptias non amittit proprietatem eorum quæ ex continuatâ societate liberis acquisita fuerant.*
98. *In hanc continuatam societatem non veniunt hæreditates, legata, donationes.*
99. *Grotii opinio, circà hæreditates in productâ hac societate communicandas, refertur.*
100. *Galli delatas successiones inter parentum superstitem, & extremum liberorum æqualiter dividunt.*
101. 102. 103. *Hæreditas apud nos relicta, legatum, vel donatum, parenti, vel liberis ab extraneo, non commune, sed cujusque proprium erit.*
104. *Cujus contrarium Parisiensibus placet.*
105. 106. *Fructus tamen horum bonorum apud nos communioni continuatæ cedunt.*
107. *Ostenditur differentia inter quæstuum communionem, & societatem à lege prorogatam.*
108. *Hæc societatis continuatio comprehendit bona ubicumque sita.*
109. *An domicilii translatio infringat jus continuatæ societatis? Remissivè.*
110. *Tempus certum edendo bonorum inventario apud nos præfinitum non est. Praxis tamen observat, intrà annum & diem exhibitum, sistere societatis continuationem.*

111. *Apud*

111. *Apud quosdam inventarium cum quibusdam solennitatibus conficitur, & clauditur.*
112. 115. *Alii non inventarium solum, sed & divisionem bonorum desiderant.*
113. *Vel saltem ut unà cum inventario divisio oblata sit.*
114. *Alii etiam illegitimam, minusque solennem bonorum conscriptionem admittunt, ad negandam societatis continuationem.*
115. 116. *Sola inventarii exhibitio, tutoribus liberorum, vel ipsis liberis, si majores sint, facta, apud nos sistit societatis prorogationem.*
117. 118. 119. *Consonæ aliorum consuetudines referuntur.*
120. 121. 122. *Quid si posteà multa reperiantur in inventario omissa, celata quoque, & surrepta? Variorum circà definitionem hujus rei placita adducuntur.*
123. *Apud nos ante præstitum, super bonorum inventario, fidelitatis jusjurandum, rebus celatis, aut surreptis non cadit superstes, nec reviviscit communionis prorogatio.*
124. *Post præstitum illud jusjurandum, si qua alia bona reperiantur, ea solis liberis vel hæredibus cedunt.*
125. *Cui aliorum mores succinunt.*
126. *Casletensium statutum refertur.*
127. *Non sufficit apud nos superstitis de intermittendâ hâc societate in judicio facta testatio.*
128. *Nec quod superstes privatis rationibus liberos à se separaverit.*
129. *Tutori tamen sit exhibitum inventarium.*
130. *Judicatum profertur, quo pronunciatum est, intermissam esse societatem, cum pater inventarium exhibuerat avo liberorum materno, licet iisdem alius tutor datus esset.*
131. *Si post exhibitum bonorum indicem superstes longo tempore perrexerit uti frui bonis ante communibus, non propterea censetur ad societatem veterem relapsus esse.*
132. *Nec licet superstiti post iteratas nuptias pœnitere dissociationis liberorum.*
133. *Apud quosdam ad sistendam societatis bonorum prorogationem æquipollens confecto inventario admittitur.*
134. *Quid si superstes pater à defunctâ uxore relictus sit usufructuarius omnium bonorum? Quibusdam placet perstare nihilominus societatis continuationem.*
135. *Quod apud nos secus est.*
136. *Refellitur prior sententia.*
137. *Si defunctus uni, pluribusve ex liberis certam pecuniæ summam, aut*

 bono-

bonorum portionem, loco hæreditariæ assignaverit, (quod alicubi licet) cessat societatis continuatio.

138. *Interrumpiturne societatis prorogatio per dotem filiæ nuptiarum tempore datam? Negant multi.*

139. *Affirmant alii.*

140. *Quod tum admittimus, cum superstes disertè declaravit, dotem datum iri pro bonis maternis.*

141. *Dos apud nos semper constituta intelligitur ex bonis maternis.*

142. *Si pater tantum dotis dederit, quantum revera æquipolleat bonis maternis, dissoluta societas intelligitur.*

143. *Collatio dotis eritne facienda unà cum usuris & fructibus? Affirmantium sententia adfertur.*

144. 145. *Refellitur.*

146. *Sors, vel corpus dotis solummodò conferendum est, non verò usuræ, vel fructus ejus.*

147. 148. *Sumptus in studia peregrinationesque filii, in productâ hâc societate erogati, an conferendi?*

149 *Quid si pater filios, datâ certâ pecuniæ summâ, à se dimiserit, separatimque negotiari passus fuerit, eritne per hoc rupta societatis prorogatio?*

150. *Transactio cum liberis super hæreditate maternâ non facto inventario, an sistat societatis continuationem? Quod nonnullis negandum visum est.*

151. *Auctori affirmandum.*

Diximus sæpius suis locis, solutâ societate quid alterum ex conjugibus alteri præstare oporteat. Tempus est ut videamus quibus modis hæc conjugalis bonorum societas solvatur. Unumquodque eo genere dissolvitur quo colligatum
1 est. *l.* 35. *ff. de R. I.* Sicuti ergò hæc bonorum communio contrahitur viri & mulieris conjunctione legitimâ,
2 ita & finitur conjugum separatione. Hæc separatio vel contingit vivente utroque, vel morte alterutrius. In vitâ separantur conjuges propter adulterium, malitiosam desertionem, sævitiam maritalem, nonnunquam ob bonorum dilapidationem; quanquam non eodem effectu, simili tamen quoad bonorum
3 communionem dissolvendam. Apud Romanos, uxore adulterium

terium committente, maritus lucrabatur dotem, & ex reliquis
mulieris bonis tantam portionem, quanta erat tertia dotis. E-
contrà, adulterante marito, uxor lucrabatur donationem pro-
pter nuptias, & ex reliquâ ejus ſubſtantiâ tertiam ejuſdem dona-
tionis. *l. conſenſu* 8. §. 3. *&* 5. *C. de repud. Novell.* 117. *cap.* 8.
Statutum noſtrum quod de cauſis matrimonialibus eſt, *anni* 4
1584. *art.* 28. poſt publicam animadverſionem parti læſæ, ſeu
viro, ſeu uxori reſervat omne jus, omnemque perſecutionem,
quæ adverſus adulterum, tam ad ſeparandum conjugium, quam
aliàs, jure ei competit. Inde quoque hodiè adulteram dotem 5
amittere tradit Groenewegius *ad d. Novell.* 117. *cap.* 8. Con- 6
trà concludit D. Ant. Matthæus *tract. de Crimin. tit. de adult.*
3. *cap.* 7. *n.* 14. cum in Belgio nullæ veræ dotes, nullæque do-
nationes propter nuptias ſint, iniquum tamen ſit, ut pars læſa ob
adulterium alterius nihil lucrifaceret, definitionem hujus rei
hodiè petendam eſſe ex *l. jubemus* 11. *C. de Repud.* quâ Juſti-
nianus conſtituit, ut ſi matrimonium ſine dote, vel donatione
propter nuptias conſtiterit, ob adulterium unius lucretur alter
partem quartam bonorum ejus, proprietate liberis ſervanda, ſi
qui ex eo matrimonio ſuperſtites fuerint. D. Matthæum ſequi-
tur poſt viſus D. Brouwer *de jure Connub. lib.* 2. *cap. ult. n.* 25.
Utraque ſententia moribus noſtris diſſonat. Jus enim perſecu- 7
tioque quæ parti læſæ contrà adulterantem conjugem hodierno
jure competit, eo conſiſtit, ut ſi, ob adulterium unius, con-
juges ſeparari contingat, quiſque res ſuas habeat, ilicò lucri-
faciat pars innocens omne illud quod aliàs eventu longioris
vitæ ex alterius ſubſtantiâ conſequeretur; perdat conjux nocens
omnia ea quæ ipſe conjugi ſuperſtes lucratus, vel habiturus
fuiſſet, uſumfructum, matutinale donum, reliquaque commoda
quæ pactis dotalibus pepigerat. Lucrum dotis, vel quartæ bo-
norum partis, utut ex præfatorum Doctorum Virorum doctrinâ
petitum, denegavit Curia Urbana innoxio conjugi *ult. Julii*
1657. quæ ſententia à Supremâ Curiâ in appellationis judicio

8 confirmata est. Nominibus parco. Vide consuetudines Transisulanas *part. 2. tit. 1. n. 20.* Daventrienses *part. 3. tit. 1. art. 32.* Bergizomias *tit. 14. art. 20. & 29.* Ruremundenses *part. 1. tit. 2. §. 3. n. 1. & seqq.* Antverpienses *tit. 41. art. 29. & seqq.* Confer Charond. *en ses Pandect. liv. 4. chap. 12. p. m. 523. & part. 2. chap. 11. p. m. 733.* Berlich. *part. 4. pract. concl. 29.* Carpzov. *prax. crimin. quæst. 64. n. 32. & Respons. Elector. lib. 5. tit. 10. resp. 109. n. 1. & seqq.* Mev. *ad jus Lub. part. 2. tit. 2. art. 12. n. 408. & seqq.* Chri-
9 stin. *ad LL. Mechl. tit. 2. art. 13. n. 6. & seqq.* Cum itaque consuetudines nullam faciunt mentionem amittendæ præterea quartæ bonorum partis, frustrà hoc casu ad jus Romanum confugiemus, quod manifestâ desuetudine apud nos receptum non est. Goris *in advers. tract. 3. part. 1. cap. 9. n. 28.* Leonin. *lib. 6. Emendat. cap. 3. in fin.* Gudelin. *de jur. Noviss. lib. 1. cap. 13. vers. quid moribus?* Vinnius *ad rubr. Inst. de*
10 *Adopt.* Quinimò conjectura est, rationem amittendæ propter adulterium quartæ bonorum partis apud Romanos constitisse in superstitis jure succedendi ab intestato defuncto conjugi in quartam, juxtà *Auth. Præterea. C. unde vir. & ux. Novell. 53. 74. 117. 127,* ut innocens conjux ex adulterantis bonis eam quartam perinde nanciscatur, ac si mors peccatorem è medio sustulisset: unde efficitur, ut quibus in locis peculiaria vigent statuta, vel de majori, vel minori, vel etiam nullâ bonorum parte ex defuncti bonis à superstite conjuge lucrandâ ex singulorum statutorum dispositione judicandum sit, quid, quantumque, vel an omninò nihil innoxius conjux ex adulterantis bonis lucrari debeat: uti observatum est Carpzovio *d. quæst. 64. n. 44.* Me-
11 vio *d. art. 12. n. 409.* Itaque cum illud inter conjuges succedendi jus in hisce regionibus nunquam receptum, sed antiquatum fuerit, Grot. *lib. 2. Isag. part. 30. vers. want. n. 2. & seqq.* Neostad. *decis. supr. Cur. 7. vers. Quanquam.* Fred. à Sande *de Feud. Gelr. tract. 1. tit. 3. de success. legit. cap. 1. §. 1. n. 40.*
Groe-

Groenew. *de LL. Abrog. ad d. Auth. Præterea. C. und. vir. & ux.* Ipse D. Matthæus *tract. de success. in Auctar. de divort. leg. & usus. art.* 66. non est quod Romanorum illud argumentum de quartâ propter adulterium commodo innoxii conjugis amittendâ ad forum nostrum traducatur.

De conjugalis bonorum communionis commodo quæsitum fuit, an illud per adulterium perdatur? Affirmant Groenewegius *ad d. Novell.* 117. *n.* 3. Perez *ad tit. C. solut. matrim. n.* 19. Ruremundenses *d.* §. 3. *n.* 2. Iperenses *rubr.* 11. *van Rechten van gehuwede art.* 6. Bellenses *rub.* 5. *van contracten van huwelijck art.* 12. Transisulani verò *d. loc.* si nullæ tabulæ dotales extent, bonorum dividendorum rationem habendam esse volunt, ac si pars nocens diem obierit, communionis ergò jus nocenti non videntur adimere. Affirmantium sententiam veriorem existimarem: cum enim conjux per adulterium nocens excidat pactitio tabulis dotalibus commodo, quidni excidat communionis? quod ipsum ex conventione tacitâ descendere demonstravimus suprà. *tract. de connub. bon. societ. n.* 115. *& seqq.* Fac enim maritum, qui fortè in bonis nihil, aut parum habet, luculentum matrimonium, insimulque communionem bonorum contraxisse, & paulò post thorum violasse, possetne per hoc illud perfidiæ suæ præmium consequi, ut uxorculæ innocenti dimidiatas suas avellat facultates, cum vel tantillo excidisset pactitio lucro? absonum est. Puto tamen Transisulanorum præfatum statutum ita exaudiendum esse, ut tum bona dividantur perinde ac si nocens è vitâ excesserit, cùm nocentis conjugis facultates superant innocentis, non si inferiores sint, ut damnum quidem sentiat nocens, lucrum autem non nanciscatur: contrà nocentem enim verba directa sunt, pro eo non explicanda. Et in hunc sensum rem definivit uterque Senatus in causâ ante relatâ. Confer Coquille *sur Nivernois tit. du douaire. art.* 6. Charond. *aud. chap.* 11. *p. m.* 733. Pithou *sur les coust. de Troyes tit.* 5. *art.* 83. *vers. Entre le survivant.*

12

13

14

Buridan. *ſur Vermandois art.* 26. *verſ. fin.* Carpzov. *part.* 3. *conſt.* 26. *defin.* 20.

15 Quid de quæſtibus in matrimonio factis? His uxor adultera commodo mariti privatur apud Ruremundenſes *d. loc. n.* 3. Luſitanos. Barbos. *ad rubr. ff. ſol. matr. part.* 2. *n.* 61. 62. Quod & placet D. Brouwerio *d. n.* 25. *ſub fin. & n.* 28. Apud
16 Antverpienſes, ſolo eorum fructu. *d. tit.* 41. *n.* 30. Vix tamen
17 eſt, ut apud nos quæſtibus uxor adultera excidat, quorum dimidium collaboratione, atque adeò propriâ operâ conſecutâ fuit, non munificentiâ mariti, vel lucro thori, quique quæſtus uxori non minus quam marito confeſtim poſt acquiſitionem ex æquo competunt. *uti dictum ſuo loco.* Ita Cancer. *lib.* 1. *var. reſol.*
18 *cap.* 9. *n.* 144. Quapropter nulla ratio eſt, cur illi legum conditores uxorem quæſtibus privent, maritum autem adulterum non item, cum utriusque adulterantis par ſit perfidia. Confer Cha-
19 rond. *liv.* 9. *reſpons.* 33. Conjectura eſt præfatos ſtatuentes diſcrimen illud ex jure Civili deſumpſiſſe, quo ſolus maritus uxorem, non verò uxor maritum adulterii accuſare poterat. *l.* 1. *C.*
20 *ad l. Iul. de Adult.* In quam legem graviter inſurgit Nazianceпus *Orat.* 31. *ad cap.* 19. *S. Matthæi. Quid cauſæ*, inquit, *fuit, cur lex mulierem coërceret, marito autem indulgeret, eumque liberum relinqueret, & mulier quidem, quæ improbum conſilium adverſus viri ſui cubile ſuſceperit, adulterii piaculo conſtringatur, acerbiſſimiſque pœnis excruciaretur, vir autem qui fidem datam per adulterium violaverit, nulli ſupplicio obnoxius ſit? Hanc legem haud quaquam probo, hanc conſuetudinem minimè laudo. Viri erant, qui hanc legem ſanxerunt, ac propterea adverſus mulieres lata eſt. — At Deus non ſic. — Æquè & virtuti honorem, ac præmia, & ſceleri pœnam conſtituit. — Legis æquabilitatem videtis, unus viri & mulieris creator, pulvis unus, uterque caro una, lex una, mors una, reſurrectio una. Æquè ex viro & muliere procreati ſumus, unum idem parentibus debitum filii perſolvendum habent, quâ*

igi-

igitur fronte pudicitiam exigis, quam ipse non præstas? Quomodò, quod non das, petis? Quomodò corpori pari honore prædito imparem legem statuis? Cui succinit illud Hieronymi *Epistol. ad Oceanum* 30. *Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi. Aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. Apud illos viris impudicitiæ frena laxantur — Apud nos quod non licet fœminis, æquè non licet viris, & eadem servitus pari conditione censetur.* 21
Seneca *Epistol.* 94. *ait. Scis improbum esse, qui ab uxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor uxorum. Scis ut illi nihil cum adultero, sic nihil tibi esse debere cum pellice.* Itaque rectè Plautina illa anus Syra conqueritur *in Mercat. act.* 4. *scen.* 6. 22

Ecastor lege durâ vivont mulieres,
Multoque iniquiore miseræ, quam viri.
Nam si vir scortum duxit clam uxorem suam,
Id si rescivit uxor, impune est viro,
Uxor viro si clam domo egressa est foras,
Viro fit causa, exigitur matrimonio.
Utinam lex esset eadem, quæ uxori est, viro!
Nam uxor contenta est, quæ bona est, uno viro,
Qui minus vir unâ uxore contentus siet?

Verum è diverticulo in viam. Illud in agro Groeningano, qui *Old-ampten* nominatur, singulare à reliquis consuetudinibus est, quod inibi nocens conjux cadat proprietate omnium bonorum, commodo innoxii, si nulli extant liberi. *Lantr. lib.* 4. *art.* 36. Ponamus alterutrum ex conjugibus, qui adulterii convictus, condemnatusque, & ob id præfatis lucris privatus fuit, ab istâ sententiâ appellasse, pendenteque appellatione decessisse. Jam unà cum morte crimen, cumque eo antedictorum lucrorum privatio cessabit. *l. ult. C. si reus vel accus. l.* 1. *& seqq. C. si pend. appell. mors interv.* plerumque enim qui in reatu decedit, integri status moritur. Quod autem ait Imperator *in l. fin. C. ad l. Jul.* 23 24 25

Jul. de Adult. post mortem uxoris supereffe dotis quæstionem, id exaudiendum est quando dotis quæstio principaliter vertitur, vel quando tantum agitur propter bona, cum verò de dote, vel, ut apud nos, de lucris ob adulterium amittendis accessoriè ad separationis quæstionem agitur, unà cum morte crimen extinguitur. Ita *post Cyn. & Cujac.* Brodeau *sur Louet lit. A. arr.* 18. *vers. Feignons qu'une Femme. ubi in hanc sententiam judicatum tradit.* Confer Carpzov. *Resp. Elect. d. resp.* 109. *n.* 15. *& seqq.*

26 Effectus separationis bonorum est, ut societas finiatur, disparatorum singulis sua lucra & damna cedant. Quod vix dubium habet, ubi propter adulterium divortium à judice decretum est.
27 Grotius *lib.* 3. *Isag. cap.* 21. *n.* 45. Hoc enim casu purioris Religionis professores ipsum matrimonii vinculum dirimunt, innocentique potestatem novarum nuptiarum faciunt. Quos allegatos vide à Groenew. *de LL. Abrog. ad d. l.* 8. *C. de Repud. n.* 3. Brouwer *d. tract. lib.* 2. *cap.* 18. Carpzov. *in jurispr. Consistor. tit. de divort. def.* 189. 190. Transisul. *d. art.* 20. *in*
28 *fin.* Daventrienses *d. art.* 32. Magis ambigitur, ubi sola separatio thori, bonorumque intercessit. Si spontaneâ voluntate thorum separaverint, bona sua diviserint conjuges, quoad ipsos, eorumque hæredes societatem conjugalem diremptam esse tra-
29 dit Grotius *lib.* 3. *Isag. cap.* 21. *n.* 46. Contrà ab utrâque Hollandiæ Curiâ judicatum est, voluntarium illud divortium nihil facere ad communionis dissolutionem, divisionem illam anteà factam non nisi momentaneam, seu provisionalem dicendam esse, ideòque matrimonio morte alterius dirempto, ex integro inter superstitem & defuncti hæredes instituendam esse divisionem. Neostad. *de pact. antenupt. obs.* 8. Groenew. *ad l.* 1. *C. si dos constant. matr. & ad Novell.* 98. *cap.* 1. D. Rodenburg *de jur. conjug. tit.* 3. *cap.* 1. *de jur. marit. circ. act. civ. n.* 14. *p. m.* 329. Giurba *ad Messan. cap.* 1. *gl.* 7. *n.* 69. Confer Carpzov. *part.* 3. *const.* 26. *def.* 16. Charond. *sur Paris. art.* 223.

art. 223. *& seqq.* Itaque & uxor tenebitur debitis à marito contractis post spontaneum divortium, quod potestati maritali derogare nequivit idem Neostad. *d. tract. observ.* 7. Illud nihil- 31
ominus verum est, si uxor tædio conjugii, levitate, vel impatientiâ freni conjugalis, atque adeò sine justâ causâ, à marito discesserit, & seorsim habitaverit, ad fatalem usque mariti horam, non gaudere eam communione intereà à marito quæsitorum. *arg. l.* 3. *ff. de aur. & arg. leg. l. un.* §. 1. *ff. und. vir & ux.* Nunc. Pellicia *ad consuet. Aversan. cap.* 1. *n.* 168. *& seqq. & cap.* 3. *n.* 213. Choppin. *de privil. Rustic. lib.* 3. *cap.* 6. *de judic. privat. n.* 3. *in fin.* Tronçon *sur Paris. art.* 220. *verb. communaute, vers. l'on à demandé.* Muta *ad consuet. Panormit. cap.* 46. *n.* 29. Wamez. *cent.* 5. *consil. Civ.* 78. *n.* 3. *& seqq. & cons.* 79. *n.* 2. Carpzov. *d. const.* 26. *defin.* 1. Sande *lib.* 2. *tit.* 5. *defin.* 7. Sicuti nec talis uxor lucratur doërium in casum mortis 32
promissum: uti speciatim sancitum est apud Britannos *art.* 430. *& ibi Argentr. qui aliis est art.* 451. *& ibi Belordeau.* Normannos *art.* 376. 377. *& ad eosdem Iacq. Godefroy.* Quod ta- 33
men ita acceptum velim, modo conjux de uxoriis moribus fugâque questus sit, mulieremque sedulò curaverit domum revocandam. Alioquin mariti hæres morum coërcitionem non habet uxoris, nec de iis querelam movens auditur post continuum viri, jam mortui, silentium. *arg. l. rei judicatæ* 15. *ff. solut. matrim. De moribus actio* (inquit Constantinus *in l.* 1. *Cod. Theod. lib.* 3. *tit.* 12. *de Dotib.*) *ultra personam extendi non potest, nec in hæredem datur, nec tribuetur hæredi. Odiosa enim hæc judicia sunt, quæ ad vindictam quandam comparata videntur, ideoque ad hæredem non transeunt.* Ita Choppin. *ad LL. And. lib.* 3. *tit.* 2. *de connub. bon. societ. n.* 14. Argentr. *ad consuet. Brittan. art.* 430. *gl.* 2. *n.* 5. Louet *en ses arrests. lit. I. arr.* 401. *& ibi Brodeau in annot.* Maynard. *lib.* 4. *decis.* 2. *n.* 3. Coquille *sur Nivernois tit. de Douaire art.* 6. *vers. non seulement. & en ses quest. & respons. chap.* 147. Automne *sur*

Bourdeaux art. 47. *verſ. mais ſi la femme.* Carpz. *d. conſt.* 26.
34 *def.* 11. Dummodo maritus juſtum conquerendi tempus habuerit, ſi enim ſubitâ morte oppreſſus, dolorem atque indignationem animi ſui deſuper conteſtari nequiverit, non malè præfatæ generali negandorum quæſitorum regulæ inſiſtemus. Boër. *deciſ.* 338. *n.* 8. Coquille *d. art.* 6. *verſ. ou ſi le mari & d. chap.* 147. *verſ. ou bien ſi le mari.* Louet *d. arr.* 4. *lit. a.* Mornac. *in obſerv. poſth. ad d. l.* 15. *& ad l.* 1. *C. de revoc. donat. verſ. nota.* Maynard. *d. n.* 3. *verſ. nonnulla.* D'Eſpeiſſes *part.* 1 *tit.* 15. *du dot. ſect.* 3. *n.* 89. Carpzov. *prax. crimin. part.* 2. *quæſt.* 65. *n.* 10. *& ſeqq.*
35 Quid verò ſi matrimonium ita ſit conturbatum, ut ob inimicitias capitales judex ſit aditus, qui latâ cum cauſæ cognitione ſententiâ, thoro & bonis ſeparaverit conjuges, majoris mali vitandi cauſâ? Apud Gallos variatum ſententiis eſt, quouſque hæc ſeparatio vires ſuas extendat. Inter omnes conſtat, per eam vinculum matrimonii non diſſolvi: matrimonium autem cum manet & maritale imperium, quod inde proficiſcitur, perduret neceſſe eſt: cujus exercitium hactenus tantum cohibetur, & ſufflaminatur, ne malæ frugi maritus uxorem ſuam, liberosque redigat ad incitas, egeſtatemque, inhibitâ ei de rebus uxoris diſponendi, eandemque obligandi poteſtate, ac permiſſâ uxori rerum ſuarum adminiſtratione, ut ſe ſuosque poſſit exhibere. Adminiſtrationis autem voce cum non veniat rerum immobilium alienatio, aut hypothecæ datio, ſimiliſque actus, qui alienationis vicem, aut ſimilitudinem obtinet, inde nonnullis in iis omnibus peragendis auctoritatem mariti adhibendam eſſe docent, ne laxatis habenis uxor ſeparata in perniciem ſubſtantiæ ſuæ ruere poſſit. Charond. *en ſes Pand. liv.* 2. *chap.* 5. *p. m.* 197. *& ſur. Paris. art.* 223. *& liv.* 7. *reſp.* 208. Duret *ſur Orleans art.* 196. *verſ. ſeparée de biens.* Louet *en ſes arreſts. lit. F. arr.* 30. *& ibi Brodeau in notis.* Berault *ſur Normand. art.* 538. *verſ. Quand aux alienations.* Godefroy *ſur meſme art. verſ. autre queſtion.* Mornac. *ad l.* 1. *ff. de divort.* Chenu *en ſes no-*

notabl. quest. du droict chap. 40. 50. 51. 52. Tronçon *sur Paris. art.* 2. 3. 4. *vers. si elle n'est separée.* Delommeau *en sa jurispr. Franc. liv.* 2. *art.* 510. *à la fin.* Gallorum alii sepa- 36
ratione judicialiter factâ omnem mariti auctoritatem tollunt, saparatamque uxorem, inconsulto marito, sicuti viduam, quælibet agere, etiam immobilia alienare sinunt: quos referunt Tronçon *d. loc.* Choppin. *de morib. Paris. lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 15. quod & Lusitanis placet, teste Gammâ *decis.* 257. *n.* 2. His con- 37
gruunt mores nostrates; simulac enim apud nos sententia judicis thoro, bonisque publicè separati sunt conjuges, solvitur mulier civili illâ potestate mariti, administratio ejus in totum corruit, nec deinceps alterius gesta alterum obligant, vel concernunt, solutâ societate. D. Rodenburg. *de jur. conjug. d. cap.* 1. *n.* 14. Neostad. *d. tract. observ.* 8. *in not.* Grot. *lib.* 1. *Isag. part.* 5. *vers. Hoewel. & vers. Voorts.* Id quod Curia nostra hâc for- 38
mulâ effari solet. *Verklarende voorts dat partyen yeder tot sijn eygen schade en bate sullen hebben te leven, condemnerende mede partyen met den anderen te procederen tot schiftinge, scheydinge, en deylinge van haerlieder beyder goederen, volgens de Huwelijxe voorwaerden tusschen de Requirante en den Gerequireerde opgerecht, en aen de Requirante hare goederen te laten volgen.* Id est, *Declarando porro, ut quisque litigantium suo ipsius lucro ac damno in posterum vitam sit acturus, condemnando quoque utriusque ad familiam secundum tabulas nuptiales erciscundam, partiundam, & dividundam, ut que reus actrici sua bona restituat. In der sake van Margareta Jans Salebeens Requirante contra Johan Blocklant Gerequireerde op den* 18 *December* 1671. Idem apud Mechlinienses in magno Senatu. decretum esse tradit Peckius *de testam. conjug. lib.* 4. *cap.* 13 *n.* 2. 3. Consentiunt Wames. *cent.* 5. *cons. Civ.* 99. Christin. *ad LL. Mechlin. tit.* 9. *art.* 4. *n.* 1. *in notis.* Perez. *ad tit. Cod. de jur. dot. n.* 4. Ruremundenses *part.* 1. *tit.* 2. §. 3. *art.* 8. Daventrienses *part.* 3. *tit.* 2. *art.* 8.

39 Verum quid fiet de doërio, quod forte mulier pactis dotalibus eventu longioris vitæ stipulata erat? Si culpa mariti separatio thori bonorumque facta sit, perinde hoc lucrum uxori actutùm cedere, ac si divortium propter ejus adulterium contigisset tradunt multi. Berault *sur Normandie art.* 367. *verb. an coucher*. Godefroy *au mesme art. verb. dont le mari*. Coquille *sur Nivern. tit. de douaire art.* 6. *vers. cet article*. Wames. *d. cons.* 99. *n.* 3. *& seqq.* Ruremundenses *d.* §. 3. *n* 8. Neque hæc sententia ratione caret. Etenim doërium mulieri constituitur in solatium amissi mariti, rejectum solummodò in tempus mortis, quia omen erat, tum demum mulierem destitutum iri mariti ope, quam solam illa in coëundis nuptiis respexit. Itaque si maritus suâ dissolutâ vitâ, sævâque tractatione separationi causam dederit, suamque opem mulieri subduxerit, utique non videbatur eo casu mulieri minus solatii deberi, quam cum per mortem viri, ejus ope & auxilio carere cogitur. Imò tanto majori favore digna videbatur uxor, quanto indignior & acerbior est ob culpam mariti, quam per fatalem horam ruptura thori.

40 Rectius tamen aliis placet, hoc casu expectandam esse mortis horam, ut illa definiat, debeatur nec ne doërium. Cum enim vinculum matrimonii manet, non videtur reconciliationis, redintegrandæque gratiæ spes, doërii solutione præscindenda, resque componenda, ac si mors matrimonium diremerit. Dies quoque promissi doërii nondum venit, quia posset & ipsa uxor prius mori, ut in simili argumentatur JCtus Paulus *in l.* 48. *ff. de jur. Fisc.*

41 Si tamen uxor ex bonis matrimonio illatis, & per separationem ei restitutis, sese sustentare nequeat, adjudicanda ei est (ne esurire cogatur) ex mariti bonis congrua provisio alimentaria, unde seipsam annuatìm honestè exhibere possit. Imbert. *in Enchir. verb. mulier à viro divertere potest.* Beust *de matrim. part.* 2. *cap.* 9. *sub fin.* Delommeau *en sa jurispr. Franc. liv.* 2. *art.* 319. Cancer. *var. resol. part.* 3. *cap.* 11. *n.* 165. Carpzov. *defin. Forens. part.* 3. *const.* 26. *def.* 18. *n.* 6. *& defin. Eccles. lib.* 2. *tit.* 11. *def.* 213.

def. 213. 214. Cujus quantitas plerumque conſtituitur ad valo- 42
rem redituum, qui ex promiſſi doërio percipi potuiſſent. Louet *lit. D. arr.* 36. *& ibi Brodeau in not.* Bacquet *du droict de juſtic. chap.* 15. *n.* 61. *à la fin.* Chenu *en ſes notabl. queſt. chap.* 46. 47. Papon *lib.* 15. *tit.* 4. *in append. arr.* 11. Buridan. *ſur Vermandois. art.* 26. *verſ. Toutesfois.* Quod ſi tamen 43
mariti facultates integris promiſſi doërii reditibus ſolvendis impares ſint, arbitratu Judicis minor quantitas in uxoris alimenta conſtituetur, imo aliquando ad valorem dimidiatorum doërii proventuum, uti judicatum refert Chenu *aud. chap.* 47. *à la fin.* Quin imo & cautio poſtulari poteſt, de doërio, ubi dies ve- 44
nerit, ſolvendo. Brodeau *d. loc.* Chenu *d. chap.* 47. Buſcoducenſes *tit. van contracten art.* 15. Hoc facto omnia præfata 45
mulieris incommoda erunt remota, habebit illa in horam mortis mariti (quam reſpexerat) ſolidum doërium, anticipatam autem, culpâ mariti, uxoris ſolitudinem conſolabitur alimentaria illa adjudicata proviſiö. Cum autem non ſemper planum ſit, 46
uter conjugum inteſtini diſſidii cauſam dederit, alterque ſæpe in alterum culpam conferat, Curia noſtra in facto ubi ambo ſeparationi conſenſerant, motoſque fluctus componi non poſſe in propatulo erat, factâ ſeparatione, doërii petitionem, ſecundum tenorem pactorum dotalium ſimpliciter in tempus longioris vitæ rejecit. *in de voorñ ſake van Margareta Salebeens, contra Johan Blocklant.*

Ea quæ de finiendâ per adulterium unius ſocietate, deque pœnis in adulterantem conjugem ſtatutis, lucriſque innocenti applicandis diximus, corruunt, ubi animorum mutua reconcilia- 47
tio intervenit. Nicol. van der Hoogh *ſingul.* 72. *n.* 8. 9. Carpzov. *d. part.* 3. *conſt.* 26. *def.* 13. 14. Moller. *ad d. conſt.* 26. *n.* 5. Ruremundenſes *d. §. n.* 6. Antverpienſes *d. tit.* 41. *art.* 31. Hæc interveniſſe creditur renovato concubitu. *l. ſi* 48
uxor 13. *§. pen. & ult. ff. ad l. jul. de adult.* Robert. *lib.* 1. *rer. judicat. cap.* 14. Charond. *liv.* 7. *reſponſ.* 134. Moller. *lib.* 3.
 ſemeſtr.

semestr. cap. 13. *n.* 2. Tulden. *ad tit. C. de Repud. n.* 11. Carpzov. *d. def.* 14. *& d. tit.* 11. *de divort. def.* 197. Sande *lib.* 2. *tit.* 6. *def.* 2. D. Ant. Matthæus *tract. de matrimon. disp.* 5. *de*
49 *divort. thes.* 12. Velim tamen id fieri permissu Magistratus: cum enim ipsum vinculum conjugale divortio solutum sit, non videtur illud denuo posse colligari, nisi novis adhibitis solennibus. Groenew. *de LL. Abrog. ad l.* 7. *C. de nupt. n.* 2. Joann.
50 Christenius *de caus. matrimon. de divort. dissert.* 5. *quæst.* 10. Confer Charond. *liv.* 5. *resp.* 3. Disparatæ quoque sententiâ judicis conjugum fortunæ, si thori mensæque separatio facta sit, denuò in commune rediguntur, ubi illi in gratiam mutuam redierunt, vitæ consortium restauraverunt, promiscuoque usu res
51 suas tractare vicissim perseverant. Id quod absque judiciali cognitione, privatâ auctoritate, neglecto etiam parentum consensu facere possunt, cum vinculum matrimonii ea separatio non ruperit. Groenew. *ad d. l.* 7. *n.* 1. Brouwer *d. tract. de jur. connub. lib.* 2. *cap.* 29. *n.* 20. Confer Bouvot. *en ses arrests. part.* 2.
52 *verb. mari. quest.* 2. Usque adeo ut seorsim medio tempore parta, ab utrovis illorum, invicem postea communicentur: hæc enim separatio fribusculum (vel, ut alii legunt, frigusculum) vocatur, quod si quievit, omnia in statu pristino manent. *l.* 32. *§ quod si* 12. *ff. de donat. int. vir. & ux. l.* 3. *ff. de divort. l.* 19. *ff. solut. matrim.* Charond. *en ses Pandect. lit.* 2. *chap.* 5. *p. m.* 199. *vers. Et mesmes, & sur Paris. art.* 220. *vers. Telle est la force, & liv.* 13 *resp.* 60. Choppin. *d. tit.* 1. *n.* 22. *& ad LL. And. lib.* 3. *cap.* 2. *tit.* 2. *in med. ad oram.* Tronçon *sur Paris. art.* 224. *verb. Separëe vers. quand nostre.* Id quod expressum est statuto Aurelianensi *art.* 199. *& ibi Duret. in comment.*

53 Alterum conjugalis societatis dirimendæ medium mors est: cum enim ea societas fundamentum habuerit in ipso conjugio, cessabit illa meritò, cum conjuges esse desierunt. Grotius *lib.* 3. *Isag. part.* 21. *n.* 44. Groenew. *ad eund. Grot. lib.* 2. *part.* 13. Sande *lib.* 2. *tit.* 5. *defin.* 9. Busius *ad l.* 59. *ff. pro soc. n.* 7. Zypæus

pæus *in notit. jur. Belg. tit. de jur. dot. vers. communio*
Adeo tamen morte socii finitur societas, ut nec ab initio pacisci 54
possimus, ut hæres etiam succedat societati. *l. 59. ff. pro soc.*
Itaque ilicò, post extinctum conjugem superstes repertorium
omnium bonorum conscribere, divisioneque institutâ liberos,
hæredesve alios, parte defuncti conjugis dimittere potest. Ve- 55
rum ut fraus superstitis coërceatur, qui, divisionem non acce-
lerando, in patrimonio grassari posset, receptum apud nos est,
ut etiam, post mortem unius ex conjugibus societas illa proro-
getur. Inter quos autem, in quibus rebus, & quomodo ea
continuatio fiat, jam inquirendum est. Ait statutum nostrum. 56
*rub. 23. art. 4. Item wat een weduwenaer, of weduwe, on-
verdeylt van hare kinderen verkrijght, dat werdt ghemeyne
tusschen den verkrijgere, ende den kinderen, als verkreghen
metter gemene have, maer wat een yegelijck van hen 't sy man
of wijf of kinderen by makinge of besterffenisse aenkomt, sullen sy
alleen behouden, sonder 't selve gemeen boedel te werden.* Id est.
*Quicquid viduus, viduave à liberis suis indivisi superacqui-
runt, id omne, tanquam partum ope communium bonorum mo-
bilium, in commune, & illi qui acquisivit, & ipsius liberis cedi-
to: quicquid autem cuique eorum, seu viro, seu fœminæ, seu li-
beris testamento, vel successione obvenit, cujusque proprium,
communionique exemptum esto.* Ergo hæc societatis proroga- 57
tio locum habet inter superstitem, & liberos ex defuncto
conjuge procreatos, si ille repertorium bonorum non confe-
cerit. Fundamentum hujus continuatæ societatis sequentibus 58
rationibus fulciunt Doctores: Favore minorennium liberorum:
Mixturâ, perceptioneque fructuum bonorum communium:
Castigatione supinâ, aut malignæ negligentiæ superstitis, qui de-
buerit, & potuerit inventarium conficere. Charond. *sur Pa-
ris, art. 242. à pr.* Bacquet *des droicts. de Iustic. chap. 15.
n. 15.* Brodeau *sur Louet lit. C. arr. 30.* Inde nonnulli con-
tendunt hanc societatis continuationem superstiti cum solis mi- 59
noribus

noribus liberis intercedere, cum majoribus non item. Grandioribus enim natu expeditè licuit ad divisionem communitatis provocare, & provocari à superstite parente. Imbert. *in enchirid. verb. Societas. in fin.* Choppin. *ad LL. And. lib.* 3. *cap.* 2. *tit.* 1. *ex empto. n.* 7. *ad oram libri. & de morib. Paris. lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 31. Coquille *sur Nivern. tit. des communautez, art.* 4. *vers. Ce qui se dict.* Coquille *d. n.* 15. *&* 18. Mornac. *ad l.* 64. *ff. pro soc.* Quod & apud Gallos multorum locorum statutis ita definitum est: uti apud Parisienses *art.* 240. *& ibi Charond. Tronçon. & Guerin.* Veromanduos *art.* 265. *& ibi Bu-*
60 *ridan.* Aliis contrà Gallorum constitutionibus, hæc societatis prorogatio etiam cum majoribus liberis fit: uti apud Aurelianenses *art.* 216. *& ibi Duret. verb. Enfans ou autres.* Bituricenses *art.* 19. *&* 20. *& ibi Labbè.* Trecenses *tit.* 6. *des droicts de success. art.* 109. *& ibi Pithou.* Pictavienses *art.* 234.
61 *& ibi Rat. in comm.* Præfatum quoque statutum nostrum indistinctè loquitur de cujusvis ætatis liberis, quod & usus observat.
62 D. Jo: à Someren *d. tract. cap.* 6. *sect.* 1. *n.* 1. Hæcque opinio æquitati congruentior est. Etenim Mornacius *d. loc.* postquam optasset, etiam in iis locis, ubi illa societatis continuatio non obtinet, eandem introductum iri, pro ratione substernit, quod adversus patrem vel matrem, quorum alter neglexit inventarium conficere, non facile soleat jusjurandum in litem deferri, vel actio de dolo dari, in cujus actionis locum multorum moribus substituta est hæc communitatis continuatio. Tronçon *sur Paris. art.* 241. *verb.* Brodeau *sur Louet lit. C. arr.* 30. *lit. a. in fine*, quæ sanè ratio etiam pro majoribus liberis stat. Exinde idem Tronçon *ad d. art.* 240. conqueritur de omissâ Parisiensi statuto majorum quoque liberorum inclusione: quo etiam vergit Choppinus *de Paris. morib. d. tit.* 1. *n* 31.

63 Liberos autem non primi gradus tantum, sed & ulteriorum graduum statuto comprehendimus: mortuo enim filio, nepotes ex eo in locum ejus & gradum intrant, & jus idem illud quod pater

ter habuiſſet, quaſi perſonâ ejus indutâ, in familiâ avi nanciſcuntur: itaque jus eorum ex jure parentum æſtimabimus, ſicuti in cæteris favorabilibus. *l.* 220. *ff. de V. S.* D. Io: à Someren
d. ſect. 2. *n.* 11. Quapropter & nepotes continebuntur, etiamſi 64
ſtatutum loquatur de continuandâ ſocietate, inter ſuperſtitem parentem, & liberos ex prædefuncto conjuge procreatos: uti apud Tranſiſulanos *part.* 2. *tit.* 2. *art.* 15. In ſimili Cancer. *lib.* 1. *var. reſol. cap.* 2. *n.* 143. *& ſeqq.* Caſp. Ant. Theſſaur. *lib.* 1. *quæſt. forenſ.* 92.

Hæc communionis continuatio abſque facto inventario te- 65
net, etiamſi tempore mortis alterius ex conjugibus, nihil in bonis fuerit, aut adeò parum, ut ferè non meruerint deſcriptionem, imò vel eo caſu, ubi defunctus conjux ope & miſericordiâ proximorum tumulatus erat. Quanquam enim hoc caſu dici poſſet, non eſſe ſuperſtiti auferendos laborum ſuorum fructus: diſpoſitio tamen ſtatuti noſtri generalis eſt, omnes omninò obligans: nec quemquam adeò egenum fingere poſſis, quin habeat aliquas res, vel minimas, quæ ſcripto mandari poſſent; veluti lectum, menſam, ciſtam, ſedilia, veſtes, lina, vel alia utenſilia. Ita judicatum refert. Pierr. Belordau *part.* 1. *liv.* 3. *controv.* 56.

Quamvis autem negligentia ſuperſtitis, in exhibendo bono- 66
rum repertorio, potiſſimum cauſam dederit prorogandæ ſocietati, ex præfato tamen generali ſtatuti noſtri effato non malè affirmatum à quibuſdam eſt, etiam ignoratâ morte conjugis peregrinantis continuari cum ſuperſtite bonorum conſortium, licet inſcius mortis conjugis culpandus non ſit de non edito patrimonii indice. Alvar. Valaſc. *tom.* 2. *conſult.* 166. Goris *in adverſ. tract.* 1. *cap.* 9. *in not. n.* 3. *in fin.*

Præfatæ hæ ſocietatis continuandæ rationes inter ſuperſtitem, 67
liberoſque ejus, tam æquæ nonnullis viſæ ſunt, ut etiam obtinere putetur iis in locis ubi nihil de eâ cautum eſt. Molin. *ſur les couſt.*

de Vitry §. 54. Bacquet *aud. chap.* 15. *n.* 16. Louet *en ses arrests lit. C. arr.* 30. *& ibi Brodeau in notis.* Charond. *en ses memor. observ. verb. inventaire vers. Encore.* Tronçon. *sur Paris. art.* 241. *verb. communautè.* Buridan. *sur Vermandois,*
68 *art.* 265. *vers. Ce seroit.* Verùm in contrariam sententiam propensius deducor, in pœnam enim non conficientis inventarium talis prorogatio societatis introducta est, ut exulare debeat, si nihil de eâ sancitum est, tum namque ex jure Quiritium pronunciandum est, societatem unius morte dissolvi. Argentr. *ad consuet. Brittann. art.* 418. *gl.* 5. Choppin. *ad LL. And. lib.* 3. *cap.* 2. *tit.* 2. *n.* 9. *& de morib. Paris. lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 31. Duret *sur orleans art.* 216. *verb. Enfans lit. e.* Mornac. *ad d. l.* 64. *ff. pro soc.* Delommeau *en sa jurispr. Franc. liv.* 2. *art.* 512. *& seqq. vers. nostre coustume.* Guerin. *ad d. art.* 240. *iu fin.* Consult. JCtorum Batav. *part.* 2. *cons.* 72. *in fin.* Goris *d. cap.* 9. *n.* 13. *in notis.* Quo-
69 circa apud eos liberi solum desiderare possunt defuncti parentis hæreditatem, incremento fructuum auctam. Et in hanc partem à Senatu Hollandiæ, Frisiæque judicatum est. Groenew. *ad Grot. lib.* 2. *Isag. part.* 13. *n.* 2. Sande *lib.* 2. *tit.* 5. *def.* 9. Someren
70 *d. sect.* 2. *n.* 10. Ex eodem fundamento & illud dicendum, statutum nostrum loquens de viduo, viduâve, à prole suâ indivisis, non esse extendendum ad laterales, aut alios defuncti hæredes, licet minores sint. Imbert. *d. verb. societas in fin.* Charond. *sur Paris. art.* 242. *vers. mais parce.* Belordeau *part.* 1. *liv.* 3. *controvers.* 54. *&* 58. Bacquet *d. n.* 15. Brodeau *sur Louet lit. C. arr.* 30. *lit. a. fere in fine.* Mornac. *ad d. l.* 64. *& in observ. posth. ad l.* 1. *ff. de separ.* Guerin. *ad d. art.* 240. *vers. Sed quia.* Christin. *ad LL. Mechlin. tit.* 16. *art.* 30. *in not.*
71 *vers. Quæri.* D. Someren *d. sect.* 2. *n.* 11. Requiritur ergò ut statutum eos nuncupatim includat, uti apud Aurelianenses *art.* 216. *& ibi Duret.* Bituriges *tit. des mariages art.* 19. *& ibi Labbè.* Daventrienses *part.* 3. *tit.* 2. *art.* 18.
72 Antverpienses *tit.* 41. *art.* 93. Multo minus Fiscus, qui perduelli

duelli filio in bona ſuccedit, utetur beneficio ſocietatis bonorum prorogatæ, favore filii cum parente ſuperſtite. Sunt enim familiaria hæc jura conſortii bonorum perſonalia, nec transverſo quidem gradu propinquis tributa, nedum Fiſco, aliive extraneo. Choppin. *ad LL. And. lib.* 3. *cap.* 3. *tit.* 2. *n.* 2. *fere in fin.*

Quid ſi ſuperſtes parens à liberis indiviſus nuptias repetierit? 73
Sunt, qui ſuperſtiti poteſtatem ſecundarum nuptiarum denegant, antequam prioris thori liberis bona præmortui parentis ritè aſſignaverit. Zutphanienſes *lantr. tit.* 19. *art.* 4. Velavi *tit.* 29. *art.* 7. Amſtelodamenſes *ordonn. van de huwelijckſe ſaecken. poſt art.* 30. *n.* 4. Medioburgenſes *ampl. van de weeskeuren. art.* 5. Daventrienſes *d. part.* 3. *tit.* 1. *art.* 12. Apud
nos cum tale nihil reperiatur cautum, neque ſuperſtes pa- 74
rens, novam recipiendo vitæ ſociam, veteri ſocietati nuncium mittere teneatur, videndum eſt, in quam partem ventura ſit ſecunda uxor, liberorum noverca. Plurium inſpectionum quæſtio hæc eſt, perplexa ſatis, dignaque quæ diſtinctius examinetur.
Exiſtimant nonnulli, liberos prioris thori, tanquam hæredes 75
matris defunctæ, vocari in dimidiam partem, ſalvo iis in paterna bona ſuccedendi jure: videtur enim continuata eâdem portione ſocietas, quam defuncta mater fuiſſet habitura, nec ea portio minuenda præjudicio liberorum ſuperinductâ Novercâ, cui & imputari poteſt, quod in ſocietatem veniens aliter ſibi non proſpexerit, quippe quæ ei ſoli admiſſa ſocia eſt, qui eam admiſit.
Ita judicatum tradit Imbert. *d. verb. Societas.* Verùm cum ini- 76
quum videretur liberos qui fortè nullas operas in ſocietatem contulerunt, plus lucri auferre, quam vel pater vel noverca, qui non parvo æſtimandas operas præſtiterunt, juſtius aliis viſum fuit, ut in trientes quæſita dividantur, quorum unum privigni, alterum noverca, tertium pater, vel communes ab eo ſuſcepti liberi nanciſcantur. Imbert. *d. loc.* Choppin. *ad LL. And. lib.* 3. *tit.* 2. *n.* 15. *ad oram libri.* Charond. *en ſes Pand. liv.* 2. *chap.*

 6. verſ.

6. *verſ. l'Effect. de la quelle. p. m.* 206. Duret *ſur Orleans art.* 215. Bacquet. *d. chap.* 15. *n.* 21. Buridan. *ſur Vermandois art.* 266. *verſ. que ſi le.* Pictones *art.* 236. *& ibi Rat. in comm.*
77 Ita tamen ut liberi ante omnia deducant dimidum ejus, quod patre viduo ad ſecundas uſque nuptias ſocietas lucrata eſt, trientis verò diviſio inſtituatur ex repetiti matrimonii die, quo demum noverca in ſocietatem admiſſa eſt. Duret *ad d. art.* 215. *lit. b.* Bacquet *d. n.* 21. *verſ. ſi la ſeconde.* Tronçon *ſur Paris. art.*
78 242. *verb. tiers.* Guerin. *ibid.* Quod ſi & hæc noverca ex anteriori matrimonio liberos à ſe indiviſos habuerit, in quadrantes quæſita dividantur. Duret *d. loc. lit. b.* Choppin. *de morib. Pariſ. d tit.* 1. *n.* 32. Guerin. *d. art.* 242. Buridan. *d. loc.* Chriſtin. *ad LL. Mechlin. d. art.* 30. *n.* 1. *ibid. in annotat.*
79 Sin autem nuptias multiplicaverit pater, omnes liberi ex quoquo matrimonio procreati, conjunctìm unum ſtipitem conſtituant. Ita Pariſienſium ſtatuto definitum eſt *art.* 242. *& ibi Charond. Tronçon & Guerin. in comment.* idem Charond. *en ſes Pand.*
80 *d. verſ. l'Effect.* Alii verò inter novercam, liberoſque prioris thori quæſita in duos ſemiſſes dividenda eſſe cenſent, unde dimidium noverca, ejuſve hæres auferat, alterum liberi prioris thori unà cum patre, ejuſve communibus hæredibus. Coſtalius *ad l. qui admittitur* 19. *ff. pro ſoc.* Papon. *lib.* 15. *tit.* 2. *arr.* 6. 7. Paul. Buſius *ad d. l.* 19. *n.* 2. Goris *d. cap.* 9. *n.* 14. D. Io: à Someren *d. tract. cap.* 6. *n.* 3. Cum enim Noverca abſque dubio integrum lucrorum ſemiſſem habitura fuiſſet, ſi pater, uti oportuerat, prioris thori liberos, bonis maternis unà cum lucris continuatâ ſocietate ad ſecunda uſque vota perceptis, datis vel aſſignatis ſejunxiſſet, certè non videtur deprimenda ſecundæ uxoris portio, ex eo quod maritus liberos ſuos prioris thori in veteri illâ ſocietate retinuit, cum ſocii mei ſocius, non ſit meus
81 ſocius. *d. l.* 19. *ff. pro ſoc.* Verùm & ita poſito jure miſeranda poſſet evadere liberorum conditio. Ut ecce: maritus, qui unà cum filio unico à ſe indiviſo in re lautiſſimâ verſabatur, contrahit

hit matrimonium cum muliere minoris, vel nullius ferè census: secundum hoc matrimonium quadriennium constitit, ex eo duo liberi nati, duodecies mille aurei lucrifacti & parti sunt, ex solis ferè reditibus communium cum filio opum: patre mortalitate extincto, si juxta præfatum modum divisio instituenda foret, noverca primò dimidium lucri auferet, sexies nempe mille aureos, à reliquis filius prioris thori jure societatis quadrantem capiet, residuus autem quadrans inter eum, fratresque consanguineos jure paternæ successionis æqualiter dividendus erit. Ita ut tota hujus filii ex conquisitis portio sit futurus triens: cum, si pater hunc filium auspiciis secundi matrimonii, datis bonis à se dissociasset, ex proprii patrimonii obventibus indubiè habuisset semissem integrum, fortè & interusurii accessione auctum. Nec attinet dicere non habere hunc filium quod conqueratur, cum societatis prorogatæ jus repudiare, & materna bona unà cum usuris & fructibus à die mortis matris desiderare possit. *De quo paulo post.* Cum per illud in necessitatem adigeretur omni quæstui ad secundas usque nuptias facto renunciare, solisque usuris & fructibus contentus esse. Placitum enim aliis est, hunc conti- 82
nuandæ societatis actum esse individuum, nec posse liberos eandem continuationem pro parte, aut ad certum tempus, secundarum sc. nuptiarum admittere, pro parte verò, aut post illud tempus omittere. D. Someren *d. sect.* 1. *n.* 7. Christin. *ad LL. Mechlin. d. tit.* 16. *art.* 34. *in not. vers. Quæri hic.* Bacquet *d. chap.* 15. *n.* 28. (*sibi ferè contrarius d. n.* 21. *vers. si la seconde.*) Quid? quod ei etiam super usuris & fructibus controversiam movere noverca posset, an non iidem, præstitis alimentis, consumpti sint, cum pater filium divitem de suo alere non teneatur. Illa certè repudiandæ societatis potentia, in favorem filii introducta est, si patrimonii diminutio facta sit, quod privilegium in odium ejus detorquere noverca nequit, argumento ex solis contractis cum eâ nuptiis petito; præsertìm ubi filius minor, paterque testamento matris eidem tutor datus est, proindeque nemo

extitit, qui, tempore iteratarum nuptiarum, pro filio invigilare, patremque ad divisionem provocare potuerit. Inde non malè alii tradunt, si nimia inter patrem, novercamque bonorum inæqualitas fuerit, causam arbitrio judicis, aut boni viri esse temperandam. Itaque hoc negotium ex genere eorum est, *quæ neque passim admittenda sunt, néc districtè neganda, sed à Prætore causâ cognitâ temperanda.* ut loquitur Ulpianus *in l.* 13. *ff. de Procurat.* Coquille *sur Nivernois. tit. des communautez. art.* 4. *à pr. & en ses quest. & respons. chap.* 92. Goris *d. cap.* 9. *n.* 15. D. Someren *d. n.* 3. *in fine.*

84 Diximus sæpè de quæsitis ex prorogatione societatis inter liberos prioris thori & vitricum vel novercam dividendis, non de ipsâ sorte. Cujusque enim patrimonium utrìmque proprium manet ei, cujus antea fuit, nec sortes communicantur nisi inter ipsos conjuges. Itaque si pater à filio suo indivisus, absque pactis dotalibus cum opulentâ muliere matrimonium contraxerit, posteaque moriatur, certè hic filius ex personâ propriâ non veniet in partem facultatum novercæ, verùm maternorum bonorum nomine contentus esse jubebitur semisse anterioris, portioneque suâ prorogatæ communionis; reliquum autem patrimonium tanquam patris hæres unà cum novercâ, liberisque ex secundo fortè matrimonio procreatis dividet. E contrà, si pater novas nuptias cum muliere minoris census aggressus fuerit, materna bona cum suâ parte lucri primò præcipiet filius, reliquas autem inter defunctum patrem & novercam communes facultates dimidiatìm cum eâ dividet. Choppin. *de morib. Paris. d. tit.* 1. *n.* 32. D. Jo. à Someren *d. sect.* 1. *n.* 8. *post plures ab eo alleg.*

85 Parente mortuo ilicò societas intercidit, nec ea cum vitrico aut novercâ continuatur, licet à parentis obitu parem in culpam inciderit neglecti repertorii bonorum, cum enim socii mei socius, meus socius non sit, nullumque unquam intercesserit liberis cum vitrico, aut novercâ facultatum suarum consortium,

tium, deficit subjectum continuandæ societatis. Igitur cum vitrico, novercâve agendum, ut cum quovis alio extraneo hæreditatis possessore, petendo bona paterna, maternave unà cum usuris & fructibus à die mortis. Choppin. *ad LL. And. d. tit.* 2. *n.* 10. Charond. *sur Paris. d. art.* 242. *vers. mais il faut. &* *liv.* 7. *resp.* 52. Bacquet *aud. chap.* 15. *n.* 19. D. Someren *d. cap.* 6. *sect.* 1. *n.* 5. *ubi ita à Curiâ nostrâ judicatum refert.*

Hæc societas non est eadem illa quæ inter liberorum parentes 86
fuit. Continuatam societatem dicimus eo quod nulla bonorum divisio intercessit. Intelligimus tamen novam quandam à lege, ob neglectum inventarium, commodo liberorum, primariæ illi ilicò substitutam. Patet hoc ex quibusdam effectibus utriusque societatis planè diversis.

Non sicuti patri, vivente conjuge, societatis magistro, libe- 87
rum erat, quæstus in eâ factos, suo nutu arbitrioque de manibus deponere, ac cuiquam, dummodò citra fraudem, mancipare, ita & illud ei licebit in hac societate à lege prorogatâ odio superstitis, immemoris officii in conscribendo bonorum catalogo. Quod enim manente hac legali societate acquisitum est, tam firmo jure liberis ac tutùm cedit, ut nec venditione, nec quovis alio alienationis modo, iis auferri possit, sed ad id requiratur propinquorum consensus, auctoritasque judicis, nisi in rem negotiumque communis societatis alienatio facta sit. Chassan. *ad consuet. Burgund. rub.* 4. *§.* 2. *in princ. addit.* Choppin. *de morib. Paris. d. tit.* 1. *n* 33. *in fin.* Charond. *ad d. art.* 242. *idem liv.* 10. *resp.* 23. Duret *sur Orleans art.* 216. *verb. ensemble la saisine.* Labbè *sur Berry tit. des societez art.* 19. *verb par le survivant.* Buridan. *sur Vermandois, art.* 266. *vers. Et à noter.* Grot. *lib.* 2. *Isag. part.* 13. *in fin.* D. Someren *d. sect.* 1. *n.* 14. Antverpienses *d. tit.* 41. *art.* 70.

Non sicuti in primariâ, cum liberorum matre, societate dam- 88
num obortum commune utrìmque fit, sic etiam in prorogatâ. Si enim res familiaris retrorsùm abierit, vel aliàs continuata re-

rum

rum series liberis non expediat, arbitrio eorum relinquitur, repudiare communitatis jura, atque postulare, ut confecto inventario materna bona illæsa sibi præstentur, unà cum usuris & fructibus. Etenim cum socii conjugis obitu ipso jure bonorum communio dirempta, in pœnam autem & odium superstitis non concinnantis repertorium, favoremque liberorum, hæc legalis bonorum prorogatio introducta sit, favori huic renunciare possunt; ne quod salubriter pro eorum utilitate introductum est, illud duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem. ut loquitur JCtus *in l. 25. ff. de legib.* Choppin. *ad LL. And. lib. 3. tit. 1. cap. 2. n. 17. in marg. & de morib. Paris. d. tit. 1. n. 31. ferè in fin. & n. 33. in fin.* Bacquet *d. chap. 15. n. 23. vers. on à demandé à la fin.* Coquille *ad d. art. 4. vers. ce qui se dict. & verb. l'acte de contradiction. & en son instit. au droict Franc. tit. des communautez vers. Si apres. & en ses quest. & respons. chap. 93. a la fin.* Labbè *ad d. art. 19. verb. Est continuée.* Buridan. *ad d. art. 265. vers. Et toutesfois.* Christin. *ad d. art. 34. n. 10.* Zypæus *in notit. jur. Belg. tit. de jur. dot. vers. communio.* Grotius *lib. 2. Isag. part. 13. in fin.* D. Someren *d. cap. 6. n. 2. & sect. 1. n. 6.*
89 *ubi ita à Curiâ nostrâ judicatum tradit.* Quod & multorum statutis expressìm sancitum est, uti apud Parisienses *art. 240. 241. & ibi Charond.* Trecenses *tit. 6. art. 109 & ibi Pithou.* Pictavienses *art. 232. & 234. & ibi Rat.* Aurelianenses *art. 216. & ibi Duret.* Burbonios *art. 270. & ibi Papon. ubi consonas alias Galliæ consuetudines referunt.* Item apud Antverpienses *tit. 41. art. 93.* Iperenses *rub. 10. van Successie art. 44.* Bel-
90 lenses *rub. 6. van sterfhuysen van man en wyf art. 2.* Itaque quod quorundam moribus cautum est, inter superstitem, ejusque liberos, hæredesve defuncti perseverare lucri & damni communionem, uti apud Daventrienses *part. 3. tit. 2. art. 18.* Neomagenses Goris *in advers. d. cap. 9. n. 12. in notis* id eam tantum significationem habet, ut liberi acquisita desiderare non
possint

possint, nisi ante deductis oneribus. Charond. *add. art.* 242. *vers. pour la mesme part.* Bacquet *aud chap.* 15. *n.* 22. *vers. Et les debtes.* Christin. *add. art.* 34. *in addit. à pr.* non quod admittendæ, vel omittendæ societatis prorogationis optio liberis adimatur.

Dixi *unà cum usuris & fructibus*. Scilicet iis quos parens su- 91
pra alimenta liberis præstita annuatìm lucrari, commodoque liberorum in sortem redigere potuit. Sicuti enim æquum est, ut parens liberos divites, quique bona materna satis ampla habent, ex suo alere non teneatur, ita & iniquum foret, omnes liberorum reditus insumere velle in eorum alimenta, si illorum debitum, solitumque modum excedant. Itaque hoc casu Curia nostra pro ætatis liberorum ratione arbitrari solet, quantum parens ex reditibus in alimenta liberorum annuatìm imputare debeat, ut reliquum sortem eorum augeat. Ita Senatus, *in der sake van Mr. Gysbert van Ewijck Advt, nomine uxoris, Impetrant contra de weduwe van Antonis de Goyer gedaeghde, op den* 19 *December* 1671. Illud suprà *tract.* 2. *cap.* 2. *n.* 207. & 208. docuimus, si liberorum reditus alimentis non sufficiant, non proptereà eorum sortem esse minuendam, sed parentem teneri defectum de suo supplere, seu alere liberos pro iis ipsis reditibus, cum jure naturæ parens ad alimenta liberis præstanda teneatur. Verùm è contra nulla ratio naturæ exigit, ut parenti pro alimentis cedant omnes liberorum reditus, quanticumque illi sint. Quod 92
tamen placuit Lovaniensibus *costuym. cap.* 12. *art.* 16. Brugensibus *tit.* 16. *art.* 1. Contracensibus *part.* 4. *rub.* 16. *art.* 15. 16. Bellensibus *rub.* 11. *art.* 3. Casletensibus *tit. van onderjarige kinderen art.* 336.

In prorogatâ hac societate parta non consequuntur liberi ex 93
maternâ successione, vel jure hæreditario, sed merè adventitio. Materna enim cum patre societas ipso jure non transiit ad liberos, uti hæreditaria, sed ob superstitis dolum, vel culpam, qui repertorium bonorum conscribere cunctatus est, quasi pœnalis

94 renovatur ea, quæ morte soluta erat. Itaque fundi in istâ societate coëmpti non patrimoniales sunt, sed merè acquisititii. Choppin. *ad LL. And. d. tit.* 1. *n.* 17. Charondas *en ses memor. observ. verb. acquests, vers. Et à esté encore.* Quæ doctrina nota-
95 tu digna est ob effectus non paucos. Etenim si inter eosdem fundos feudalis quoque sit, qui uni ex liberis obvenit, post mortem hujus, non constituet ille fundus feudum antiquum, sed novum.
96 Id quoque quod liberi prioris matrimonii capiunt jure statutariæ communionis continuatæ, partiuntur inter se æqualiter, absque ullo primogenituræ, vel præcipui jure. Choppin. *ad LL. And. d. tit.* 1. *n.* 18. *& de mor. Paris. d. tit.* 1. *n.* 32. *in marg.* Bacquet *d. chap.* 15. *n.* 22. Brodeau *sur Louet. lit. D. arr.* 44. *à pr.* Tronçon *sur Paris. art.* 310. *verb. Sans aucune prerogative, vers. il y a plusjeurs.* Christin. *d. art.* 34. *in not. vers. fin.* D. Someren *d. sect.* 1. *n.* 12. Id quod Aurelianensi statuto cautum est. *d. art.* 216. *& ibi Duret.* Confer Buridan.
97 *sur Vermand. art.* 266. *vers. tous les biens.* Similiter cum transitu ad secundas nuptias parens commodo cæterorum liberorum amittat proprietatem eorum bonorum, quæ ex successione unius ex liberis ei obvenerant, dummodò ea bona à parente ante defuncto ad eundem profecta sint, non si aliunde, *dixi in comm. ad Novell. Const. Ultraj. art.* 11. *n.* 17. *& seqq.* non amittet quoque parens binubus ea quæ in prorogatâ opum communione huic ex liberis acquisita fuerant. Idem Choppin. *de morib. Paris. d. n.* 32. *sub finem.*

98 Effectus quoque hujus doctrinæ evidens est *in d. art.* 4. *rub.* 23. *Ordin. civ.* dum statuunt in rationem continuatæ societatis non venire hæreditates, legata, vel successione, seu parenti, seu liberis acquisita, sed ea cuique propria mansura cui obvenerunt: cum aliàs si materna illa omnium fortunarum consociatio in ejus liberis cum patre perseveraret, taliter acquisita etiam communioni cessissent. *uti dictum tract.* 1. *n.* 6. Itaque si obitu, successioneque unius ex liberis hæreditas ejus patri deferatur

(Pa-

(Parentes enim soli apud nos ad liberorum successionem vocantur exclusis fratribus & sororibus) non erit ea hæreditas communicanda consociis liberis. Quod autem Grotius *d. part.* 13. 99
n. 3. generaliter tradit, hodie etiam hæreditates prorogatam hanc societatem ingredi, id de quarundam solummodò Hollandiæ Civitatum consuetudinibus intelligendum est: usque quaque verum non est; uti monet & probat D. Groenew. *d. loc.* Nobiscum enim faciunt Delphenses 1. *Keurboeck. fol.* 101. Transisulani *part.* 2. *tit.* 2. *art.* 15. Busius *ad l.* 59. *n.* 7. *ff. pro soc.* Mechlinienses *d. art.* 34. *& ibi Christin. in comment. n.* 5. Zypæus *ad d. tit. de jur. dot. vers. communio.* D. Someren *d. sect.* 1. *n.* 9. E contrà Gallorum multis constitutioni- 100
bus expressim sancitum est, ut si post parentem omnes liberi decesserint, excepto uno, æquas societatis partes esse faciendas inter conjugum superstitem, & illum liberorum extremum, qui defunctis post parentum aliis superfuerit, quasi hic non suo, sed demortui parentis jure pristinum retineat bonorum consortium. Parisienses *art.* 243. *& ibi Charond. idem en ses Pand. aud chap.* 6. *p. m.* 207. *vers. mais si aucuns, & en ses observ. verb. communautè vers. Par les coustumes.* Choppin. *de morib. Paris. d. tit.* 1. *n.* 31. 32. Bourguier *en ses arrests lit. C. arr.* 6. Buridan. *d. art.* 266. *vers. la mesme coustume & seqq.* Verùm ad mores nostros. Quid si hæreditas relicta, legatum, vel dona- 101
tum parenti vel liberis fuerit ab extraneo? Cum disserebam de jure conjugum, qui quæstus societatem contraxerant, memini me taliter acquisita, uti merè adventitia, pro quæstu, non pro proprio definivisse. In continuatâ tamen hac bonorum commu- 102
nione erunt in patrimonio ejus, cui relicta, vel donata sunt. Id quod speciatìm sancitum nostrati Ordinatione Civicâ, *rub.* 28. *art.* 5. his verbis. *Item indien yemant 't sy maech, of vrient, of vreemde persoon, eenige kinderen die met Vader of moeder in gemeen boedel saten, wes gaven, of maeckten, of loofden, of verplegen, dat sal van weerden blijven ten geenre behoef dattet ge-*
 schiet

schiet ware, sonder gemeen boedel te werden. Id est, *Quicquid propinquus, amicus, aut extraneus legat, donat, promittit, mancipatve liberis à patre, matreve indivisis, ratum esto, commodoque ejus solius in quem beneficium collatum est, non autem*
103 *communioni cedito.* Statutum enim nostrum *d. art.* 4. *rubr.* 23. potissimum respicit quæsita ope communium bonorum, non autem hæreditates, legata, donatave, utut extrinsecus obventa. Ita judicatum apud Christin. *d. art.* 34. *n.* 5. *& in annot. n.* 7. Goris *d. cap.* 9. *n.* 12. Busius *d. n.* 7. Zypæus *d. vers. communio.* Buridan. *ad d. art.* 266. *vers. De plus.* Aurelianenses
104 *art.* 217. *& ibi Duret.* Quamvis contrarium apud Parisienses
105 obtineat. Bacquet *d. chap.* 15. *n.* 19. *à la fin. & n.* 23. Fructus tamen horum bonorum quin communioni cedant nullus dubito. Etenim Legislator nostras communioni solummodò eximit corpora obventæ hæreditatis, seu id quod fuit hæreditatis: fructus autem non hæreditati, sed rebus ipsis accepto feruntur. *text. in l.* 18. §. *quotiens. ff. ad SC. Trebell.* Christin. *ad d. art.* 34. *n* 7. *in addit.* Busius *d. n.* 7. Bacquet *d. chap.* 15. *n.* 12. *vers. Comme. & n.* 13. *vers. mais.* D. Someren *d. sect.* 1. *n.* 10. Id quod apud Transisulanos expressim cautum est. *Lantr. part.* 2. *tit.* 2. *art.*
106 13. In simili ferè, quæstus, seu lucri & damni inter conjuges pactâ communione, si qua hæreditas, vel alia quæ communionem non recipiunt, uni obveniant, fructus nihilominus horum communioni cedunt, *uti demonstratum suprà tract.* 2. *cap.* 2. *n* 144. Quan-
107 quam argumentum à quæstus communione desumptum, ad hanc lege prorogatam universim non rectè traxeris. In illâ maritus societatis magister est, qui de quæstibus in matrimonio factis liberè inter vivos disponit. In hac parens non item. In illâ, fortunis retrò lapsis, etiam utriusque sors in tributum venit, quin imo, sic volente creditore, pro solido debito in causam judicati capi potest. In hac prorogatâ, si patrimonii diminutio facta sit, optio liberis conceditur repudiandæ societatis, & habendæ maternæ successionis integræ, absque ære alieno post mortem ma-

matris contracto. In illam veniunt hæreditates, legata, & donata ab extraneis relicta; in hanc non item, *uti suis locis demonstravimus.*

Hæc societatis prorogatio, quæ apud nos frequentatur, etiam 108
comprehendit bona ubicumque sita, eodemque modo, & effectu extendit vires suas in alias Provincias, diverso jure utentes. Itaque si in iis Hollandiæ partibus alterutri deferatur hæreditas, ubi ea communioni continuatæ cedit, componetur nihilominus negotium secundum nostræ Civitatis jura. Reditus quoque qui, obveniunt ex cujusque rebus immobilibus sitis in eo territorio, ubi prorogatio societatis non obtinet, societatem nihilominus ingrediuntur. Christin. *d. art.* 34. *in addit. vers. Sed quid.* Goris *d. cap.* 9. *n.* 13. D. Someren *d. sect.* 1. *n.* 13. Verùm cum hanc materiam, in simili, fusius tractaverim *suprà tract.* 1. *n.* 110. *& seqq.* non lubet actum agere. Nec item, 109
quatenus domicilii translatio inducat mutationem juris circa continuationem societatis: *de quo egi d. tract.* 1. *n.* 104. *& seqq.*

Diximus sæpius inventarium à superstite exhibitum sistere so- 110
cietatis prorogationem. Tempus certum huic edendo inventario apud nos præstitutum non est. Illud tamen nostra praxis observat, ut si intra annum & diem exhibeatur inventarium, continens patrimonium quale erat tempore mortis conjugis, nullus prorogandæ societati sit locus; sin verò superstes post tantum temporis confectionem bonorum indicis protraxerit, vel neglexerit, à fatali conjugis horâ ad editionem ejusdem indicis usque perstet societas. *arg. art.* 7. 8. *&* 9. *d. Rubr.* 23. *Statuti Civici.* D. Someren *d. cap.* 6. *sect.* 2. *n.* 5.

Alicubi in Galliâ tale inventarium cum quibusdam solenni- 111
tatibus conficitur: ut sc. in eam rem curator, vel legitimus contradictor liberis ætate minoribus detur, omnes res mobiles æstimentur, factum & perfectum trimestri post confectionem spatio claudatur: quod si non legitimè & ex moribus confectum inven-

tarium doceatur, liberis societatem continuare liceat. Choppin. *ad LL. And. d. tit.* 2. *n.* 10. Imbert. *in Enchirid. d. verb. Societas ferè in fin. vers. Sed præstat.* Bacquet *d. chap.* 15. *n.* 14. & 23. *vers. Pour dissoudre.* Charond. *sur Paris. d. art.*
112 242. Mornac. *ad l.* 64. *ff. pro soc.* Alii non inventarium solum confectum, sed prætereà divisionem bonorum desiderant. Aurelianenses *d. art.* 216. *& ibi Duret.* Trecenses *art.* 109. *&*
113 *ibi Pithou.* Vel saltem, ut unà cum inventario divisio oblata sit.
114 Bituriges *tit. des societez art.* 19. *& ibi Labbè.* Aliis verò & illegitima bonorum conscriptio, minusque solennis sufficit ad negandam societatis continuationem. Brodeau *sur Louet. lit. C. arr.* 30. *in fin.* Mornac. *in observ. posth. ad l. ult. ff. de reb. eor.* Peleus *en ses act. forens. liv.* 3. *act.* 32. Buridan. *ad d.*
115 *art.* 265. *sur la fin.* Nostrum statutum ait, *onverdeelt van hare kinderen.* Id est, *à liberis indivisi*: Mutuata est ea constitutio à Mechliniensibus *d. art.* 34. ex quo infert Christinæus *ad eund. art. in addit. vers. Sed an.* solum inventarium non
116 rumpere societatem, nisi & divisio supervenerit. Rectius D. Someren *d. cap.* 6. *sect.* 2. *n.* 1. docet, quod & usus apud nos observat, solâ inventarii exhibitione tutoribus liberorum, vel ipsis liberis (si majores sint) factâ, intentioni Legislatoris satisfactum esse, continet enim bonorum index divisionis oblationem. Quod si liberi, eorumve tutores morosi divisionem secundum exhibitum bonorum repertorium facere noluerint, vel distulerint, vel si isti indici sine ratione contradixerint, ad judicem venerint, tandemque frivola eorum postulatio declarata fuerit, certè iniquum foret illos interea temporis commodo societatis gaudere. Quod & placet Antverpiensibus *d. tit.* 41. *art.* 92. Daventriensibus *d. tit.* 2. *art.* 17. dum ajunt. *De lanckstlevende der Eheluyden sal met des verstorvene erfgenamen in gemeynen winst, en verlies blijven, ter tijdt behoorlijcke erfuytinge gedaen, of een wettelijck inventaris zy overgelevert.* Id est *Inter superstitem conjugum, hæredesque defuncti lucri & damni*

damni communio prorogator, usquedum justa hæreditatis divisio facta, vel legitimum inventarium exhibitum fuerit. Confer Goris *d. cap. 9. n. 7.* Idem statutis suis caverunt apud Gallos Veromandui *d. art. 265. & ibi Buridan. in fin.* Cabilonenses *art. 59.* 118
Apud Trecenses quoque, qui *d. art* 109. etiam divisionem desiderabant, judicatum est, sufficere solam exhibitionem bonorum repertorii, utut jurejurando nondum affirmati, modò illud oblatum, & à liberis, tutoribusve eorum acceptatum non fuerit, uti refert idem Pithœus *ibid.* Quid si posteà reperiatur, in exhibito bonorum indice multa prætermissa, aut celata etiam ac surrepta esse? Hoc casu liberos continuatæ communionis jura prætendere posse tradit Tronçonius *sur Paris. ad art. 240. à la fin.* Apud Cortracenses privatur superstes iis rebus, quas in repertorio reticuit, vel celavit. *part. 4. rubr. 15. art. 8.* Apud Zutphanienses mulctatur prætereà æstimatione alteri tanti, hæredum commodo *Stadr. tit. 7. art. 7.* ad exemplum ejus, quod circa hæredem, non ex fide inventarium conficientem, jus Romanum constituit. *in l. ult. C. de jur. deliber. §. licentia* 10. Jure quo nos utimur, ante præstitum super bonorum repertorio fidelitatis jusjurandum, rebus surreptis, aut celatis non cadit superstes, nec reviviscit communitatis prorogatio, quæ semel, edito bonorum indice, finem accepit; contradicere enim, inventario possunt liberi, atque postulare, ut celatis, aut surreptis rebus amplietur index, vel id quod interest. Iniquum enim foret, hoc casu reproduci societatis continuationem in præjudicium secundæ uxoris, quæ ante suas nuptias urgendo liberorum prioris thori dissociationem, exhibito per patrem patrimonii repertorio, securi animi fuit, ne anterior cum liberis bonorum consortium serperet longius. Goris *in adversar. d. cap. 9. n. 4. in notis.* D. Someren *d. sect. 2. n. 7.* Consentiunt Choppin. *ad LL. And. d. tit. 2. n. 15.* Charond. *en ses Pand. d. chap. 6. p. m. 207. vers. Et suffit. & en ses memor. observ. verb. communautè vers. Et ne peut.* Buridan. *ad d. art. 265.*
vers.

Margin numbers: 119 (beside "Apud Trecenses quoque…"), 120 (beside "fuerit, uti refert…"), 121 (beside "jura prætendere…"), 122 (beside "repertorio reticuit…"), 123 (beside "tia 10. Jure quo…").

124 *vers. Et toutesfois.* Post præstitum illud synceritatis sacramentum, si qua alia reperiantur bona, solis liberis, vel hæredibus cedunt. *d. rub.* 23. *art.* 10. *statuti civici.* Montfortenses no-
125 strates *ordonnantie der Stede Montf. rub.* 9. *art.* 4. Consentiunt Iperenses. *rubr.* 10. Bellenses *rub.* 8. *art.* 32. Dender-
126 mondenses *rub.* 15. *art.* 2. Apud Casletenses verò conjux superstes, celatorum aut surreptorum convictus, cadit doërio. *Cost. der Stede en Casselrye van Cassele art.* 333.

127 Inventarium cum desideramus, non sufficiet apud nos de intermittendâ hac societate, superstitis in judicio testatio, absque bonorum catalogo facta: quod tamen videtur placere Charondæ *liv.* 2. *resp.* 103. Belord. *enses controvers. liv.* 3. *contr.* 55.
128 Christin. *d. tit.* 16. *art.* 31. *in addit.* Nec quod superstes, factâ privatis rationibus divisione, liberos etiam in id non vocatos à se separaverit, quæ Garsiæ doctrina est *de acquæst. conjug.*
129 *n.* 170. Illud requirimus, ut repertorium exhibitum sit tutori à defuncto conjuge dato, vel proximo ejus consanguineo, ubi nullus tutor: aut si superstes testamento tutor scriptus sit, alius pro eâ vice tutor sufficiatur, qui liberorum curam gerat. Grotius *lib.* 1. *Isag. part.* 7. *vers. oversulcks lit. a.* Brodeau *sur Louet. d. lit. C. arr.* 30. *lit. a. vers. que si un inventaire.* Imbert. *d. verb. societas ferè in fin.* Bacquet *d. chap.* 15. *n.* 23.
130 *vers. pour dissoudre.* D. Someren *d. sect.* 2. *n.* 2. Judicatum tamen apud alios est, intermissam esse eandem communionem, cum pater inventarium bonorum ediderat liberorum avo materno, aut proximo consanguineo, licet iisdem à defunctâ matre alius tutor datus esset. Pithou *ad d. art.* 109.

Si post conscriptum, & exhibitum bonorum catalogum superstes conjugum longo tempore perrexerit uti frui bonis ante communibus, non propterea censebitur semel interruptæ societati derogasse, atque ad eandem relapsus esse, verùm tenebitur ad rationes perceptorum fructuum reddendas. Goris *d. cap.* 9. *n.* 4. *in not.* Nec licitum erit parenti superstiti, post iteratas nuptias,

ptias,

ptias, pœnitere dissociationis liberorum prioris thori, atque declarare, ut antiquior illa cum liberis communio indesinenter locum sit habitura: id enim vergeret in manifestam secundæ uxoris fraudem: uti non semel judicatum esse referunt. Charond. *en ses Pandect. d. chap. 6. vers. Et ne peut le pere. p. m. 207. & sur Paris d. art. 242. vers. si par l'inventaire. & liv. 7. resp. 52. & en ses memor. observat. verb. communautè vers. Et ne peut. p. m. 25.* Duret *sur Orleans art. 216. verb. partage. lit. a.*

Multæ Gallorum constitutiones, quæ ad sistendam inter su- 133
perstitem, ejusque liberos bonorum communionem inventarium exigebant, pro æquipollenti adjungunt, si superstes actum celebraverit, communioni isti derogantem. Burbonii *art. 270.* Veromandui *d. art. 265.* Vel nisi aliàs provisum sit. Aurelianenses *d. art. 216.* Videamus quomodò & apud nos absque con- 134
fecto, & exhibito bonorum repertorio communionis prorogatio sistatur. Quid ergo si superstes pater à defunctâ uxore relictus sit fructuarius omnium bonorum? Et videri posset nihilominus locum habituram esse societatis continuationem, non confecto inventario, cum adhucdum superest intervertendarum rerum hæreditariarum metus. Ita statutum apud Antverpienses est *tit. 41. art. 93.* Apud nos tamen contrarium usu servatur: cum 135
enim statutum nostrum ideo post mortem unius ex conjugibus quæsita, communia quoque liberis faciat, quasi sit fructus rei communis, utique liberi à fructu totius hæreditatis exclusi, nihil quicquam continuatæ societatis obtentu postulare poterunt: contradictionem namque implicaret quam manifestam, patrem, ex prædefunctæ conjugis testamento, integro potiri bonorum fructu, & rursus, liberos in partem fructus dimidiam admittere, societatis velamento. Superstiti unâ manu, statuti figmento, auferre idem illud, quod alterâ uxor defuncta eidem tribuerat. Ita à Curiâ nostrâ judicatum refert D. Someren *d. cap. 6. sect. 2. n. 3.* Consentiunt Lopez *de lucr. mar. & uxor. cap. 6. sub n. 32.* Castillo Sotomaj. *de usufruct. cap. 3. n. 118. & 123.* Coren

consil. 15. *n.* 28. *Consult.* JC. Batav. *part.* 1. *consil.* 133. *vers. Dunckt onder correctie.* Nec facit, quod legitima liberorum usufructu gravata non sit, ut eatenus cum patre communes possideant facultates fructiferas: universitatem enim bonorum indivisam requirimus, non certas eorum qualitates, vel res singula-
136 res. *l.* 208. *ff. de V. S.* Quamvis ergo superior illa, de intervertendæ hæreditatis metu, ratio non desinat, desinit tamen ea statuti nostri, quæ de perceptione fructuum communium est: notumque est illud Doctorum placitum, si statutum ob duas causas latum est, non sufficere unam concurrere, sed ambas requiri. Sande *lib.* 2. *tit.* 9. *def.* 20. *in fin.* Schultes *part.* 1. *pract. quæst.* 5. *n.* 5. Giurba *ad statut. Messanens. part.* 1. *cap.* 1. *gl.* 1.
137 *n.* 13. Ex quo juris fundamento & illud affirmandum est, si defunctus uni, pluribusve liberis, certam pecuniæ summam, aut bonorum portionem, loco hæreditariæ, assignaverit, (quod alicubi per leges licet) iniquè postulare hos liberos continuatum lucri consortium, ob omissum inventarium, cum nihil amplius prætendere possint, quam ut assignata à defuncto portio, quæ vicem legitimæ, vel hæreditariæ gerit, incremento fructuum post ejus mortem augeatur. *l.* 9. *C. famil. ercisc.* Coquille *sur Nivern. d. art.* 4. *verb. ayans biens meslez. & en ses quest. & respons. chap.* 91. Charond. *liv.* 4. *resp.* 13. *à la fin.* Goris *in advers. d. cap.* 9. *n.* 9. *in not.*

139 Hanc communitatis prorogationem non interrumpi solâ nupturienti filiæ dotis datione asserunt multi, verùm filiam à suâ portione solummodò pati deductionem ejus, quod dotis nomine ei repræsentatum est, quasi ea dotis dictio à superstite facta fuerit ex cumulo bonorum sibi promiscuè cum liberis communium. Choppin. *ad LL. And. d. tit.* 1. *n.* 17. Bacquet *d. chap.* 15. *n.* 17. Charond. *en ses Pand. d. chap.* 6. *p. m.* 207. & *ad d. art.* 242. *vers. mais si simplement.* Papon *lib.* 15. *tit.* 2. *de commun. in append. arr.* 11. Brodeau *sur Louet. d. arr.* 30. *lit. b.* Guerin. *ad Paris. art.* 241. *vers. Item.* Goris *in adversar.*

versar. d. cap. 9. n. 11. Alii contrà eandem continuationem 139
ceſſare aiunt, ilicò poſtquam liberi matrimonium coierunt, exi-
veruntque domo, ac adminiſtratione parentis. Idem Choppi-
nus *ad Paris. d. n. 31. in fin.* Coquille *ſur Nivern. d. art. 4.
vers. la queſtion.* Buridan. *ſur Vermand. d. art. 265. verſ.
L'on met encores.* Securius alii tum poſteriorem illam ſenten- 140
tiam admittunt, cum ſuperſtes exertìm declaravit, dotem nume-
ratum iri pro bonis maternis: cum enim eo titulo bona materna
conſecuti ſint, nec amplius communes cum ſuperſtite habeant
facultates, ſeparatione iſtâ diſſoluta intelligitur priſtina ea com-
munitas, ſalvâ liberis de reſiduo actione, ſi fortè ſuperſtes non
juſtam hæreditatem iis obtruſerit. Charond. *en ſes Pand. liv. 4.
chap. 13. à la fin. & ad d. art. 242. verſ. Diſcourant.* Bacquet
d. chap. 15. n. 17. verſ. Bien eſt vray. Illorum certè ſententiam 141
profligavimus ſuprà, qui tradunt ſuperſtitem parentem intelligi
ex communibus bonis dotem filiabus conſtituiſſe, quin imò pro-
bavimus, hodiè patrem ſuperſtitem ſemper cenſeri dotem dediſſe
ex bonis maternis. Hinc videas Doctores uno ferè ore diſſolu- 142
tam ſocietatem pronunciare, ſi pater tantum dotis filiæ dederit,
quantum reverà æquipolleat bonis maternis: non enim amplius
ex communibus bonis à ſuperſtite acquiſitum poſtulare poterit
filia, quæ jam modò omnem ſortem ſocietati extraxit. Bacquet
d. verſ. Bien eſt vray. Zans *de diviſ. bonor. lib. 2. cap. 7. n. 4.*
D. Someren *d. ſect. 2. n. 7.* Cum ergo filia acceptando dotem
pro bonis maternis, eopſce facto teſtatur, ſe nihil proprii in ſo-
cietate relinquere, evidens eſt à communionis nexu diſceſſum eſ-
ſe. Quod ſi poſteà appareat dotem bonis maternis non æquam,
& congruam eſſe datam, defectus ſolummodò ſupplendus eſt, ra-
tâ manente diſſociatione. Sin verò dos data ſit in diminutionem
bonorum maternorum, perſtabit nihilominus anterior commu-
nio. Per hanc enim dotis dationem nondum bonis à patre ſepa-
rata eſt filia, cum eandem in erciſcundâ familiâ conferre tenea-
tur. (Huc transfer Doctores primæ opinionis aſſertores) Ve- 143

rùm eritne ea collatio unà cum usuris & fructibus facienda? Ita ait Guerinus *ad d. art.* 241. *vers. Quid.* cum per collationem dos retrò considerari debeat ac si data non fuisset, quo casu usuræ
144 & fructus indubiè societatem auxissent. Verior tamen est Brodelli opinio, in Loëtium commentantis, *d. lit. C. arr.* 30. *in fin.* fructus consumptos à genero, vel filiâ non esse conferendos. Etenim fructus dotis filiæ cesserunt in alimentorum locum: alimenta autem ex ipsâ societate liberis præstanda sunt: itaque hi fructus dotis compensandi sunt cum alimentis, cæterisque necessariis, quæ pater liberis cælibibus domi suæ, sumptibus societa-
145 tis, præstare tenetur. Nam quod idem Guerinus putat, liberis, qui apud superstitem remanent, alimenta non deberi, quia hæredes sunt matris defunctæ, ideoque in societatem esse conferenda hæc alimenta cum usuris, in eo insigniter fallitur. Prorogata enim societas hoc casu fingit utrumque parentem adhuc in vivis extare, permixtumque ac commune patrimonium hactenus, cessare facit hæredum qualitatem: itaque non magis in continuatâ societate præstita alimenta conferenda sunt, quam si ea manente matrimonio præstita fuissent. Bacquet *d. chap.* 15. *n.* 26.
146 Christin. *ad LL. Mechlin. tit.* 16. *art.* 29. *n.* 1. *in not.* Nec rationem video, cur fructus dotis, in productâ hac societate datæ, magis conferri debeant, quam si in matrimonio data, post mortem matris, cæteris liberis dos conferenda sit, quo casu communius placuit, solam sortem, vel corpus, non verò usuras, vel fructus ejus esse conferendos. *l.* 3. *l.* 4. *l.* 8. *l.* 17. *l.* 19. *C. de collat.* Costal. *ad l.* 20. *ff. famil. ercisc. n.* 3. Graff. *recept. sent. §. collatio quæst.* 12. *n.* 8. Imbert. *in Enchir. verb. Collationis exceptio.* Choppin *de morib. Paris. lib.* 2. *tit.* 3. *n.* 19. Charond. *sur Paris. art.* 309. *p. m.* 226. Tronçon *ad eund. art.* Delommeau *en sa jurisp̃r. Franc. liv.* 2. *art.* 260. *vers. Aussi les filles.* Barrii *de success. lib.* 14. *tit.* 3. *n.* 8. Carpzov. *part.* 2. *const.* 30. *def.* 19. Christin. *vol.* 1. *decis.* 178. Vinnius *tract. de*
147 *Collat. cap.* 16. *n.* 10. Bruxellenses *art.* 283. Quod diximus
de

de alimentis in continuatâ societate præstitis à liberis non conferendis, id & ad studia, peregrinationesque filiorum Doctores porrigunt, ut etiam horum sumptus societati perindè imputentur ac si in matrimonio facti fuissent: A quibus tamen excipiunt expen- 148
sas ad adipiscendum ipsum Doctoratus gradum, vel magisterii in aliquo opificio factas, ut has ipse filius, non societas, ferre debeat. Bacquet & Christin. *dd. ll.* Guenois *sur Imbert. verb. Frais d'estudes.* D. Someren *d. cap.* 6. *sect.* 1. *n.* 18. Quâ de re judicium nostrum tulimus suprà. *tract.* 2. *cap.* 2. *n.* 215. *& seqq.*

Ea quæ de dote, vel in diminutionem, vel in exsolutionem 149
bonorum maternorum data affirmavimus, aptari quoque possunt argumento, quod proponitur de filiis, quos pater datâ certâ pecuniæ quantitate à se dimisit, separatìmque negotiari passus est, ut vel ex valore datorum, vel ex dantis & accipientis proposito, enunciatoque, pronunciandum sit, an rupta sit, an verò perstiterit societas. De quo tamen videris Choppin. *ad LL. And. d. tit.* 1. *n.* 17. *in marg. & ad Paris. d. tit.* 1. *n.* 31. *in fin.* Charond. *sur Paris. d. art.* 242. *à la fin. vers. Et qu'il avoit.* Duret *sur Orleans d. art.* 216. *verb. partage lit. g.* Buridan. *d. vers. l'on met.*

Affinis superiori & illa quæstio est, quæ de transactione super- 150
stitis parentis cum liberis super hæreditate maternâ, non facto inventario, proponitur, sistat ea, nec ne, societatis continuationem? Et non sistere eâ ratione asserendum videbatur, quod transactio nisi prævio inventario facta irrita sit. Argentr. *ad consuet. Brittan. art.* 477. *gl.* 4. *n.* 3. Charond. *liv.* 4. *respons.* 92. Mornac. *ad l.* 6. *ff. de Transact.* Quod autem nullum est, nullum producit effectum. Ita responderunt nonnulli ex nostratibus JCtis *tom.* 3. *Resp. Batav. part.* 2. *consil.* 48. 49. 50. 51. Verius 151
tamen est eam transactionem operari dissocietationem superstitis à liberis suis. Etenim per actum istum, quanquam invalidum, utrìmque declarata fuit voluntas, non amplius habendæ socie-

 tatis,

tatis, ejusque dirimendæ. Itaque omne liberorum gravamen in eo solo consistere potest, ut exhibito inventario indagari postulent, an justa hæreditatis portio transactione iis sit attributa: quem bonorum catalogum si superstes confecerit, exindeque apparuerit, iniquam fuisse liberorum querelam, nemo certè affirmabit, continuatum nihilominus inter eos esse bonorum consortium, cum omne suum ex communis patrimonii cumulo jam dudum abstulerint. Quod si verò compertum sit, aliquid veræ portioni abesse, ejus augmentum solummodò petere possunt, unà cum usuris & fructibus: quo facto cessat liberorum querela, resque perindè consideranda est, ac si ab initio illæsi fuissent. Ita post alios D. Someren *d. cap. 6. sect. 2. n. 6.* Christin. *ad LL. Mechlin. d. art. 34. in addit. vers. Sed an. in fine.*



DE PACTIS
Super Futurâ Hæreditate Interpositis.
TRACTATUS SECUNDI
CAPUT QUINTUM.
SUMMARIA.

1. *Mores nostri, prœter testamentariam & legitimam, etiam conventionalem successionem approbarunt.*
2. 3. 5. *Si pactis dotalibus cautum sit, ut si absque prole matrimonium solvatur, bona revertantur ad latus unde devenêre, maritus autem decesserit, relictâ matre & patruo, uter ad successionem admittendus?*
4. *Post aditionem hæreditatis, res hæreditariæ non amplius defuncti patris, sed proprium hæredis patrimonium habentur.*
6. *Quid si conventum sit, ut post mortem sponsi bona ad alium quempiam sint perventura?*
7. *Ut superstes defuncti patrimonio universim sit successurus?*
8. *Quid si post ultimi mortem tertius ad communes opes sit designatus?*
9. *An & quatenus ea pacta pœnitentiâ aboleri possint?*
10. *Relictis liberis, evanescit conditio* si sine liberis, *ideoque ii quibus succedendi spes data erat, à successione removentur.*
11. *Ubi res redacta est ad causam omissi pacti, censentur contrahentes amplexi conjugalem omnium bonorum societatem.*
12. *Communio bonorum per existentiam liberorum semel introducta, non labascit ex eo quod liberi post mortem parentis ilicò vitâ functi sunt.*
13. *Quod similiter in fideicommissis, sub conditione* si sine liberis *decesserit, relictis obtinet.*
14. *Requiritur omninò, ut tempore mortis extent liberi, nec sufficit procreatos, in matrimonio, decessisse.*
15. *Quid si sub negativâ conditione concepta sit stipulatio,* si liberi non fuerint procreati?

16. *Vel*

16. *Vel sub affirmativâ*, si liberi procreati fuerint?
17. *Hisce casibus attenditur potissimum verosimilis paciscentium voluntas.*
18. *Pactum quo sponsus sponsæ post mortem suam certam pecuniæ summam addicit, præmorientis testamento revocari nequit.*
19. 20. 21. *Legatum uxori relictum non compensatur cum doërio pactis dotalibus promisso.*
22. *Quod aliis non placet.*
23. *Nisi alia fuerit voluntas testatoris, ut si legaverit* pro doërio, *vel* doërii nomine.
24. *Vel si testator maritus jusserit, uxorem pinguiori legato contentam esse.*
25. 26. *Quid si apud nos sponsus pacto dotali in sponsam largitatem quandam contulerit, posteà autem inter conjuges reciprocus ususfructus constitutus fuerit, compensabiturne donatum cum usufructu? Distinctione expeditur.*
27. *Carpitur Christenius.*
28. 29. *Omnibus liberis defunctis, si bona ex conditione* si sine liberis *remigrent ad latus unde devenêre, an possit parens superstes deducere legitimam, & Trebellianicam? Affirmantium rationes examinantur,*
30. *Refutantur, negansque sententia adstruitur,*
31. 32. *An liceat huic filio, patrem dotalibus tabulis à suâ successione ab intestato exclusum, testamento suo præterire, institutis extraneis? Latè discutitur.*
33. *In locis ubi pater ab intestato filio suo non succedit, non potest pater ab eodem filio suo testamento præteriri.*
34. 35. *Quid si filius testamento instituerit maternæ lineæ agnatos sibi alioquin ex pacto dotali successuros?*
36. *Quæ per leges obtinuissent, intercidere possunt, si factum hominis interveniat.*
37. *Si pacto dotali conventum sit, ut liberis liceat de bonis suis liberè disponere posthabito patre? Valebit pactum.*
38. 39. *Si cautum sit, ut conjugum superstes omnia defuncti bona lucraretur, parentes autem isti pacto interfuerint, atque subscripserint, debebiturne parenti præmortui conjugis legitima?*
40. *Successiones quæ tabulis dotalibus deferuntur testamentorum vim non habent, sed designant ordinem succendendi ab intestato, si in contrarium dispositum non fuerit.*
41. *Si testator instituerit proximiores ab intestato sibi successuros, an admittuntur ii, qui ex lege provinciali defuncto proximiores, an qui pacto dotali vocati erant?*

42. 43. *Pa-*

42. 43. *Pactum æqualis successionis jure Civili obligationem non contrahebat.*
44. 47. *Variarum gentium moribus tale pactum stabilitur.*
45. *Quod & Imp. Leo approbavit.*
46. *Refutantur Romani juris rationes pactitiæ successionis prohibitoriæ.*
48. 51. *Legislator nostras parentibus licentiam concedit revocandi promissionem de futurâ successione factam, collateralibus vel extraneis non item.*
49. *Promissor æquali promissæ portioni legem fideicommissi adjicere, cæterorum verò portiones ab hoc onere immunes velle nequit.*
50. *Æquale fideicommissi onus omnium portionibus adjici potest.*

1 CONtra Romanorum genium, nostrates, aliarumque Regionum mores, præter testamentariam, & legitimam successionem, etiam conventionalem, pactisque dotalibus designatam approbasse, tradidimus *in comment. nostr. ad Novell. Constit. Ultraject. art. 7. n. 6. & seqq.* Hinc videas ma- 2
trimonium coituros, post pactam quæstuum communionem, plerumque de futurâ successione esse sollicitos. Frequentior cautio est, ut, soluto sine liberis matrimonio, bona revertantur ad latus undè processerunt. Inde ilicò oritur ea dubitatio. Sponsus patre orbus, consultâ matre, nuptias contrahit, in dotem adfert paterna bona usufructu libera: stipulatio interponitur, siquidem matrimonium solvatur absque prole bona sponsi reversum iri ad latus undè devenêre. Contingit casus. In medio sunt sponsi mater, patruusque. Uterque hæreditatem sibi vendicat. Pro patruo stat pactorum tenor, cum ab ejus latere, defuncti avo paterno, relictum derivaverit. Verius tamen est, præfatam clau- 3
sulam, solam sanguinis & propinquitatis rationem continere, vimque habere successionis legitimæ, ut ex eâ ad hæreditatem vocetur is, qui tempore mortis proximus defuncto reperietur. Cum enim pactum illud eo potissimùm tendat, ne utrìmque illata bona, occasione matrimonii, ad alterum conjugem, ejusque amicos, transeant, nihil adhùc invenitur cautum, ad quem ex sponsi latere ea sint perventura. Igitur necesse est, ut hoc nego-

tium componamus ſecundum regulas juris municipalis, quo mater ſuccedit filio, (excluſo patruo) etiam in bonis ab avo
4 paterno profectis. Etenim juncta, per aditionem, hæreditas eſt, ut res hæreditariæ non amplius defuncti patris, ſed proprium hæredis patrimonium habeantur. *l. ſed ſi plures* 10. *§.* 2. *ff. de vulg. & pupill.* Gamma *deciſ. Luſitan.* 9. *n.* 1. *& ſeqq.* Coler. *de proceſſ. execut. part.* 1. *cap.* 3. *n.* 257. Charondas *liv.* 7. *reſp.* 68. *verſ. Il s'agit ſeulement.* Duret. *ſur Orleans art.* 303. Giurba *deciſ. Sicil.* 111. *n.* 28. Carpzov. *part.* 1.
5 *deciſ. illuſtr.* 25. *n.* 4. Ergo latus illud quod clauſula pactis dotalibus contenta reſpiciebat, non aliud deſignabat, quam latus filii, à quo bona illata ſunt, in quo latere mater proxima eſt, quæ propterea affinem ſuum, defuncti patruum vincet. Auctoritatibus pluſculis hanc ſententiam munivi *ad d. art.* 7. *n.* 13. Quibus adde poſt viſos adſtipulatores Matth. de Afflict. *deciſ.* 127. *& ibi Urſill. in addit.* Joſ. à Seſſe *deciſ. Regn. Arag.* 52. *n.* 22. *& ſeqq.*

6 Evenit aliquandò ut non ipſum conjugum latus vocetur, ſed ut ſi ſine liberis matrimonium dirimatur, bona ad alium quempiam ſint perventura, quo caſu teſtatæ ſucceſſionis ſpeciem fecerunt conjuges, contrariâ voluntate revocabilem. *uti plenius*
7 *ad d. art.* 7. *n. eod.* Ubi quoque in progreſſu docuimus, quid juris ſit, ſi conventum, ut ſuperſtes defuncti patrimonio univerſim
8 ſit ſucceſſurus. Quid, ſi poſt ultimi mortem tertius ad communes opes ſit deſignatus, & an quatenusque talia pacta pœniten-
9 tiâ poſſint aboleri. Quibus cum nihil eſt, quod impræſentiarùm addam, non lubet inibì dicta hùc denuò transſcribere.

Pergamus ad conditionem. *Si ſine liberis matrimonium deſierit.* Hiſce natis & relictis evaneſcit dotale pactum. Indè duo
10 videas conſectaria. Primò eos quibus ſuccedendi ſpes data erat, à ſucceſſione prorſus arceri, cum ratio naturalis, quaſi lex quædam tacita, liberis hæreditatem parentum addicat. *l.* 7. *ff. de bon. damnat. l. pen. §.* 2. *ff. de bon. libert.* nemoque parens alie-

nas

nas successiones propriis anteponere intelligendus sit. *l. cum avus.* 102. *ff. de cond. & demonstr. l.* 30. *C. de fideic.* Carpzov. *part.* 2. *const.* 43. *def.* 14. Deinde cum communio bonorum 11
in eum solummodò casum exclusa sit, cum sine liberis matrimonium solveretur, hicque casus non extiterit, intercidit conditio revertendarum, ad suum latus, facultatum, resque redacta est ad causam omissi pacti, quo casu contrahentes amplexi censendi sunt connubiale omnium bonorum consortium, statuto municipali introductum. Ita ab Hollandiæ Curiâ judicatum est apud Coren *observ.* 30. *& cons.* 25. Christen. *de caus. matrimon. dissert.* 4. *quæst.* 26. Nec labascet ea bonorum commu- 12
nio ex eo quod ilicò post mortem parentis liberi vitâ functi sunt, sufficit enim vel momento tantùm, extinctam esse negatæ communionis conditionem. *l. qui habebat.* 47. *ff. de vulg. & pupill. l. cum uxori.* 4. *C. quand. dies leg.* Charond. *liv.* 2. *resp.* 72. Giurba *ad Messan. part.* 1. *cap.* 13. *gl.* 6. *n.* 4. Gratian. *decis. rot.* 235. *n.* 7. Anton. de Amato *part.* 1. *resolut.* 48. *n.* 5. In simili, cum quis rogatus fuerit, si sine liberis decesserit, per fidei- 13
commissum restituere, defecisse conditio intelligitur, si patri supervixerint liberi, nec quæritur an hæredes extiterint, ut loquitur JCtus *in l. filiusfam.* 114. *§. cum erit* 13. *ff. de leg.* 1°. Imbert. *in Enchir. verb. Qualitas.* Gomez. *lib.* 1. *var. resol. cap.* 5. *n.* 41. Intrigliol. *de Substit. cent.* 3. *quæst.* 56. Mattheac. *tract. de Legat. & fideic. lib.* 3. *cap.* 16. Maynard. *lib.* 5. *decis.* 74. Charond. *liv.* 7. *resp.* 61. Barry *de success. lib.* 17. *tit.* 12. *n.* 30. Sande *lib.* 4. *tit.* 5. *defin.* 9. *vers. Pro reâ.* Illud certè requiritur, ut tempore mortis extent liberi, si 14
quis enim susceperit quidem filium, verùm vivus amiserit, sine liberis decessisse videbitur, inquit Ulpianus *in l.* 17. *§.* 7. *ff. ad SC. Treb. l. fin. C. de instit. & substit.* Imbert. *d. loc.* Choppin. *ad LL. And. lib.* 3. *cap.* 2. *tit.* 3. *n.* 7. Charond. *en ses Pandect. liv.* 2. *chap.* 5. *p. m.* 194. *& liv.* 3. *resp.* 38. *& en ses memor. observ. verb. condition, vers. de la condition. p. m.* 33.

Graſſ. *§.fideicommiſſum. quæſt.* 23. Peregrin. *de fideicomm. art.* 29. *n.* 13. Papon *lib.* 20. *tit.* 3. *arr.* 18. Maynard. *lib.* 5. *decis.* 78. Delommeau *en ſa juriſpr. Franc. liv.* 2. *art.* 323. Giurba *ad Meſſan. cap.* 16. *gl.* 2. *n.* 5. Car. de Mean *ad jus Leod. part.* 1. *obſ.* 75. *n.* 2. *& ſeqq.* Et in hanc ſententiam ſuper pacto dotali reſpondit Sarcerius, quondam apud nos primæ notæ Advocatus *tom.* 2. *conſil. JC. Batav.* 285, judicatum eſſe
15 refert Carpzov. *d. defin.* 14. Alia videtur eſſe ratio negativæ conditionis, *ſi liberi non fuerint procreati*, ita enim ſi convenerint paciſcentes, ſtatìm natâ prole deficit conditio, quantumvis poſteà ante parentes vivere deſierit. *l. hæredibus* 77. *ff. ad SC. Trebell.* Etenim liberi non procreati poſiti fuerunt in conditione, ſimulac igitur quis liberos habuerit, expiravit conditio, nec impleta intelligitur. Trentacinq. *tract. de ſubſtitut. part.* 4. *cap.* 7. *n.* 78. Intrigl. *d. quæſt.* 56. *n.* 5. Charond. *en ſes reſol. des queſt. part.* 1. *tit.* 1. *des donations. à pr.* Maynard.
16 *d. deciſ.* 78. *n.* 1. *verſ. Quæ ſi ita ſe habent.* Tantundem dicendum eſt, de affirmativâ conditione, *ſi liberi procreati fuerint*, hæc enim eveniet, ſimulac filius natus fuerit, nec quicquam oberit, ſi is decedat. *d. l.* 4. *C. quand. dies legat. l. maritus* 48. *ff. de uſur.* Intrigliol. *d. quæſt.* 56. *n.* 2. Maynard. *d. decis.* 78.
17 Attamen nec hoc caſu veroſimilem paciſcentium voluntatem excluſam velim, quos ſi aliter ſenſiſſe appareat, menti eorum potius, quam verbis favendum, atque inhærendum eſt. *text. in l. Lucius ff. de hæred. inſtit.* Judicatum vide apud Carpzovium *d. conſt.* 43. *def.* 15. A quo non abeunt Intrigl. *d. quæſt.* 56. *n.* 6. *&* 19. Maynard. *d. deciſ.* 78. *n.* 3. Papon *d. arr.* 18. Barry *de ſucceſſ. d. lib.* 17. *n.* 29.

18 In caſum quo matrimonium ſine liberis ſolvi contigerit, plerumque ſponſus ſponſæ addicit certam pecuniæ ſummam, interdum & ſponſa ſponſo. Hæc pollicitatio tam firmum jus ſuperſtiti tribuit, ut præmorientis teſtamento ei auferri nequeat; cum quæ ab initio ſunt voluntatis, poſteà fiant neceſſitatis. *l.* 5. *C. de O. & A.*

O. & A. Nec enim hæc donatio mortis cauſa eſt, quæ pœnitentiam admitteret, licet in eâ mortis mentio facta ſit: primaria namque, ſeu finalis cauſa donandi, non fuit ſponſi mors, ſed matrimonium ſubſequens, & ſine quo dono nuptiæ forſan ſecutæ non fuiſſent: quare inter vivos cenſetur hæc donatio, ſuſpenſa tantùm ſub hac conditione, ſi donans absque prole prior è vitâ exiret. Unde hoc genus pactionis irrevocabile eſſe tradunt. Choppin. *de morib. Paris. lib.* 2. *tit.* 3. *n.* 9. Charond. *aud chap.* 5. *p. m.* 195. Faber *in Cod. tit. de pact. conv. def.* 7. Moller. *ad conſtit. Saxon. part.* 1. *conſt.* 7. *n.* 1, *& part.* 3. *conſt.* 20. *n.* 51. Carpzov. *d. conſt.* 43. *def.* 11. *n.* 4. Rittershus. *ad Novell. part.* 7. *cap.* 17. *n.* 15. Mev. *ad jus Lub. part.* 2. *tit.* 2. *art.* 12. *n.* 375. Mean *d. part.* 1. *obſ.* 69. *n.* 5. Stockmans *deciſ. Cur. Brabant.* 45. *n.* 1. 2. Gandenſes *part.* 3. *rub.* 20. *art.* 27. Antverpienſes *tit.* 41. *art.* 26.

De eo quæſitum eſt. Addixit aliquid ſponſus poſt mortem 19
ſuam ſponſæ, poſteà ei amplius legatum dedit, eritne unius cum
altero compenſationi locus? Apud nos hæc quæſtio moveri 20
nequit, ubi quælibet gratificatio, ſolo reciproco uſufructu excepto, ſtante matrimonio conjugibus inhibita eſt. Verùm & ex- 21
teris ſcribimus. Olim apud Romanos non licuit per actionem rei uxoriæ utrumque petere, & dotem, & legatum, ſed alterutro contenta eſſe jubebatur uxor. Patet hoc ex edicto Prætoris, quod de alterutro introductum erat, eo quod præſumeretur animo compenſandi legatum eſſe relictum. Verùm poſtquam Juſtiniani conſtitutione *lib.* 5. *Cod. tit.* 13. actio rei uxoriæ tranſlata eſt in actionem ex ſtipulatu, ceſſavit illud edictum, cœpitque uxor utrumque poſſe petere, & dotem, actione de dote, & legatum, ex teſtamento: idque favor matrimonii poſtulabat, & ſuadebat ratio voluntatis ultimæ conſervandæ. Hujus argumento rectè reſponderunt Doctores, utrumque, & pactitium eventu longioris vitæ lucrum, & legatum pinguius à marito poſteà relictum juſtè petere uxorem, nec alterum altero eſſe peremptum:

non enim juri dissonum est, ut duæ lucrativæ causæ in eundem hominem, in rebus diversis cadant. *l. Titius* 83. *ff. de legat.* 1. Ferron. *ad consf. Burdeg. tit. de dote* §. 6. Coras. *lib.* 3. *miscell. cap.* 1. Papon *lib.* 12. *tit.* 6. *in append. arr.* 1. Moller. *lib.* 3. *semestr. cap.* 25. Castill. *lib.* 8. *quotid. controv. de Aliment. cap.* 18. Gratian. *tom.* 1. *discept. forens. cap.* 134 *per tot.* Ferd. Arias de Mesa *lib.* 2. *var. resol. cap.* 10. Automne *sur Bourdeaux art.* 52. *vers. si le mari.* Carpzov. *part.* 3. *const.* 20. *def.* 5. *& def.* 40. *& de jurib. fœmin. decad.* 8. *posit.* 2. *n.* 24. Bruckner. *ad Maynard. coroll.* 8. Mev. *d. art.* 12. *n.* 333. D. Rodenburg *de jur. conjug. tit.* 2. *cap.* 4. *de gratif. potest.*
22 *n.* 6. *p. m.* 238. Tilenses *tit.* 7. *art.* 18. (Cujus contrarium tamen apud Bergizomios constitutum est *tit.* 14. *art.* 25. Quod & placet Maynardo *lib.* 6. *decis.* 2. Bouvot. *en ses arrests,*
23 *tom.* 2. *verb. donation. quest.* 18.) Nisi alia fuerit voluntas testatoris, ut si legaverit, *pro doërio*, vel *doërii nomine*, quo casu compensandi animo legatum relictum esse intelligitur. *d. tit.* 13. §. 3. Coras. *d. cap.* 1. Arias de Mesa *d. cap.* 10. *n.* 20. Jo: Paul. Melius *in observ. ad d. tract. Castill. de Aliment. cap.* 18. *n.* 5. Tulden *ad d. tit. Cod. de rei uxor. act. n.* 4. Perez
24 *ad eund. tit. n.* 12. Imò si vel testator maritus jusserit, uxorem pinguiori legato esse contentam, nec quicquam amplius ex bonis suis petere. *l. creditorem* 85. *ff. de legat.* 2. *l.* 6. *C de hæred. instit.*, ne alioquin nullus superesset effectus orationis tam enixè plus petitionis probibitoriæ. Faber *in Cod. lib.* 6. *tit.* 18. *defin.*
25 19. *&* 22. Melius *d. cap.* 18. *n.* 21. Verùm fac apud nos sponsum pactis dotalibus in sponsam largitatem quandam contulisse, posteà inter conjuges reciprocum omnium bonorum usumfructum constitutum, maritumque prædefunctum esse, compensabiturne donatum cum omnium bonorum usufructu? Interesse puto, an sponsalitia illa largitas portionem sortis contineat, veluti fundum, vel certam pecuniæ summam, ex sponsi bonis post mortem suam ilicò præcipiendam; an verò annuam

so-

ſolummodò quantitatem ſponſæ, quoad viveret, erogandam. Et ex ſuperiori fundamento dicendum eſt, priori caſu utrumque eſſe præſtandum, ſponſalitium lucrum, tanquam æs alienum, unà cum cæteris oneribus ab ejus hæreditate deducendum, inque reliquâ hæreditate uſumfructum, perinde ac ſi is alteri cuivis relictus foret. Et hoc jure utimur. Conſentiunt Lupus de Palac. Ruv. *ad Rubr. de donat. int. vir. & ux. §. 27. n. 2. & 3.* Covarr. *de teſtam. cap. 14. n. 5.* Gutierr. *lib. 2. pract. quæſt. 118. n. 12. & quæſt. 124. n. 3.* Giurba *ad Meſſan. cap. 1. gl. 5. n. 33.* Zutphanienſes *Stadr. tit. 27. art. 5. & lantr. tit. 15. art. 4.* Poſteriori caſu palàm eſt, promiſſam illam portionem annuam, uſu- 26
fructu omnium bonorum conſtituto evanuiſſe, minoremque illam anniverſariam fructus ſummam confuſam eſſe fruitione bonorum plenariâ. Etenim cum minor illa pactis dotalibus annuatìm promiſſa ſumma onus ſit ipſius uſusfructus, qui, ſi alteri ab uxore relictus eſſet, iſto annuo doërio minueretur, actio certè quam uxor doërii nomine prætenderet, contra ſeipſam, bonorum omnium uſufructuariam, inutilitèr inſtituere neceſſe haberet. *l. cum pater. 77. §. 5. junctâ lege Titia. 34. §. qui invita. 5. ff. de legat. 2.* Ita judicatum tradunt Neoſtad. *deciſ. Cur. Holland. 11.* Charond. *liv. 7. reſp. 41.* Conſentit Chriſten. *de* 27
cauſ. matrim. d. diſſert. 4. quæſt. 24. cujus tamen ſubſtratam rationem ego nullo modo admitto, cum annuum reditum ſtatuat hoc caſu omnium bonorum uſufructu compenſatum eſſe, quaſi veroſimile non ſit, voluiſſe maritum duplici præſtatione hæredem onerare: quin imò contrà aſſerendum, ſi annuus reditus doërii nomine uxori conſtitutus ſit, maritusque poſtea eidem teſtamento ſuo majoris ſummæ in annos ſingulos dederit legatum, nullâ factâ mentione pactorum dotalium, compenſationi hoc caſu nullum eſſe locum, verum duplicatam eam eſſe mariti voluntatem, & ex eâ utrumque deberi: ita demonſtratum ſuprà, & à ſupremo Hollandiæ Senatu judicatum eſſe tradit D. Rodenburg *d. n. 6.* Vera ratio eſt, quam indicavimus modò doë-

doërium illud annuum, usufructuarii omnium bonorum onus esse, integer autem ususfructus cum penes uxorem sit, confusam esse doërii petitionem, nec enim confieri potest, ut uxor creditrix, & debitrix ejusdem rei fingatur.

28 Stipulatio quæ conditioni, *si sine liberis*, plerumque subordinatur hæc est. *Liberi, quos ex futuro connubio procreari, & absque prole vitâ fungi contigerit, sibi invicem succedunto, novissimo sine liberis defuncto, bona ad hæredes illius, à cujus latere provenerunt, remigranto.* Evenit, ut liberi quidem nati sint, sed antequàm in suam tutelam venerint, aut ex contractis nuptiis novam sobolem susceperint, omnes esse desierint, debebiturne parentum superstiti legitimæ, Trebellianicæque portionis de-

29 tractio? Pro ajente sententiâ facit tralatitium illud, generalem hæreditatis renunciationem non trahi ad legitimam *l. 35. §. generaliter. C. de inoff. testam.* Ex quâ lege Doctores inferunt, non aliter legitimæ renunciatum intelligi, quam si specialis mentio legitimæ facta sit, ne tum quidem cum legitima jam deberi incipit, id est, defuncto eo de cujus successione agitur, quanto minus æquum erit, ad legitimam produci generalem renunciationem, quæ de hæreditate tantum facta sit eo tempore, quo necdùm legitima ulla debebatur, nec, jure Civili inspecto, renunciari le-

30 gitimæ utiliter poterat. Definitum tamen apud nos non uno judicato est, præfatarum portionum detractiones prorogativas solummodò esse ultimis voluntatibus, non etiam pactis convenientes. Postquàm enim moribus inductum est, ut à conjugibus dotali pacto certus ordo sibi, liberisque suis succedendi ab intestato constitui possit, certè fieri nequit, ut ad legitimæ portionem admittatur is, qui ab ipsâ intestati successione suâ voluntate penitùs exclusus est. Repugnat enim juris ratio, quæ legitimam definit portionem hæreditatis, aut partis hæreditariæ ab intestato contingentis. Itaque nulla legitima debetur ei, cui succedendi jus ab intestato nullum superest. *l. posthumus 6. à pr. & §. 1. ff. de inoffic. testam.* Illud certè constat, superstitem hunc à libe-

ris

ris nullâ exhæredatione, vel præteritione notatum esse, cum testamentum nullum factum sit, non igitur querelam de inofficioso movere potest; cessat enim legitimæ petitio ubi isti querelæ locus nullus est. *l.* 3. *l.* 30. *C. de inoff. testam.* Contra quem ergo petitionem legitimæ instituere vellet? An contra intestati successorem? At hoc inauditum est, cum non aliis petendæ legitimæ jus detur, quam iis qui ab intestato legitimi forent ipsi successores. Renunciavit igitur validè ex more nostrati uterque conjux liberorum successioni, & quidem eo tempore, quo nequedum legitima ulla debebatur, & cœperit fieri posse, ut ea nunquam deberetur. Illud quidem verum est, legitimam, quæ semel cœpit esse debita, nihil habere commune cum jure successionis universalis, sed & hoc verum est, si priusquam de legitima quæri possit, id est, si ipsis matrimonii auspiciis, & nondum natis liberis, uterque conjux semet invicem à spe hæreditariæ successionis excluserit, cui alioquin legitima suo tempore deberetur, nihil superesse quod de legitimaria portione tractari amplius possit. Sanè ex liberorum personis dictarum portionum detractio superstiti concedi nequit, non enim hoc casu liberi fideicommisso invicem gravati sunt, cum unusquisque de sua portione liberè testari possit, eo quod, uti dictum, certus solummodò ab intestato succedendi ordo præfinitus sit, ut liberi impuberes haberent illos hæredes, quos judicium parentum illorum bonis designaverat, vel ut adulti, si hæredes alios sibi non quæsiverint, parentum voluntati stetisse, atque adeò datos hæredes approbasse credantur. Ergo nullo liberis imposito gravamine, nec de legitima, vel Trebellianica detrahenda quæstio moveri potest. D. Rodenburg *de jur. conjug. tit.* 3. *cap.* 2. *n.* 4. *p. m.* 132. Neostad. *de pact. antenupt. obs.* 2. *&* 3. Consult. JC. Batav. *tom.* 3. *cons.* 4. Christen. *de caus. matrim. dissert.* 5. *quæst.* 27. *vers. Alia ocurrit.* Mev. *ad jus Lubec. part.* 2. *tit.* 1. *art.* 8. *n.* 16. *& tit.* 2. *art.* 1. *n.* 53. *& seqq. & art.* 34. *n.* 75. *& seqq. & n.* 92. Tiraquell. *de jur. Primog. quæst.* 55. *n.* 9. *& seqq.* Vasq. *de succ-*

 cess.

ceff. creat. lib. 3. §. 20. *n.* 292. *& seqq.* Heig. *part.* 1. *quæst.* 25. *n.* 11. Faber *de Error. Pragmat. decad.* 12. *error.* 5. Grivell. *decis. Dolan.* 53. *n.* 39. *& seqq. & decis.* 118. *n.* 4 Anton. de Amato *d. resol.* 48. *n.* 7.

31 Verùm licitumne erit filio nato ex matrimonio, sub præfatâ revertendorum bonorum clausulâ contracto, patrem testamento suo præterire, institutis extraneis? Pro affirmativâ stant ea quæ diximus, hoc casu, patri, ab intestato moriente filio, legitimæ petendæ jus denegari, querelæ quoque inofficiosi testamenti locum non esse, ubi legitimæ petitio cessat, cum jus impugnandi testamentum ex jure succedendi ab intestato oriatur. *l.* 14. *ff. de inoff. testam. & simill.* Inde infra docebimus, filiam, quæ, propter renunciationem futuræ hæreditatis, ab intestato succedere non potest, contra tabulas paternas nihil attentare posse. Et cui bono, commodoque patri foret, accusasse nullitatis testamentum filii, atque in eo obtinuisse, cum illa victoria non aliò tendere posset, quam ut testamentum deveniret ad causam intestati, ex quâ nihil ipse pater percipere posset, ab eâ successione penitus
32 exclusus? Potiora tamen judicaverim esse patris jura. Non aliàs enim pater semet ipsum à successione filii exclusit, quam per istum succedendi ordinem ab intestato, qui pactis dotalibus designatus fuerat; ut sc. bona materna à defuncto liberorum aliquo decurrerent ad reliquos, à novissimo autem, sine liberis decedente, ad istius lateris proximos: & sic, ut liberi impuberes morientes haberent eos hæredes, quos parentum commune judicium illorum bonis designaverat, vel ut adulti, si hæredes alios sibi non scripserint, parentum voluntati acquïevisse, datosque hæredes approbasse intelligantur. Itaque cum nihil inveniatur dispositum de bonis per ipsam liberorum testamenti factionem in alios transcribendis, versabimur in casu pactis antenuptialibus omisso, qui, *uti suo loco demonstratum est*, decidendus est secundum regulas juris ordinarii; jam autem jure manifestum est, non posse filium,
abs-

absque justâ causâ, patrem testamento suo præterire: perindè ut accidit in iis locis, ubi Civico ritu pater existentibus fratribus, & sororibus, vel etiam remotioribus maternæ lineæ agnatis, non succedit liberis suis. Verius enim inibi est, non aliàs patrem excludi, quam si successioni ab intestato fiat locus, id est, quando filii hæreditas defertur solâ vi istius consuetudinis: quam si filius invertere, atque testamentum condere voluerit, utique simul eum recordari oportet, se esse filium, habere patrem, pietatis leges, quas liberi erga parentes observare necesse habent, etiam eorum testamentis has esse præscriptas, ut in iis parentes præteriri non possint, verùm necessariò vel instituendi sint, vel exhæredandi ex justâ causâ. Itaque quod modò dicebamus exclusum à successione, à legitimæ quoque petitione arceri, id certè hanc limitationem admittit, nisi testamento instituti sint alii ab iis, quorum favore, vel consuetudo, vel pactum dotale, succedendi legem introduxerat; ne superstes duplici mœrore afficiatur, & amissæ prolis, & extranei sibi testamento prælati. Ita judicatum esse referunt à Curiâ Dolanâ Grivell. *decis.* 53. *n.* 45. 46. à Brabantinâ Stockmans *decis.* 22. utcunque plusculi Supremæ Curiæ Hollandiæ Senatores in contrariam sententiam propenderint: uti refert Coren *observ.* 10. moti rationibus, paulo superius adductis, quas modò refutavimus. Quid autem si hic filius testamento suo instituerit proxi- 34
mos maternæ lineæ agnatos, sibi alioquin ex pactis dotalibus ab intestato successuros? Testamentum filii, qui designatum succedendi ordinem secutus sit, à patre impugnari non posse statuit idem Stockmans *d. loc. n.* 8. Mihi contrà videtur. Cum enim 35
intestatus moritur filius, non sollicitus de successione suâ futurâ, verùm illud negotium successoriis legibus committens, nihil ipse egit, nedum contra pietatis officium. At cum testamentum condit, suæ ipsius voluntatis sententiam exprimit, perque causam testati sui, cessare facit causam intestati, (quæ sola patrem excludebat) quo facto, evidens est non ex nuptialibus tabulis patrem

successione filii esse summotum, sed judicio ipsius filii; jam autem, (uti dictum,) jure constitutum est, filium testamento suo patrem impunè præterire non posse. Nec novum est, ut ea, quæ per leges obtinuissent, inhibeantur, si factum hominis interveniat, utcunque illud hominis factum ad legis dispositionem conformatum fuerit. Ut ecce; apud Hollandos connubialis bonorum communio per legem *hâc edictali C. de secund. nupt.* non restringitur, si, absque pactis dotalibus cum viduo, viduave, qui, quæve ex priori matrimonio liberos habet, matrimonium contractum sit, cum eo casu per legem, non per hominis factum, communio ea introducatur. At si ministerium hominis interveniat, ipsisque tabulis nuptialibus pacta sit communio illa omnium bonorum, alioquin consuetudinaria, frustra erit stipulatio, restringenda ad filialem portionem ejus, cui minimum relictum est. Ratione, nostræ decisioni apprimè accommodâ, quod priori casu per legem fiat, quicquid fiat. Posteriori verò casu, parens binubus suo ipsius facto declaraverit malignum suum bonorum anterioris thori liberis intervertendorum propositum. Grot. *lib.* 2. *Isag. part.* 12. *vers. Staet te letten.* Corn. Neostad. *tract. de pact. antenupt. obs.* 4. *in not.* Coren *observat.* 30. *n.* 27. Groenew. *tract. de ll. abrog. ad d. l. hâc edict. n.* 5. Illud admiserim, si dotali pacto lex adeò hæterogenea bonis dicta sit, ut & liberis liceret de iis disponere, posthabito patre, atque filius testamento patrem suum præterierit, institutis extraneis, non habere patrem quod conqueratur, cum præteritioni suæ ipse consenserit. *Si quis manu suâ se exhæredem scripsit, Marcellus ait, nocere ei hanc exhæredationem, quia Senatus hoc pro non scripto non facit, quod contra eum est. l. non putavit.* 8. §. 6. *ff. de bonor. poss. contr. tab.* In simili Sandius *lib.* 4. *decis. Frisic. tit.* 2. *def. ult.*

36

37

38 Ecquid si inter contrahentes pacto dotali conventum sit, ut eorum superstes, omnia defuncti bona lucretur, parentes autem isti pacto interfuerint, atque subscripserint, debebiturne parenti præmortui conjugis legitima in bonis per superstitem lucrandis? Et in-

interesse arbitror, an parentes sponsalitiæ isti largitati auctoritatem præstiterint, tanquam partes contrahentes, renunciandi circa legitimam juris sui gratia, & quo sponsus sponsaque tanto securiores esse possint, nihil de bonis omnibus, præjudicio pacti conventi, post mortem prædefuncti diminutum iri: quo casu cessabit legitimæ petitio. *arg. l.* 26. *§. pater.* 1. *ff. de pignor.* huicque rei applicari possunt ea quæ superiori quæstioni asserendæ adaptavimus. Cæterum, si, dum majores liberi erant, parentes 39
unà cum aliis amicis pactis solummodò honoris causa interfuerint, & tanquam testes signaverint, vix est ut per hoc spe legitimæ exciderint, neque enim, uti in casu superiori, ipsi contrahentes semet ipsos à successione liberorum suorum, atque adeò à petitione legitimæ excluserant, ita & in hoc casu, ubi voluntas liberorum sola contractui robur addidit, parentumque præsentia, nullâ aliâ concurrente renunciandæ legitimæ conjecturâ, ejus ademptionem operari nequivit. Sic judicatum apud Carpzov. *part.* 3. *def. forens. const.* 1. *def.* 9. 10. *& const.* 12. *def.* 3. *&* 4. Christen. *d. quæst.* 27. *à pr. & vers. finali.*

Ex iis quæ proximè dicta sunt, apparet, successiones quæ pa- 40
ctis dotalibus deferuntur, testamentorum vim plerumque non habere, sed ita demum effectum sortiri, si liberorum arbitrio secus dispositum non reperiatur. Igitur si sponsalitiis tabulis cautum sit, ut bona à liberorum novissimo ad paterni generis hæredes, exclusis maternis, devolverentur, filiusque unicus ex iis nuptiis natus esset, qui patruum, præteritâ amitâ, ex asse hæredem scripserat, judicatum est, frustrà hanc amitam ex nuptiali instrumento partem hæreditatis sibi vendicare, cum testamento filii illinc remota reperiatur. Neostad. *d. tract. observ.* 1. Huc confer ea quæ diximus suprà *n.* 3. *& seqq. & in comm. ad Novell. Ultraj. art* 7. *n.* 13.

De eo apud nos disceptatum fuit. Sponsalitiis tabulis certus à 41
contrahentibus ordo præfinitus erat, sibi procreandisque liberis succedendi ab intestato, nimirum ut paterna bona paternis hære-

dibus, materna maternis cederent. Defunctis parentibus, aliquibusque liberis, eorum extremus testamentum condidit, quo instituit hæredes sibi ab intestato alioquin successuros, in locum autem demortuorum, liberos eorum substituit. Orta lis est inter maternos hæredes, qui ex patria succedendi lege proximiores defuncto erant, & paternos, qui pactis dotalibus ad paterna bona erant vocati. Domum mortuariam tenebant, possidebantque materni lateris hæredes. Paterni præfatis pactis freti, me suasore ac patrono, & se immittendos in domum mortuariam curârunt, petentes conjunctim bonorum catalogum confici, paternaque à maternis discerni, sibique addici. Lite instructâ, Curia Urbana, rogatis ante prudentum responsis, rectè immissos in domum mortuariam paternos pronunciavit. *In der sake van Bonaventura van Bodeck cum suis, Req.*[uten] *van inleydinge, en Gereq.*[dens] *van contraversoeck, contra Bonaventura van Bodeck tot Hulsou cum sociis Gereq.*[dens] *en Req.*[uten] *op den* 17. *Aug.* 1664. Cui judicato condemnata pars acquievit, appellare non ausa. Ex testamenti enim verbis apparebat, de hæredibus nihil voluisse dispositum, sed causam eorum reliquisse eo loco, quo ea erat tempore facti testamenti, nisi quod defunctorum liberos in locum parentum suffecerat. Itaque tota consideratio versabatur, uter litigantium, citra testamentum, ab intestato hæres futurus erat, utique non ille, qui per leges patrias ab intestato hæres successurus foret, cum ille ordo à defuncti parentibus jam erat immutatus, & inversus per illum alium, pactis antenuptialibus constitutum: cumque filius à parentum voluntate non recesserit evidenter, judicio eorum successionem suam reliquisse creditur. Idem ante omnium calculis à supremâ nostrâ Curiâ judicatum esse tradit D. Rodenburg. *d. Cap.* 2. *n.* 6. *p. m.* 136.

42 Postremò agendum de promissâ sponsalitiis tabulis sucessione. Inter cæteras enim & de dote conditiones, nonnunquam videmus, patrem, propinquumve sponsæ, ultra dotem datam, promittere æqualiter sponsam cum ceteris liberis, vel amicis, sibi successuram.

suram. Docuimus *in comment. nostr. ad Novell. Constit. Ultraj.* 43
art. 7. n. 20. & seqq. tale pactum, Civili jure, neque ullam obligationem contrahere, neque libertatem testamenti faciendi mulieris patri, vel propinquo dotanti auferre *l. 15. C. de pact. l. 3. C. de collat*: Aliarum tamen gentium moribus eatenùs inva- 44
luisse, ut adinstar ultimæ voluntatis sit, variatâ sententiâ, semper mutabile, atque revocabile. Docuimus ibidem Imperato- 45
rem Leonem *Novell.* 19. tales pactiones juris vinculo adstrinxisse, ejusque Novellæ dispositionem populari plerarumque gentium usu receptam esse. Destruximus quoque inibì fluxas 46
illas Quiritium rationes, conventionalibus successionibus oppositas. Constabilivimus mores pactitiarum hæreditatum recepti- 47
tios. Asseruimus præterea legislatorem nostratem *d. art.* 7 po- 48
liticâ quâdam ratione parentum jus à collateralium, atque extraneorum jure discriminasse, illis pactorum revocandorum licentiâ concessâ, his denegatâ. Tradidimus quoque ibidem, pro- 49
missorem, testamento postea confecto, æquali huic promissæ portioni legem fideicommissi adjicere, cæterorum verò portiones ab hoc onere immunes velle non posse: quale solummodò 50
fideicommissi onus omnium portionibus adjici posse. Quæ omnia cum eo loci rationibus, & auctoritatibus complusculis firmavimus, non lubet huc denuò transscribere. Illud monuero, 51
fuisse opinantes, præfatum articulum septimum etiam parentes comprehendere, ut & horum promissa cum cæteris liberis æqualis successio, firmitatem juris irrevocabilem contineat: verùm Suprema Curia litem dedit secundum præfatum discrimen, filiamque ultimo patris eologio, contra pactis promissam æqualis successionis legem ordinato, contentam esse jussit, *In der sake van Hendrickje Peters originele Req.^nte en Gereq.^de van contraversoeck, contra Willem Theunisz van Colverschoten, originile Gereq^de. en Req.^nt resp.^e op den* 30 *July* 1670.

DE

DE PACTITIA Futurarum Succeſſionum Renunciatione.

TRACTATUS SECUNDI CAPUT SEXTUM.

SUMMARIA.

1. *Apud Romanos improbatur pactum, quo conventum eſt, ut filia acceptâ dote nihil præterea juris in bona paterna haberet.*
2. *Iure canonico ea pactio ſustentatur, ſi jurejurando confirmata fuerit.*
3. *Hæc canonica conſtitutio in foro quoque civili obſervatur.*
4. *Iurisjurandi loco habetur omnis promiſſio continens ſanctum religionis vinculum, ſive exertim, ſive implicitè Dei nomen adhibitum fuerit.*
5. *Quid ſi filia promittat ſe acceptæ doti acquieturam* Sacramenti vice?
6. *Vel ſub dignitatis ſplendore, Principali ſc. Generoſa, & nobili fide?*
7. *Hæ formulæ in hac renunciationis hæreditatum materia vim jurisjurandi non habent.*

8. 9. 10. *Quorundam moribus ſuſtinentur filiarum renunciationes ut ut injuratæ.*

11. *Non tantum nobilium, ſed & plebejarum.*
12. *Jure quoque Divino fœminæ ab hæreditatibus parentum ſummovebantur, exiſtentibus maribus.*
13. *Quod jus hodiedum in Anglia, & Scotia obſervatur.*
14. *Non filiarum modò, ſed & maſculorum renunciationes de futura ſucceſſione factæ apud quoſdam receptæ ſunt.*
15. *Apud nos rariora ſunt iſtarum renunciationum exempla.*
16. *Hæ renunciationes in ipſo matrimonii contractu fieri debent.*
17. *Nec tantum locum habent, cum pater filiam elocat, ſed & cum avus neptem.*

18. 19. 20. *Ad*

18. 19. 20. *Ad faciendam hæreditatis renunciationem quanta ætas requiratur.*

21. *Non opus est ut hæc renunciatio in judicio fiat, sufficit coram amicis aut testibus factam esse.*

22. *Speciatim fiat ea renunciatio, nec enim sufficit generaliter renunciatum esse omnibus juribus paternis.*

23. *Quid si filia, quæ pacto dotali renunciaverat omnibus juribus, in ipsâ solutæ dotis apochâ, specialiter renunciaverit paternæ successioni?*

24. *Quid si sola promissio de jurejurando intervenerit, quam actus ipse renunciationis secutus non sit? Respondent aliqui promissionem hanc pro utili renunciatione non esse.*

25. *Quorum sententia improbatur.*

26. *Renunciasse liberè, præsumitur filia ex ipsâ dotalis instrumenti subscriptione, nec admittitur ad causandum reverentiæ paternæ metum.*

27. 35. *Nullâ dote constitutâ, renunciatio irrita est.*

28. *Nec exigimus præcisè, ut filia à patre dotata sit, sufficit vel avum dotem dedisse.*

29. 30. 31. 32. 33. *Refutatur sententia eorum, qui nullo dato vel promisso renuntiationem fulciunt.*

34. *Uti & Argentræi, qui statuit exclusionis causam in solo matrimonio consistere.*

36. *Nec non eorum, qui hoc casu solam dotis petitionem superesse docent.*

37. *Quanta debeat esse dos, ut filiæ hæreditatis renunciatio subsistat? Apud Gallorum quosdam filiæ nobili sufficit leviusculum nuptiale munus.*

38. 40. *Cujus ratio adfertur*

39. *Platonis judicio confirmata.*

41. *Bodini ratio circa hanc materiam non inepta.*

42. *Causa tamen hujus rei ab eo designata improbatur.*

43. *Ignobili filiæ dotis quantitas apud Gallorum multos arbitratu boni viri constitui debet.*

44. *Mornacii circa hanc rem judicium.*

45. 59. *Apud alios reprobantur renunciationes, si dos infra legitimam data sit.*

46. *Alii non præcisè legitimæ quantitatem exigunt, contenti arbitrio judicis, vel boni viri.*

47. 48. 49. *Quibus Saxonum, Burdegalensium, & Ruremundensium statuta consonant.*

50. 51. *An auctis post filiæ nuptias paternis facultatibus, augenda quoque sit legitima filiæ? Affirmantium sententia, ejusque rationes referuntur,*

52. 54. 55. *Refutantur.*

53. *Notatur Ant. Fabri hâc in quæstione inconstantia.*
56. 57. *Rejicitur eorum opinio, qui distinguunt, an pater renunciationis tempore dotem congruam dederit, an verò congruenti doti aliquid defuerit.*
58. *Ab ipso renunciationis tempore incipit currere præscriptio contra filiam, ejusve maritum, si dotem non congruam datam esse obtendere velit.*
60. *Læsio filiæ in dote datâ attendi nequit, incertitudinis, ac dubii eventus consideratione.*
61. 62. *Refellitur eorum sententia, qui statuunt fratrem spretâ dotis promissione, renunciatricem sororem admittere posse ad æqualem successionem.*
63. *Filiæ minores non restituuntur in integrum, adversus renunciationem, acceptâ dote, semel legitimè factam.*
64. *Renunciatio hæc non tollit alimentorum præstandorum necessitatem.*
65. *Dos data gravari nequit ullis conditionibus, oneribus, aut fideicommissis.*
66. *Renunciationes hæ se extendunt solummodò ad quærendas successiones, non verò ad jam quæsitas.*
67. *Quid ergo, si filia eodem contractu, & matris defunctæ hæreditati, & obventuræ vivi patris successioni renunciaverit, acceptâ certâ dotis summâ? Distinctione enodatur.*
68. *Ad effectum hujus renunciationis, non intelligitur dotata filia, quam pater dotaverit ex suâ ipsius maternâ substantiâ.*
69. *Infirmatur filiæ renunciatio paternorum & fraternorum bonorum, quæ illi certæ hæredi futuræ adimi non poterant.*
70. *Exigitur ut promissa dos ante obitum paternum verè adnumerata sit.*
71. *Irrita est renunciatio, dote in diem paternæ mortis constitutâ.*
72. 73. *Quid ergò, si filia contractu matrimonii successioni patris renunciaverit, ille autem nondum celebratis nuptiis, neque dote solutâ decesserit?*
74. *Auctor distinctione discrepantes sententias componit.*
75. 76. 77. 78. 79. 80. *Quid si dos ad certum tempus promissa, præstituto tempore soluta non fuerit? Latè examinatur.*
81. *Renunciatio simpliciter facta, intelligitur duntaxat in gratiam liberorum marium.*
82. *In commodum patris concepta, censetur facta in favorem liberorum marium, post obitum patris.*
83. *Dummodò pater renunciationis tempore mares quoque liberos habuerit.*
84. *Sunt tamen, qui renunciatricis sororis portionem omnibus liberis ex æquo accrescere docent.*
85. *Renunciatricis portio reliquis accrescit, absque ullo primogenituræ jure.*
86. *Extinctis masculis, repetit filia renunciatrix pristina succedendi jura.*

87. *Id*

87. *Id quod de futuris hæreditatibus exauditur, de præteritis, & jam ante delatis non item.*

88. *Conferre tamen debet ea, quæ dotis nomine accepit.*

89. *Idem dicendum, si frater in cujus gratiam renunciatio facta est, exhæredatus sit, aut succedere noluerit, vel non potuerit.*

90. *Sola soror, quæ renunciavit favore unius ex fratribus, reclamat repudiatam hæreditariam portionem, conferendo dotem.*

91. *Multò magis soror in istâ portione præferetur Fisco, qui perduelli filio in bona succedit.*

92. *Modò portio ista sororia à fratre percepta adhuc extet.*

93. *Quid si frater eam portionem testamento alteri legaverit?*

94. *Quid si donaverit, cum nulla subesset meritorum causa?*

95. *Quid si vendiderit vili pretio?*

96. *Quid si alienaverit, ex pretio autem alias res comparaverit?*

97. *Quid si pretium alienatæ rei nondum solutum sit?*

98. *Exigitur, ut filius, in cujus gratiam renunciatio facta est, hæres sit stipulantis patris.*

99. *In fideicommissum venit etiam sororia portio, si filius à patre institutus, hæreditatem post mortem suam restituere rogatus sit.*

100. *Nisi in solius fratris favorem pater stipulatus sit, isque post mortem patris dotem de suo solverit.*

101. 102. *Filia quæ in gratiam omnium liberorum renunciavit, iis defunctis, rursus admittitur ad hæreditatem.*

103. *Nisi pater pro se, suisque successoribus quibuscunque stipulatus fuerit.*

104. *Filiis fratris sororia renunciatio proficit.*

105. *An etiam filiabus fratris? Sunt qui negant.*

106. *Auctori affirmantium sententia placet.*

107. *Primogenitus frater, cui obvenit sororis renunciantis portio, in eandem imputare tenetur, datam, nuptiarum tempore, sorori dotem.*

108. *Hæc filiæ renunciatio futuræ paternæ successionis, non excludit eandem ab hæreditatibus fratrum, sororumque, post mortem patris delatis.*

109. *Cujus contrarium apud multos constitutum est.*

110. *Quid si filia, eodem matrimonii contractu, non paternæ tantum, sed & fraternæ, sororiæque futuræ successioni renunciaverit? Respondent quidam hanc renunciationem inutilem esse respectu successionis fratrum, sororumque.*

111. *Verius est, renunciationem eam tenere, quoad ea bona quæ ex paternâ substantiâ ad fratres devenêre.*

112. *Renunciatrix filia non excluditur à proprietate quam parens transitu ad secundas nuptias amittit.*
113. *Fœminea hæc renunciatio an & feuda contineat? Negant multi.*
114. *Affirmans sententia verior est.*
115. *Moribus nostris filius, vel filia, repudiato allodio, feudum retinere nequit.*
116. 117. *Redarguitur opinio distinguentium, an hæreditati, an verò bonis renunciatum sit.*
118. *Renunciatrix filia impugnare nequit testamentum patris, in quo prætereita est.*
119. *Refellitur Fabri sententia, qui putat præteritionem filiæ prodesse cæteris fratribus ex disparibus partibus institutis, vel si extraneus liberis mixtus sit.*
120. *Pater filiam renunciatricem, testamento posteà facto, ad suam hæreditatem revocare potest.*
121. 122. *Quid si filia, unà cum legitimâ, etiam testamentariæ successioni renunciaverit?*
123. *Si pater, cujus filia in gratiam fratris renunciaverat, eidem filio, si sine liberis decederet, filias suas substituerit, admittetur renunciatrix unà cum cæteris sororibus.*
124. *Nullâ habitâ legitimæ vel Trebellianicæ deductionis consideratione.*
125. *Quolibet actu inter vivos à patre declarato, revocari potest filia ad succedendi jura.*
126. *Imò testamento imperfecto, & invalido.*
127. *In quo carpitur Forsterus.*
128. *Si filia renunciaverit in commodum ejus ex filiis, qui postea testamento patris nominaretur, nullo dehinc designato, retinet filia successionis jura.*
129. *Molinæus notatur.*
130. *Posterior patris declaratio, successionis restitutoria, non statim infringit effectum renunciationis, sed ita demum si in ea voluntate pater perseveraverit, non si eum istius rei postea pœnituerit.*
131. *Si pater testamento suo filiæ renunciatrici aliquid reliquerit, an illa possit agere ad supplementum legitimæ? Affirmantium sententia refertur.*
132. *Refellitur.*
133. *Renunciatio filiæ extenditur ad omnia bona, vel in eâ Provinciâ sita, quæ diverso jure utitur.*
134. *Obestne ea renunciatio nepoti?*
135. 136. *Examinatur opinio Bartoli, distinguentis, an nepos cum avunculis, an verò cum consobrinis succedere velit.*
137. 138. *Item aliorum, an filia jam perceperit dotem, aut nihil.*

139. *An*

139. *An nepos sit hæres matris suæ, nec ne.*
140. 142. 143. 144. *Auctor eorum sententiam probat, qui indistinctè hunc nepotem admittunt.*
141. *Filia quæ propter renunciationem non admittitur ad partem, facit nihilominus partem in legitimæ computatione.*
145. *Nepos qui matris hæres extitit, & in ejus locum admittitur, conferre tenetur ea quæ mater dotis nomine, vel aliàs accepit.*
146. 147. 148. *Quid si hæreditatem matris repudiaverit? Plenè discutitur, & definitur in omnem casum teneri nepotem conferre ea, quæ mater in eam causam accepit, ut renunciaret, vel tanto minus percipere.*

A promissionibus futurarum hæreditatum transeamus ad earundem renunciationes, tabulis nuptialibus factas. Jure Romano, *pactum dotali* 1
instrumento comprehensum, ut, contenta dote, quæ in matrimonio collocabatur, nullum ad bona paterna regressum haberet, juris auctoritate improbatur, nec intestato patri succedere filia eâ ratione prohibetur. l. 3. C. de collat. Cujus rei ratio in eo fundata est, quod jus successionis ab intestato publicum sit, cui privatorum pactionibus non renunciatur. *l. ult. ff. de suis & legit. l. 34. ff. de pact. l. ult. C. eod.* Adeò ut pactum, ne filius aut filia, cui certæ res donatæ, aut relictæ sunt, de inofficioso agat, isto jure reprobetur. *l. si quando 35. §. illud 1. C. de inoff. testam.* Denique, quod qui superstitis bona repudiat, nihil agat, cum repudiet id quod in rerum naturâ non est. *l. 94. ff. de acq. vel omitt. hæred.* Verùm 2
Bonifacius Papa hujusmodi pactionibus vinculum juris adjecit, si firmatæ fuerint jurejurando, non vi, nec dolo præstito. *Cap. Quamvis. 2. tit. 18. de Pact. in 6.* Quam constitutionem in foro quoque Civili observandam esse vulgo placuit. Covarr. *ad d. C. quamvis. §. 4. n. 9.* Vasq. *de success. creat. lib. 2. requis. 19. §. 18. n. 136.* Dauth. *ad idem C. quamvis. n. 95.* Mevius *ad jus Lubec. part. 2. tit. 1. n. 61.* Jurisjurandi loco habetur omnis 4
promissio continens sanctum religionis vinculum, sive exertim,

ſive involutè Dei nomen pro confirmatione veritatis adhibeatur, modò ab eo perfidiæ ultio poſcatur. Grotius *de jure belli & pacis. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 10. 11. 12. Mev. *d. tit.* 1. *n.* 83. Quod
5 autem quidam ſufficere putant, ut filia promittat ſe acceptæ doti acquieturam, *Sacramenti vice*, *in plaets van eede.* Dauth. *ad d. C. quamvis. n.* 23. *& ſeqq.* Rauchbar. *lib.* 2. *quæst. Jur. Civ. & Saxon.* 2. *n.* 59. 60. Mev. *d. tit.* 1. *n.* 84: vel ſub di-
6 gnitatis ſplendore, Principali ſc. Generoſâ, & Nobili fide. *By Furſtelicke, Graeffelicke, of Adelicke eere.* Mynſing. *cent.* 1. *obſerv.* 17. Rauchbar. *d. quæſt.* 2. *n.* 56. *& ſeqq.* Mev. *d.*
7 *tit.* 1. *n.* 85. Id Pontificiæ præfatæ conſtitutioni vix congruit, quæ ſolennem ac corporalem conceptis verbis jurisjurandi præſtationem exigere videtur: cum non aliter eam renunciationem valere jubeat, quam ſi jurisjurandi auctoritas acceſſerit. Itaque non malè alii docent, præfatas formulas tum demum Sacramenti vice cedere, ubi adjunguntur contractibus, qui ex ſeſe viribus ſubſiſtunt, nullam autem vim exerere, ubicunque jura preſſè ſolenne jusjurandum ad actus ſubſtantiam, ſoliditatemque negotii requirunt. Tiraquell. *ad ll. connub. gl.* 7. *n.* 189. Hartm. Piſtoris *part.* 4. *quæſt.* 6. *n.* 3. Moller. *ad conſt. Saxon. part.* 2. *conſt.* 36. *n.* 10. *& ſeqq.* Carpzov. *ad d. conſt.* 36. *defin.* 9. Modeſt. Piſtor. *lib.* 2. *conſil.* 19. *n.* 51. *& ſeqq.* Kellenbentz *de renunciat. ſucceſſ. quæſt.* 3. Quid enim quæſo promiſſio hæc, ſub dignitatis ſplendore, commune habet cum fide Chriſtianâ, cujus interventum ſemper deſiderat verum jusjurandum, quâque ſolâ interpoſitâ Bonifacius conſtituit, non eſſe filiabus quod renunciatam ſucceſſionem reclament? Certum quoque eſt, præfatâ promiſſione non obſtringi fidem eâ vi, ut, ni impleatur promiſsio, promiſſor perinde deteſtabilis habeatur ac ſi pejeraſſet, quo ſigno demum tales promisſiones jurisjurandi loco cedere
8 tradit Grotius *d. cap.* 13. *n.* 22. Sunt tamen, quorum moribus ſuſtinentur tales filiarum renunciationes, utut injuratæ. Groenew. *ad d. l.* 3. *C. de Collat.* Ruremundenſes *lantr. tit.* 2.

van

van Reghten van gehylickte. §. 1. *n.* 22. Saxones *lantr. lib.* 1. *art.* 13. *& ibi Zobel.* Rauchbar. *d. quæst.* 2. *n.* 104. Carpzov. *d. part.* 2. *const.* 35. *def.* 6. *n.* 6. 7. *Viri boni*, inquit Philo Judæus *de special. legib. Oratio pro juramento sit firmo.* Et rursus *de Decal. Optimum atque utilissimum, & rationali naturæ convenientissimum est, juramento abstinere, atque ita se veritati assuefacere, ut verba pro juramento accipiantur.*
Galli quoque filiarum suarum renunciationes non fulciunt vi 9
Pontificiæ constitutionis *d. c. quamvis*: verùm Majorum placito, ad conservanda bona in illustrium familiis. Molin. *consil.* 55. *in fin.* Chassan. *ad cons. Burgund. rub.* 7. §. 12. *in pr.* Petr. Rat. *ad cons. Pictav. art.* 220. *n.* 4. *verb. ce qu'elle.* Coquille *sur Nivern. tit. des droicts des gens mar. art.* 24. *vers. la question.* Faber *de error. Pragmat. decad.* 28. *err.* 6.
n. 7. Quod ergò præfata Bonifaciana sanctio hâc parte tribuit 10
jurisjurandi religioni, id alii tribuunt favori matrimonii, perpetuandæ familiæ, pecuniæ, hæreditatumque gentilitiarum, ut opes ad masculos potius decurrerent, ne aliàs dissectis in multas partes communis patris facultatibus, dignitatis splendor, bellicusque Nobilitatis nervus, incommodo publico, minuatur. *Opes enim sunt fulcra Nobilitatis*, inquit Tacitus, atque fœminis satis videatur factum, si, constitutâ dote, maritis locarentur ex dignitate, cum in his gentis nomen & decora finem accipere soleant. Hanc quoque rationem reddit Theophilus, Græcus interpres *ad tit. Instit. de legit. agnat. success. Utiliores* inquit *sunt Reipublicæ masculi, qui bella gerunt, sacra faciunt, aut muneribus publicis funguntur.* Quanquam non de- 11
sunt qui non tantum Nobilium, sed & plebejarum filiarum renunciationes, de futurâ successione factas, ratas habent. Charond. *sur Paris. art.* 302. *vers. puisque nostre. & en ses resol. des quest. part.* 3. *tit.* 12. *vers. j'ay monstrè & part.* 4. *tit.* 13. *vers. par plusieurs, & en ses memor. observ. verb. Fille. vers. Aussi pour la.* Robert. *lib.* 2. *rer. judic. cap.* 4. *vers. Idque non modò.*

modò. Tronçon. *sur Paris. art.* 310. *verb. accroist. vers. Ce que nous.* Papon. *lib.* 16. *tit.* 4. *arr.* 6. *in append.* D'E-
12 speisses *part.* 2. *tit. des successions n.* 70. *à la fin.* Jus item Divinum cujuslibet conditionis fœminas à possesione prædiorum summovit, nec aliter parentum hæreditatem cernere voluit, quam si mares nulli extitissent. *Numer.* 27. Cui legi ipse Deus rationem subjecit, ne prædia gentilitia familia exirent. De quo
13 Selden *de success. ad Leg. Ebræor. cap.* 1. 9. 10. Quod jus hodiedum frequentatur in Anglia. Cowell. *ad Inst. jur. Angl. lib.* 3 *tit.* 1. Scotia. Skenæus *ad leg. Scot. lib.* 2. *cap.* 30. Sunt
14 tamen, quorum moribus non filiarum modò, (de quibus solis videbatur loqui *d. cap. quamvis.*) sed & masculorum renunciationes hujusmodi sustentantur. Covarr. *ad d. c. quamvis.* §. 1. *n.* 1. 2. Vasq. *d.* §. 18. *n.* 85. Gomez. *ad L. Taur.* 22. *n.* 7. Graff. §. *successio ab intest. quæst.* 11. *n.* 1. Gutierr. *ad d. c. quamvis. verb. à filia. n.* 4. Dauth. *ad idem c. n.* 59. Charond. *sur Paris. d. art.* 302. *à la fin.* Barry. *de success. lib.* 11. *tit.* 25. *n.* 10. Carpzov. *d. part.* 2. *const.* 35. *def.* 8. Mev. *d. tit.* 1. *n.* 76. Tulden. *ad tit. C. de inutil. stipul. n.* 5. *vers. Idem erit.* Christin.
15 *ad ll. Mechlin. tit.* 16. *art.* 2. *n.* 13. Apud nos vix occurrunt filiarum per renunciationem pactis dotalibus à succesione exclusarum exempla, nedum ut desuper in jus ventum, vel firmi aliquid Senatoriis decretis definitum sit, sed quoniam materia ampla est, institutoque nostro apprime conveniat, operæ pretium me facturum arbitror, si accuratiori tractatione exhibuero ea, quæ pleraque gentium moribus, rerumque judicatarum exemplis circa eandem materiam placuerunt.

16 Hæc futuræ succesionis renunciatio fit in ipso matrimonii contractu quo dos constituitur, extra eum facta, nullius momenti est, solo enim matrimonii favore sustentatur. *d. c. quamvis verb. dum nuptui tradebatur.* Ferron. *ad cons. Burdeg. tit. des testamens*, §. 16. *in fin.* Automne *ad easd. consuet. art.* 66. *vers. si un Pere.* D'Espeisses *d. t. des success. n.* 81.

ute-

utcunque ſint qui contrà ſentiant. Covarr. *ad d. c. quamvis* §. 2. *n.* 1. Guil. Bened. *in c. Rainutius de teſtam. verb. duas habens filias. n.* 260. Dauth. *ad idem c. quamvis. n.* 78. Barry *d. tit.* 25. *n.* 3. Nec ſolummodò locum habet cum pater 17
filiam ſuam matrimonio dat, ſed & cum, patre mortuo, avus neptem elocat, eamque, conſtitutâ dote, ſucceſſioni ſuæ renunciare facit. Etenim in avo, cujus neptis patris loco ſuccederet, compar ratio & favor eſt tuendæ propagandæque per mares liberos vel nepotes familiæ. Ita prolato judicato. Automne *au meſme traitè art.* 71. *vers. lè couſtume.* Argentr. *ad cons. Brittann. tit des donations. art.* 224. *gl.* 2. *n.* 1. 2. 3. Boguet *ad conſuet. Burgund. tit.* 3. *des ſucceſſ.* §. 6. *verb. de pere, n.* 6. Giurba *ad conſuet. Meſſan. cap.* 3. *gl.* 14. *n.* 25.

Ad eam faciendam alicubi requiritur, ut filii viceſimum, filiæ 18
verò decimum octavum annum exegerint. Ruremundenſes *d.* §. 1. *n.* 24. Alii in filiabus deſiderant, ut annum decimum quar- 19
tum attigerint. Molin. *ſur les couſt. du Maine. art.* 261. *in fin.* Covarr. *ad d. c. quamvis.* §. 1. *n.* 5. Mornac. *ad l.* 36. *ff. famil. erciſc.* & *ad tit. C. ſi adverſ. tranſact.* & *ad tit. ſi adverſ. dot.* Alii verò docent, non eſſe neceſſe ad annorum numerum de- 20
currere, quaſi ratio ipſa dictaret, ætatem quæ ſufficit contrahendis nuptiis, ſufficere quoque debere ineundis pactionibus decoris & ſolitis, ſine quibus ferè nuptiæ non contrahuntur. Gutierrez *ad d. c. quamvis verb. à filia. n.* 1. Argentr. *d. tit. des donations. art.* 225. *gl.* 4. *n.* 2. & *n.* 10. *verſ. filiam.* Brodeau *ſur Louet lit. R. arr.* 17. *lit. b. verſ. c'eſt choſe certaine.* Caſtill. Sotomai *lib.* 3. *quotid. controv. cap.* 2. *n.* 38. Barry *d. tit.* 25. *n.* 10. *in fin.* Stockmans *de jur. devol. cap.* 18. *n.* 8. De filiabus nobis potiſſimum ſermo erit, quarum renunciationes occurrunt crebriores.

Non exigitur, ut renunciationes hæ in judicio fiant, ſufficit 21
vel amicis mediis, vel teſtibus præſentibus tabulas renunciatorias eſſe ſignatas, manu filiæ, ſi ea ſcribendi gnara ſit, aliás manu

vicariâ. Rauchbar. *d. quæst.* 2. *n.* 104. Kellenbentz *d. tract. quæst.* 6. Ruremundenses. *d. n.* 22. & 24.

22 Specialem successionis renunciationem exigimus, nec enim sufficeret, filiam à patre dotem accipere pro juribus omnibus paternis: etenim ea enunciatio id tantum operatur, nunquam se negaturam quin dotem pro omnibus juribus acceperit, non verò ea res facit, quo minus ei deferatur successio, moriente patre. Defertur namque hæreditas à lege, etiam invito, quanquam non acquiritur invito: acquisitionem autem impedit sola expressa futuræ successionis renunciatio, quare oportet renunciari illi ipsi succesfioni. Quin imò hæc renunciatio, voluntaria quasi est exhæredatio, quæ fieri non potest nisi expressè. Chassan. *d.* §. 12. *verb. ne les descendans. n.* 4. & *seqq.* Expilly *liv.* 2. *arr.* 14. Charond. *en ses memor. observ. verb. Fille. vers. toutesfois.* Faber *ad C. tit. de pact. defin.* 13. Delommeau *en sa jurispr. Franc. liv.* 2. *art.* 241. *vers. Mais à ce.* Barry *d. tit.* 25. *n.* 8.
23 d'Espeisses. *d. tit. n.* 78. Si tamen filia quæ matrimonii tempore dotem constitutam acceptaverat pro omnibus juribus paternæ succesfionis, peractis nuptiis, cumque dotis quantitas adnumeraretur, in ipsâ solutæ dotis apochâ, specialiter ipsi paternæ succesfioni renunciaverit, judicatum est, valere renunciationem, cum facta sit in executionem matrimonialis contractus, per eamque filia solummodò clarius explicuerit, quâ mente matrimonii auspiciis fuerit, in abdicandâ paternâ hæreditate. Brodeau *ad d. arr.* 17. *lit. b. vers. Mais l'on respondoit.* Barry
24 *d. n.* 3. *vers. Sic cum.* Ecquid si sola promisfio de renunciando intervenerit, quam actus ipse renunciationis subsecutus non sit? Et placuit multis promisfionem illam pro utili filiæ renunciatione accipiendam non esse, etiamsi illa, dote datâ, contentam se fore spoponderit. Igitur si pater paulo post, nullâdum secutâ renunciatione, superstitibus cum filiâ filiis masculis, intestatus decesserit, pronunciatum est, non nocere filiæ sponsalitiis tabulis factam reinuncationem, quominus, accepto familiæ ercifcundæ ar-

arbitro, ad hæreditariam portionem obtinendam jure ſuo, aut potius publico uti poſſit. Boër. *deciſ.* 3. *n.* 16. Charond. *liv.* 11. *reſp.* 87. Maynard. *lib.* 4. *deciſ.* 26. Papon *lib.* 16. *tit.* 4. *arr.* 12. Faber *d. tit. de pact. defin.* 25. D'Eſpeiſſes *d. tit. des ſucceſſ. n.* 79. Verum ſi rationem iſtius ſententiæ expendas, 25
animadvertere licebit, illam à Doctoribus in eo poni, quod promisſio de renunciando non ſtatim includat promisſionem de jurando, nec ipſa voluntas ſufficiat ejus qui excludi vult, ut excludatur, ſi non lex adjuvet eam voluntatem, quam porrò non adjuvat, niſi cum eam & expreſſam videt, & juratam. Quæ ſanè ratio reddi nequit illic, ubi, Civico ritu, vel injurata ſucceſſionis renunciatio firmitatem juris conſecuta eſt. Itaque inibi non malè affirmabimus ex eâ promiſſione filiam adigi poſſe ad faciendam renunciationem. *l. ſtipulatio iſta.* 38. *ff. de V. O.* imo hanc futuræ renunciationis conventionem tantundem operari, ac ſi renunciatio reapſe facta fuiſſet. Non enim hoc caſu opus eſt confugere ad præſtationem ejus quod intereſt, ſi promiſſis non ſteterit filia, eaque adimplere recuſet: ſiquidem intereſſe cæterorum liberorum in eo duntaxat verſatur, ne filia cum iis ſimul ad ſucceſſionem admittatur, id quod cum reali & præſentaneâ renunciatione planè convenit. Perinde ac evenit in pactis & legatis liberationis, in quibus quoque cum debitoris intereſſe ſemper ſit certum, nec aliud quicquam deſideret, quam debiti remisſionem, protinus vel ex die conventionis, vel mortis teſtatoris liberationem conſequitur debitor. *l. ſi creditoris* 17. *C. de fideic. l.* 3. *§.* 3. *l.* 7. *§. ult. l.* 22. *ff. de liber. leg. §. ſi quis* 14. *Inſt. de legat. l. intra* 41. *ff. de pact.* Jam autem fatendum eſt, patrem, qui à filiâ renunciationem futuram ſtipulatur, revera cæteris liberis ſtipulatum fuiſſe liberationem à diviſionis obligatione, quâ aliàs filiæ, tanquam patris cohæredi, in erciſcundâ familiâ obſtricti forent. Bald. *in d. l. pactum.* 3. *C. de Collat.* Covarr. *ad d. c. quamvis. rubr. n.* 5. Ferron. *ad cons. Burdeg. tit. de teſtam. §.* 13. *vers. Planè.* Acac. de Ripol. *var. reſol. cap.* 9. *n.* 115.

116. Barry *d. tit.* 25. *n.* 9. Kellenbentz *d. tract. quæst.* 8. Christin. *vol.* 1. *decis. Cur. Belg.* 279. *n.* 27. *& vol.* 4. *decis.* 28. *n.* 3. In quam rem judicata proferunt Molinæus *d. consil.* 55. *n.* 4. Charond. *sibi contrarius liv.* 4. *resp.* 88. Automne *sur Bourdeaux. art.* 66. *vers. Guillaume.* Boguet *d.* §. 6. *verb. Et fait, ou promis n.* 3. *& seqq.* Hect. Capyc. Latro *decis. Neap.* 3. *n.* 29.

26 Renunciationem hanc Bonifacius voluntariam requirit, non vi, vel dolo extortam. Renunciasse autem liberè præsumitur filia ex ipsâ dotalis instrumenti subscriptione, nec admittitur ad causandum reverentiæ paternæ metum, nisi minas vel verbera accessisse evidenter demonstret. *l.* 1. §. *quæ onerandæ. ff. quar. rer. act.* Natta *ad d. c. quamvis. n.* 65. 66. Aym. Public. *ad consuet. Arvern. tit* 12. *art.* 25. *n.* 16. Vasq. *d.* §. 18. *n.* 187. Gail 2. *observ.* 147. *n.* 15. *& seqq.* Charond. *d. verb. Fille, verb. Toutesfois.* Chenu *en ses notabl. quest. chap.* 22. *vers. quand au second.* Ann. Robert. *lib.* 2. *rer. judic. cap.* 4. *vers. Tantum abest.* Petr. Gregor. Tholosan. *lib.* 41. *syntagm. cap.* 14. *n.* 4. Dauth. *ad d. c. quamvis. n.* 100. Michalor. *de Fratrib. part.* 3. *cap.* 12. *n.* 81. *& seqq.* Automne *d. tract. art.* 67. *vers. Mais voicy.* Castill. Sotomaj. *d. cap.* 2. *n.* 70. Tulden. *ad d. tit. C. de inutil. stipul. n.* 12. Ruremundenses *d.* §. 1. *n.* 25.

27 Medium renunciandi est dotis datio, vel promissio, nullâ enim dote constitutâ renunciatio irrita est. Gail *d. observ.* 147. *n.* 13. Molin. *ad Alexand. vol.* 5. *consil.* 180. Gregor. Tholos. *d. lib.* 41. *cap.* 12. *n.* 7. Robert. *d. cap.* 4. *vers. Itaque non sine.* Chenu *au d. chap.* 22. *verb. Pour les: vers. Secundo.* Christin. *vol.* 1. *decis.* 279. *n.* 14. D. Espeisses *d. tit. n.* 82. Stockmans
28 *d. tract. cap.* 19. *n.* 1. Nec exigimus præcisè à patre filiam dotatam esse, sufficit vel avum dotem porrexisse: si enim avus, contemplatione patris, dotaverit, perinde est ac si pater dotasset. *l. profectitia.* 5. *in pr. ff. de jur. dot:* Favorabilis nempe hujusmodi mos exclusorius est, qui in marium liberorum utilitatem, fa-

familiæque per eos dignitatem tuendam, ac longius propagandam vergit. Ita Baldus *vol.* 1. *consil.* 30. *n.* 1. Argentr. *d. tit. des donations. art.* 224. *gl.* 2. *n.* 1. *& seqq.* Choppin. *ad. ll. And. lib.* 3. *tit.* 1. *de bon. hæred. delat. n.* 15. Quod & multorum constitutionibus speciatim cautum est: uti apud Burbonios *art.* 305. *verb. ayeul, & ibi Papon. in comm.* Pictones *art.* 220. *& ibi Petr. Rat.* Illi sanè audiendi non sunt, qui etiam nullo da- 29
to, vel promisso, renunciationem sustinent, quasi non ob accepta, sed propter maritationem, Sacramentique venerationem, quod sanctè servandum est, excludatur filia. Inter quos sunt Covarr. *ad. d. c. quamvis.* §. 2. *n.* 7. Gutierr. *ibid verb. ut dote contenta n.* 1. Dauth. *ibid. n.* 81. Vasq. *d.* §. 18. *n.* 131. Gomez. *ad. L. Taur.* 22. *n.* 7. *vers. contrarium.* Argentr. *d. art.* 224. *gl.* 4. *n.* 2. Kellenbentz *d. tract. quæst.* 42. *n.* 27. *& seqq.* Mev. *d. tit.* 1. *n.* 66. Zoes. *ad Pand. tit. de pact. n.* 38. Ete- 30
nim Bonifacius vim istam exclusoriam non constituit in solo jurejurando, verum in dote datâ, quam filia, consentiente sponso, accipit, futuræ hæreditatis vice, factâ promissione, se istâ dote contentam fore, in cujus Sigillum adjicitur Sacramenti vinculum. Itaque huic rei non rectè adaptaveris ea, quæ de vi ju- 31
risjurandi tradit Grotius, quod si quis, volens jurare, obligare se noluerit, non eo minus obligetur, quia obligatio à juramento est inseparabilis, & effectus ejus necessarius *d. cap.* 13. *n.* 2. Ea enim sententia tum vera est, ubi adest fundamentum obligan- 32
di, non ubi conditio tacitè quædam subest, vel quam ipsa negotii natura apertè indicat: Idem Grotius. *d. l. n.* 3. Fieri nam- 33
que non potest, ut contractus alioqui nullus confirmetur jurejurando, nisi juxta eas conditiones & formas quas lex ipsa præscribit, quæ prima induxit, ut jurisjurandi ea sit vis & potestas, ut filia renunciatrix acceptæ doti acquiescere debeat. Aliàs enim pactum illud non solum foret contra leges, sed etiam sine causâ: evidens autem est adversus agentem ex tali pactione dandam esse doli exceptionem, quæ jure competit, quoties agitur ex stipu-
 latio-

latione sine causâ interpositâ. *l. 2. §. 3. ff. de dol. mal. except. licet enim* (ut ait ibi Ulpianus) *eo tempore, quo stipulabatur, nihil dolo malo admiserit, tamen dicendum est, eum, cum litem contestatur, dolo facere, qui perseveret ex eâ stipulatione petere.* Quid, quod vel ipsa Bonifacii constitutio rejiciat jusjurandum vi vel dolo extortum? Quâ ratione videas, & illos Interpretes qui aliquid momenti in religionis vinculo constituerant, præsumpsisse dolo jusjurandum esse extortum, si enormissima læsio intervenerit. Quæ autem gravior læsio animo concipi potest, quam ubi nihil prorsus pater filiæ dederit? Quanto minus proderit jurisjurandi consideratio iis in locis, ubi vel omisso ejusdem vinculo valida est, super futurâ parentum successione, filiæ renunciatio, acceptâ vel promissâ dote factâ. Quodnam ergò inibi firmamentum renunciationis supponi potest abjectâ ab ista stipulatione jurisjurandi auctoritate? Prorsus
34 nullum. Nam quod Argentræus regerit, exclusionis causam in solo matrimonio esse, nec alio fini dotem esse repertam, quam ob matrimonium, in eò vehementer fallitur. Non enim dos tantum datur ad nuptias conciliandas, sed etiam ut mulier melius à marito habeatur, commodiusque matrimonii onera sustineri
35 possint. *uti demonstravimus suprà tract. 2. c. 1. n. 22.* Igitur redeundum erit ad nostrum principium, absque dote constitutâ, quæ hæreditariæ portionis loco cedit, renunciationem futuræ
36 successionis inutilem esse. Quæ cum ita sint, nequaquam assentiendum est iis, qui hoc casu renuncianti filiæ, solam dotis petitionem superesse docent, quasi ea separatam rationem à successione habeat. Inter quos Michalor. *d. cap.* 12. *n.* 87. Seraphin. *de juram. confirm. privil.* 21. *n.* 29. Castill. Sotomaj. *lib. 3. quotid. controv. cap.* 2. *n.* 69. Barry *d. tit.* 25. *n.* 2. Mev. *d. tit.* 1. *n.* 66. *&* 68. Tulden. *ad d. tit. C. de inutil. stipul. n.* 5. Cum contrà inutilis planè renunciatio filiæ illæsum reliquerit jus legitimarum hæreditatum, unà cum cæteris liberis erciscundarum. *Ita Doctores pro negante nostrâ sententiâ suprà adducti.*

De

De portione autem, vel quantitate dotis conſtituendæ multa 37
occurrit ſtatutorum, ſummorumque Tribunalium diſcrepantia. Apud Gallorum quoſdam, filiæ nobili ſufficit vel leviuſculum nuptiale munus, imò vel roſaceæ coronæ. *un chapeau de roſes*, ſiquidem pater filiam claro pariter natalibus ſponſo sociaverit: uti apud Andegavenſes §. 241. 242. Turonenſes *art.* 284. Cænomanos *art.* 258. Lodunenſes *art.* 26. *tit.* 27. Argentr. *d. tit. art.* 225. *gl.* 2. Coquille *en ſon inſtit. tit. des ſucceſſ. verſ. par aucunes à la fin:* Tronçon. *ſur Paris. art.* 310. *verb. accroiſt. verſ. ce que nous.* Præſumptum namque eſt officio ſuo ſa- 38
tis ſuperque defunctum eſſe patrem ergà filiam, cui virum probis moribus & facultatibus idoneis elegit. Neque enim fieri veroſimile poteſt, patrem ità malè affectum, ut velit generum ſibi adſciſcere pauperem, & minus idoneum, cum pietas paterni nominis conſilium pro liberis capiat. *l.* 22. §. *fin. ff. ad l. Jul. de adult.* Exin Platonicâ Nomotheſiâ pater nihil relinquere tene- 39
tur filiæ, quæ viro eſt deſponſata. *lib.* 11. *de Legib.* non aliâ ratione quam quia pater conſultò filiæ providiſſe creditur in quærendâ ei conditione, ac genero deſignando, ut dotis modicitatem lucrifaciat. Nec eſt quod gener quoque eâ de re conqueratur: ille enim viciſſim aut ſororum frater eſt, aut filiarum parens evadere poteſt, quas & ille ſimili commoditate, nullis, aut ſaltem moderatis ſumptibus, in matrimonio collocare, interimque integro & illibato patrimonio frui poterit. Et hoc eſt quod idem Plato ait. *lib.* 6. *de Legib. Æqualia pro æqualibus eſſe, cum dotium nomine pecuniam non accipimus, nec item damus.* In- 40
tereſt etiam quam maximè illuſtrium familiarum, ne dotium magnitudine domus exhauriantur, utque dote moderatâ fœminæ ad pudicitiam & obſequium virorum facilius cogantur: tum enim *mulieribus minor faſtus erit, minor & viris illiberalisque ſervitus.* Plato *d. loc. lib.* 6.: quibus namque dotes ampliſſimas dari videmus, neceſſe eſt viris turpiter imperare, & contra decus ac dignitatem viros uxoribus inſervire. *Inſolens malum eſt beata*

uxor:

uxor : omnes uxores divites servitutem exigunt, crede mihi volet in suis regnare divitiis. Seneca *lib.* 1. *controv.* 6. Id quod experimento edoctus erat Plautinus ille Demænetus *Asinar. sc.* 1. *act.* 1. dum conqueritur *Argentum accepi, dote imperium vendidi.* Imò ut semel pares esse cœperint, extemplo superiores erunt: uti Censorius Cato dicebat *in Orat. pro lege*
41 *Oppia.* Nec inepta est illa Bodini ratio, *quam tradit lib.* 5. *de Republ. cap.* 2. *p. m.* 836.*:* quod fœminæ ubique mares numero vincant, potissimum in mediis, & Australibus regionibus, ex quo, si ad æqualem portionem admitterentur, necesse foret familiarum jura violari, prædiaque gentilia distrahi. Idque Lacædemone evenisse refert Aristoteles, ubi tres agri partes ad fœminas pervenerant, cum masculi vix duas partes possiderent, ex eo factum est, inquit Philosophus, ut maritis imperarent. *lib.* 2. *Polit. cap.* 7. *& ibi Paraphrastes Doctiss. Dan. Heinsius.* Quam
42 autem idem Bodinus causam hujus rei subdit, quod in naturæ universitate rerum deteriorum major sit affluentia quam pretiosarum, in eo nollem ego cum muliercularum ingeniis conflictari.
43 Verùm ad rem. Ignobilis autem puellæ, futuræ successionis renunciationem non aliàs admittunt præfatæ consuetudines, quam si dotis quantitas arbitratu boni viri statuta sit, pro modo præsentium patris facultatum, ac dignitate futurorum conjugum. Choppin. *ad ll. And. lib.* 3. *tit.* 1. *de bon. hæred. delat. n.* 6. Ve-
44 rum uti Mornacius refert *ad d. l.* 36. *ff. famil. ercisc.* summum illud jus circa filias Nobiles, non usquequaque observatum fuit, cum enim parens nihil omnino in dotem dare vetatur, durissimum certè foret, vel solam rosarum corollam dotis loco cedere. Huc confer ea quæ tradit Zainson. *ad cons. Turonens. tit.*
45 *des success.* §. 26. *vers. Quæro quarto.* Ideoque aliis Gallorum constitutionibus improbantur renunciationes infra legitimæ partis modum factæ: quas recenset Choppin. *d. tit.* 1. *n.* 12. Cum enim Bonifacii præfata sanctio filiam renunciantem dote contentam esse jubet, congruam dotem intelligit, nec legitimam
tol-

tollit. Judicata vide apud Boër. *decis.* 3. *n.* 9. *& seqq.* *& decis.* 62. *n.* 15. Maynard. *lib.* 4. *decis. Tholos.* 20. Marant. *disp.* 10. *n.* 20. Gail *lib.* 2. *observ.* 147. *n.* 6. *& seqq.* Zainson. *d.* §. 26. *vers. pro parte contrariâ. lit. m.* Boguet *d.* §. 6. *verb. ne peut revenir. n.* 10. Barry *d. tit.* 25. *n.* 2. *in med.* Christin. *d. vol.* 1. *decis.* 279. *n.* 15. *& seqq.* *& vol.* 4. *decis.* 28. *n.* 1. Bus. *ad l.* 61. *n.* 10. *ff. de V. O.* A quo non abeunt illi qui tenent, omni huic renunciationi tacitam eam inesse conditionem, nisi renuncians immoderatè lædatur. Guid. Pap. *decis.* 519. Mornac. *ad. l.* 3. §. *sed utrum. ff. de minor.* *& ad d. l.* 36. *ff. fam. ercisc.* Rursus Gallorum alii, non præcisè dotem congruam ad 46
legitimæ modum componunt, contenti arbitrio judicis, vel boni viri. Molin. *d. consil.* 55. *n.* 10. Chassan. *d.* §. 12. *verb. ne retourne. n.* 22. Choppin. *d. tit.* 1. *n.* 11. Charond. *en ses Pand. liv.* 3. *chap.* 12. *vers. aussi à esté. p. m.* 448. *& liv.* 4. *chap.* 20. *vers. car le dot. p. m.* 564. *& liv.* 4. *resp.* 98. Robert. *d. cap.* 4. *vers. Sed in hoc nostro.* Automne *ad d. l.* 3. *C. de Collat.* Burbonii *art.* 305. *& ibi Papon. verb. ny supplement.* Pictones *art.* 220. *& ibi Rat. in comm. verb. donnent. n.* 1. Quod & Saxonibus placet. Carpzov. *d. constit.* 35. *de-* 47
fin. 5. Moller. *lib.* 3. *semestr. cap.* 39. *n.* 3. Ruremundenses quoque simpliciter ajunt. *Dat sy met het gene hun op hÿlick ge-* 48
geven wert, sich sullen moeten genuegen, en daer met uyt die versterfenisse van de alderlicke goederen geslooten sijn. *d.* §. 1. *n.* 21: quæ verba quin referenda sint ad arbitrium boni viri nullus dubito. Ita quoque exaudit Autumnus statutum Burdegalense, 49
quod *art.* 66. exigit, *que la fille soit dotëe avec terre & argent.* non sufficere nempe, si pater modicum argenti, vel terræ jugerum filiæ in dotem dederit, verùm æquitatis rationem in eo esse observandam. *In comm. ad d. art.* 66. *vers. Item si le pere.*

Quibus autem in locis exigitur, ut ad rationem legitimæ con- 50
stituta dos sit, ambigi solet, an auctis, post filiæ nuptias, paternis facultatibus, augenda quoque sit legitima hujus filiæ, vel, quod

idem est, an, in legitimæ modo, renunciationis, an verò paterni decessus tempus considerandum sit? Et quidem cum legitimæ æstimatio vulgo ineatur ex cumulo paternarum opum tempore mortis relictarum *l. scimus. 36. §. repletionem. C. de inoff. testam. l. in ratione. 11. l. in quantitate. 73. ff. ad L. Falcid.* inde nonnullis visum est, replendum esse illud quod deest ad eam quantitatem quæ mortis tempore ex bonis patris debetur. Chassan. *d. verb. ne retourne. n. 23.* Covarr. *ad d. c. quamvis. §. 4. n. 11.* Gutierrez *ibid. verb. à filiâ. n. 9.* Wames. *cent. 2. cons. Civ. 10. n. 8. 9.* Faber *d. tit. de pact. defin. 15. n. 18.* Zoesius *ad Pand. tit. de pact. n. 40.* Cum quibus videntur transire Belordeau *sur Bretagne art. 577. à la fin.* Barry *d. tit. 25. n. 37.* Quæ sententia & hac ratione adstruitur, quod renunciatio ante
51 mortem patris nullas vires habeat, ob conditionem istam, si quandoque legitima portio deferetur: unde fiet ut non prius renunciatio vires suas exerat, & demonstret, ad filiam excludendam, quam pater sit mortuus, quo demum instanti nascitur jus petendæ successionis, aut legitimæ portionis: illud igitur instans præcisè spectandum est in æstimandâ læsione, quo pater decessit, ac proinde ea ipsa quantitas patrimonii quæ tum fuit: tempus namque contractus illud intelligendum est, non in quo, sed in quod contractum est, id est, in quod collatus est effectus conventionis. *l. 4. C. de donat. ant. nupt. l. 62. ff. de hæred. instit.* Itaque perinde habetur hæc renunciatio, ac si non nisi primo post patris mortem instanti facta esset: proinde tempus mortis necessariò spectandum est, ut sciatur quid veniat in renunciationem, & quanta ex renunciatione læsio inducatur. Cumque ex eo appareat, filiam, quæ legitimæ renunciavit, hoc ipso quod de legitimâ locuta est, cogitasse non de iis tantum bonis, quæ pater tum habebat, sed de iis etiam quæ pater acquirere sibi poterat, in tempus usque mortis, quia nec prius de legitima quærendum erat, necessaria consecutio est, acquisitorum ex post facto bonorum rationem habendam esse in æstimandâ læsione, cum veniant in

renun-

renunciationem: nam, si non venirent, alia ratio, eaque evidentior, pro filiâ urgeret, quod ei nocere non posset renunciatio, quod ad ea bona, quibus non renunciasset: tritum enim est, actus agentium non ultra eorum intentionem operari debere. Ita Faber *de error. Pragm. decad.* 13. *err.* 5. Verius tamen est, 52
hoc casu diem conventionis, non mortis spectari debere: eo enim tempore renunciatio justa, validaque fuit: constitit namque tota ejus vis in dotis datione, cujus causa momentanea est, cum semel & simul dos constituenda sit: quæ autem ab initio utiliter constituta sunt, ex accidenti, supervenienti sc. bonorum auctario, rescindi, vel labefactari non possunt. *l.* 85. §. 1. *ff. de R. I. l. nec enim.* 2. *ff. de itin. act. priv.* Igitur hoc negotium non alterius considerationis est, quam fit in venditione spei, sive rei futuræ, in quà inspici non solet valor pretii, qui est existentis conditionis, sed qui tempore contractus est, quo pretium conventum numerari debet. *arg. l.* 10. *ff. de aur. & arg. legat. l.* 59. *ff. de V.O.* Itaque cum pactio, futurarum hæreditatum, propter dotem renunciatrix, ob bonum publicum sustentetur, utique factâ conventione dos tantum, non etiam successio debetur, quare pater promissioni suæ satisfecisse censendus est, si promissam dotem, quæ revera congrua fuit, genero adnumeraverit: solutione enim semel legitimè factâ omnis tollitur obligatio. Quî posset ergò postmodum de legitimâ altercari filia, cujus hæreditas nulla est, ut quæ ab ipsâ intestati successione, suâ voluntate, penitus est exclusa? Quid, nonne idem Faber *anteriori decade* 12. *err.* 5. postquam, in materiâ nostræ admodum affini, sibi 53
formasset hanc objectionem: *at contra leges est renunciatio, per quam fit ne successio, aut legitima portio, ex legibus suo tempore deferenda, unquam deferatur*, eandem objectionem his verbis diluit? *Mihi verò sententia hæc probari nunquam potuit. Postquam enim Pontificio jure inductum est, ut futuræ successionis renunciatio valeat, ejusque potestate filia, quæ renunciavit, ab omni successionis, præterquam testamentariæ,*

ſpe & commodo excludatur, planè non poſſum intelligere, quâ ratione fieri poſſit, ut ad legitimæ portionem admittatur, quæ ab ipſa inteſtati ſucceſſione penitus excluſa eſt. Repugnat enim juris ratio, quæ legitimam definit, portionem hæreditatis, aut partis hæreditariæ ab inteſtato contingentis. Neque ſanè defendi jure poteſt legitimam ullam deberi ei, cui ſuccedendi jus ab inteſtato nullum ſuperſit. l. poſthumus. in pr. & §. 1. ff. de inoff. teſtam. Ad illud autem quod pro aſſerendâ ſuâ, circa propoſitam quæſtionem, opinione Faber adduxerat, renunciationem ante mortem patris nullas vires habere ob conditionem, ſi quandoque legitima portio deferetur, ideoque illud inſtans in æſtimandâ læſione præciſè ſpectandum eſſe quo pater deceſſit, ac proinde eam ipſam quantitatem patrimonii quæ tum fuit; in hunc modum, eo loci ſibi ipſi reſpondet Faber. *Nec eſt quod objicias ex iis quæ diximus renunciationem illam futuræ ſucceſſionis habere tacitam conditionem, ſi ſucceſſio quandoque deferatur quia non poteſt fieri id poſſible, quod ſui natura eſt impoſſibile, cujuſmodi illud eſt, ut propter renunciationem excludatur quis ab acquiſitione hæreditatis, antequam ſit delata hæreditas. Ex quo inferre fortaſſe velis, ſicuti ex eâ renunciatione non impeditur delatio ſucceſſionis, ita neque impediri poſſe petitionem legitimæ, quæ ex totius ſucceſſionis comparatione certa conſtitui poteſt. Nam reſpondeo, rectam duntaxat fore conſecutionem, ſi ex eo quod renunciatio non impedit delationem ſucceſſionis, colligas, neque legitimæ delationem impediri, ſed, quemadmodum renunciatio impedit acquiſitionem ſucceſſionis, quia quo inſtanti defertur hæreditas, eo ipſo ſuccedit poteſtas renunciationis, quæ vires ſuas exerit, ut acquirendi facultatem auferat renuncianti. Arg. l. ſi ſtichum. 8. §. 5. ſi quis ita. & l. quoties. 14. ff. de novat. l. ſub conditione. 16. ff. de ſolut. Ita dico prorſus conſequens eſſe, ut eodem inſtanti, quo deferretur alioqui legitima, excludatur filia à legitimæ petitione, quia prius eſt ut quis capax ſit habendæ ab inteſtato ſucceſſionis,* quam

quam ut capax sit legitimæ consequendæ, aut certè in eodem temporis momento utrumque accidere necesse est, &c. Hæc Faber verè & invictè ad confirmandam nostram sententiam. Quæ 54
non tantum celebriorum Iurisprudentum suffragia meruit. Molin. *d. consil.* 55. *n.* 7. *& in not. ad Alexand. vol.* 5. *cons.* 180. *vers. tempore.* Everhard. *cons.* 96. *n.* 10. *& seqq.* Ferron. *ad Burdegal. tit. de testam.* §. 13. Vasq. *d.* §. 18. *n.* 103. Grass. §. *successio. quæst.* 11. *n.* 1. Choppin. *ad ll. And. d. tit.* 1. *n.* 10. Charond. *liv.* 5. *resp.* 44. Boguet *d.* §. 6. *verb. ne peut revenir.* Papon. *lib.* 16. *tit.* 4. *arr.* 1. *& arr.* 18. *vers. undecimus.* Petr. Gregor. *d. lib.* 41. *cap.* 12. *n.* 2. Cancer. *var. resol. lib* 3. *cap.* 15. *n.* 65. *& seqq.* Giurba *ad cons. Messan. cap.* 3. *gl.* 14. *n.* 3. *& seqq.* Bugnion *des loix abrogées liv.* 2. *sat.* 85. *& ibi. Libert. Francisc. Christin. in notis.* Autonine *sur Bourdeaux art.* 67. *vers. Nercam.* Ant. de Amato *part.* 1. *var. resol.* 23. *n.* 5. *& seqq.* Mev. *d. tit.* 1. *n.* 67. Perez. *ad d. tit. C. d. inoff. testam. n.* 30. Sed & multarum gentium Senatoriis decretis comproba- 55
ta est. Uti apud Burdegalenses. Boër. *d. decis.* 62. Neapolitanos. Thom. Grammat. *decis.* 57. Saxones. Carpzov. *d. const.* 35. *defin.* 4. Eapropter non placet eorum opinio, qui distinguunt, an 56
pater renunciationis tempore dotem congruam dederit, ut eo casu non sit attendenda posterior bonorum accessio: an verò tunc temporis aliquid defuerit congruenti doti, quo casu cum ad suppletionem deveniri debeat, eam esse faciendam ex universis singulisque parentum bonis, obitus tempore relictis. Ita Covarr. *ad d. c. quamvis.* §. 1. *n.* 3. *&* §. 4. *n.* 15. Gutierr. *ibid verb. a filia. n.* 12. Faber *d. tit. de pact. defin.* 21. *n.* 2. *& seqq.* Thessaur. *lib.* 2. *quæst. forens. cap.* 93. *n.* 4. Maynard. *lib.* 4. *decis.* 19. *n.* 4. Fontanell. *de pact. antenupt. claus.* 9. *gl. un. part.* 1. *n.* 18. *& seqq.* Barry *d. tit.* 25. *n.* 2. *in fin.* Etenim cum filiæ renunciatio puram promissionem habeat ejus, 57
quod postea filiæ, successionis jure, obvenire posset, vel non posset, evidens est, promissione hâc contineri, ut, si quandoque pa-
 terna

terna successio deferatur, nolit filia cum masculis concurrere, partemque facere: refutavimus enim modò erroneam istam quorundam sententiam, quasi ad pacti validitatem delatio hæreditatis præcisè foret necessaria: sufficit ergo delationis executionem impediri posse ex causâ retroagente, potestate nempe & vi conventionis, renunciationis tempore factæ; cujus instans idcirco solummodo spectandum est, in æstimando debitæ portionis auctario. Choppin. *d. n.* 10. Gomez *ad L. Taur.* 22. *n.* 4. Charond. *en ses memor. obs. verb. Fille, vers. si toutesfois.* Papon. *d. arr.* 1. *in not. & arr.* 18. *§. ult.* Dauth. *ad d. c. quamvis. n.* 11. Fachin. *lib.* 8. *contr.* 69. *vers. conclusum.* Fontanell. *d. tract. claus.* 11. *gl. un. part. un. n.* 18. *& multis seqq.* Ant. de Amato *d. resol.* 23. *n.* 3. Automne *ad d. art.* 67. *vers. avec serment.* Bouvot *en ses arrests, tom.* 1. *part.* 3. *verb. testament. quest.* 5. *vers. consequemment.* Castill. Sotomaj. *lib.* 3. *quot. jur. controv. cap.* 2. *n.* 43. *& seqq.* Tulden. *ad d. tit. C. de inut. stipul. n.* 5.
58 Quocirca & ex eo tempore currere incipiet præscriptio contra filiam, ejusve maritum, si postea dotem non congruam obtrusam obtendere velit. *arg. l. si voluntate.* 8. *C. de rescind. vend.* In quam rem judicata Cathalaunica proferunt Cancer. *d. cap.* 15. *n.* 71. 72. *& cap.* 21. *n.* 242. Fontanell. *d. gl. un. n.* 26. Dissi-
59 mulare tamen nolim, quorundam constitutionibus cautum esse, ut dos, pro legitima data, præcisè respondeat ei quantitati, quæ mortis tempore in bonis patris debeatur. uti apud Bituriges *tit. des successions. art.* 33. 34. *& ibi Labbe.* Nivernenses *d. art.* 24. *des droicts des gens. & ibi Coquille.*

60 Ex præcedentibus liquet, nec læsionem filiæ in dote data attendi posse, solâ incertitudinis ac dubii eventus consideratione: constat namque pactiones omnes quæcunque tam jacturæ quam lucri incertitudinem continent, firmissimo jure valere, nec ullo læsionis prætextu impugnari posse. *l.* 2. *l.* 8. *C. de rescind. vend. l. de fideicommisso.* 11. *C. de transact. l. si pater.* 12. *C. de inoff. testam.*

Quem-

Quemadmodnm enim post constitutæ dotis solutionem, accessio ad paternum patrimonium fieri potest, ita è contra multa contingere possunt, quæ paternas divitias & facultates, aut diminuant, aut in totum evertant. *Quæ sunt divitiæ, quas non egestas, & fames, & mendicitas, à tergo sequatur?* inquit Seneca *de tranquill. anim cap.* 12. *Ludit de suis Fortuna muneribus, & quæ dedit, aufert, & quæ abstulit, reddit.* idem Seneca *lib.* 5. *controv.* 1. Jam autem jure constitutum est, ut si post factam renunciationem facultatibus labatur parens, nihil omnino ejus, quod dotis nomine accepit, filia restituere necesse habeat. *l. ult. ff. de dot. Collat. l.* 4. *C. de Collat.* Itaque injustè petet filia id, cujus contrarium non sit postulatura. *l. pen. C. de solut.* Quapropter non ac- 61
cedo opinioni eorum, qui existimant, quod si nolit masculus uti favore renunciationis, videatque dotem sorori promissam, nondum tamen solutam, majorem esse, quam par sit, sibique præstare, fœminam ad successionem admitti, posse eum offerre jus æqualis successionis, beneficioque legis pro se introducto renunciare, eoque facto à dotis solutione sese liberare, utut à patre aut matre constitutæ. Ita Guil. Benedict. *d. repet. verb. duas habens filias. n.* 187. Papon. *ad cons. Burbon. art.* 305. *in princ.* Belordeau *sur les coust. de Bretagne, art.* 577. *vers. comme aussi le frere.* Contrà enim probavimus varium & an- 62
cipitem volubilium fortunarum flexum, post dotem constitutam, sive in augmento, sive in decremento facultatum, non amplius respicere filiam, ut ei à fratre, si patris hæres extiterit, ex conventione, dicta dos omnino solvi debeat. Alber. de Rosate *de statut. lib.* 2. *quæst* 102. *in fin.* Campeg. *de stat. exclud. fœmin. quæst.* 8. Chassan. *ad cons. Burg. rub.* 7. §. 12. *verb. ne retourne point. n.* 21. Surdus *de aliment. tit.* 2. *quæst.* 15. *n.* 68. *& seqq.* Pier Delommeau *en sa jurispr. Franc. liv.* 2. *art.* 241. *vers. Car si la succession.* Carpzov. *part.* 2. *const.* 42. *def.* 16. *n.* 2.

Superioribus omnino consequens est, denegari filiabus in in- 63

tegrum

tegrum restitutiones, quamlibet minores se annis, & supra modum circumscriptas esse obtendant. Everhard. *d. cons.* 96. *n.* 25. Gomez. *ad d. l. Taur.* 22. *n.* 15. *vers. secundo.* Argentr. *d. tit: des donations, art.* 225. *gl.* 4. *n.* 4. *& seqq. & n.* 11. Robert. *d. cap.* 4. *vers. sed in hoc nostro.* Choppin. *ad ll. And. d. tit.* 1. *n.* 11. *idem ad Paris. lib.* 2. *tit.* 5. *n.* 12. *in marg.* Charond. *liv.* 7. *resp.* 29. *& liv.* 9. *resp.* 39. *& en ses memor. obs. verb. Fille, vers. aussi pour la.* Mornac. *ad. d. tit. C. si adv. dot. vers. secundum.* Papon. *d. tit.* 4. *arr.* 3. *& arr.* 13. *& in append. arr.* 1. *&* 2. Delommeau *d. art.* 241. *vers. quand aux successions.* Tronçon *sur Paris art.* 310. *verb. accroist, vers ce quenous.* Barry *d. tit.* 25. *n.* 35. 36. Automne *sur Bourdeaux art* 66. *vers. Damoiselle & art.* 67. *in princ.* Castill. Sotomaj. *d. cap.* 2. *n.* 68.

64 Illud nihilominus verum est, hanc renunciationem non tollere alimentorum præstandorum necessitatem. Quanquam enim vulgo dici solet, dotem & legitimam cedere alimentorum loco, non tamen id fit nisi ex præcepto juris Civilis, alimenta verò debentur jure naturæ, cui nemo renunciat. *l.* 1. §. 3. *ff. de just. & jur.* & necare dicitur parens, qui alimenta non subministrat. *l.* 4. *ff. de agnosc. & alend.* Bald. *ad d. l. pactum. C. de collat. n.* 17. Gomez. *ad d. l.* 22. *n.* 12. *vers. similiter.* Natta *ad d. c. quamvis n.* 38. Gutierrez *ibid. verb. omnino servari. n.* 5. *& de juram. confirm. part.* 3. *cap.* 3. *n.* 7. Dauth. *ad idem cap. n.* 146. Ferron. *ad d. tit. des testaments.* §. 15. *verb. illud proditum est.* Surd. *d. tract. tit.* 8. *privil.* 56. *n.* 19. *& seqq. & tit.* 9. *quæst.* 15. *n.* 1. *& seqq.* Lud. de Molina *de Hispan. Primog. lib.* 2. *cap.* 15. *in fin.* Mev. *ad jus Lubec. part.* 2. *tit.* 1. *n.* 69. Zoes. *ad d. tit. Pand. de Pact. n.* 41. Doctissimè Grotius, *de jure Belli & pacis lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 4.

65 Tradidimus sæpius renunciandæ successionis medium esse dotis constitutionem. Ea gravari nequit ullis conditionibus, fideicommissis, vel aliis oneribus, quæ impedirent liberam filiæ de

de dote disponendi facultatem, uti enim dos legitimæ vice, ita & æris alieni loco est. *l. cum. ratio 7. ff. de bon. damnat.* quare ab eâ omnis conditio, vel alia dispositio quodcunque onus introducens, tollitur, quasi nihil eorum testamento additum sit. Inquit Justinianus *in l. quoniam in prioribus. 32. C. de inoff. testam.* Lex enim est, quæ sicut legitimam, ita & dotem tribuit, non dispositio patris: ergò qui satisfacit legis desiderio, propriæ liberalitatis beneficium non confert, quid enim est quod de suo dare videatur, qui quod dat omnino præstare debuit? In quem modum argumentatur Papinianus *in l. unum ex familiâ. 67. §. 1. ff. de legat. 2.* Guid. Pap. *decis. 613. & ibi P. Matthæ: in annot.* Wamez. *cent. 2. conf. Civil. 10. n. 5.* Coquille *sur Nivern. d. tit. des droicts des gens mar. art. 24. vers. Pour l'Effect.* Utcunque contrarium placeat Nattæ *ad d. c. quamvis. n. 244. & seqq.* adductis rationibus frigidiusculis, & quæ ex antedictis sponte suâ corruunt.

Illud jam monendi sumus, renunciationes has tum demum legitimas haberi, quoties futuræ & obventuræ parentum successioni filia tabulis nuptialibus renunciat: quod si de successione quæsitâ pactio ineatur, nulla est renunciatio: in futuris enim incertitudo multa est, in quæsitis nulla. Itaque hæc subdolè tentatur post apertam defuncti parentis opimam hæreditatem, in certum filiæ detrimentum. Et hoc est quod Ulpianus ait, *qui de viribus hæreditariis nondum certus, instrumentum transactionis interposuerit, sive per fallaciam cohæredis, ignorans universa, quæ in vero erant, non tam paciscitur, quam decipitur. l. qui cum. 9. §. 2. ff. de transact.* Vasq. *d. §. 18. n. 133. vers. Hæc intellige.* Papon. *ad consuet. Burbon. art. 305. verb. ayeul. in fin.* Choppin. *ad ll. And. d. tit. 1. n. 6. & 13.* Charond. *liv. 7. resp. 29. & liv. 8. resp. 64.* Robert. *d. cap. 4. vers. Renunciationes.* Bouvot *en ses arrests, tom. 1. verb. renonciation: quest. 1.* Brodeau sur Louet *lit. R. arr. 17. lit. C.* Delommeau *en sa jurisp. Franc. liv. 2. art. 241. vers. mais si les suc-* 66

cessions. Automne *add. l. 3. C. de Collat.* D'Espeisses *d. tit. n.* 84. Barry *d. tit.* 25. *n.* 33. Stockmans *d. cap.* 18. *n.* 8. *vers. manet.* Id quod speciatim cautum est statuto Andegavensi *art.* 241. Pictaviensi *art.* 220. 221. *& ibi Rat. in comm.*

67 Fac ergò filiam uno eodemque matrimonii contractu, & matris defunctæ hæreditati, & obventuræ vivi patris successioni, acceptâ certâ dotis summâ, renunciasse. Hoc casu intererit, an pretium in singulas hæreditates distributum; an verò, unico dotis pretio, binis hæreditatibus renunciatum sit. Distributum in singulas hæreditates pretium intelligimus, cum filia acceptis mille adjicit, quingentos aureos pro maternâ hæreditate, alteros quingentos pro paternâ successione. Priori casu, præfati fundamenti fiduciâ, dicendum est, respectu maternæ hæreditatis, quæ jam tum obvenerat, & ipso nuptiarum tempore certa erat, nullam esse, & rescindendam eam renunciationem; validam autem, respectu paternæ successionis, quam futuram, dubiamque abnuit filia, præsenti dote contenta. Altero autem casu, quo renunciatio facta est, unico tantùm & confuso pretio, quanquam prætendi posset, valere eam quoque, non minus quam si separatim in singulas hæreditates pretium constitutum esset, eo quod, cum partes dictæ non sunt, æquales censeantur. *l. si non* 29. *ff. pro soc.*: atque ita dimidiâ in maternam distributâ, altera pars in paternam hæreditatem intelligenda sit. Judicatum tamen non semel est, hoc casu etiam paternæ hæreditatis renunciationem intercidere. Cum enim, confusâ utriusque successionis repudiatione, sciri non possit, an promissi illi mille aurei, vel soli maternæ hæreditati delatæ æquivaluerint, nihil adhucdum reperitur ex suo promisisse pater, quo filiam suam à futurâ suâ successione summoveret. Renunciationem autem nisi aliquo dato, vel accepto, irritam esse, demonstratum est suprà. Ita prolatis rerum judicatarum exemplis. Robert. *d. cap.* 4. *vers. quin & in hac.* Charond. *liv.* 9. *resp.* 39. Delommeau *aud. art.* 241. *vers. jugè par divers arrests.* Mastrill. *decis. Regn. Sicil.* 186. *n.* 10.

n. 10. *& seqq.* Valla *de reb. dub. tract.* 19. *n.* 6. Sainson. *ad cons. Turonens. tit. des success.* §. 26. *verb. Fille noble, vers. sed quid erit.* Faber *ad tit C. de dot. promiss. defin.* 7. *n.* 13. *& seqq.* Peleus *en ses act. forens. liv.* 7. *chap.* 11. Papon. *d. tit.* 4. *arr.* 13. Automne *ad d. art.* 67. *in pr. & art.* 71. *vers. marie.* Fontanell. *d. gl. un. part. un. n.* 5. 12. Barry *d. tit.* 25. *n.* 16. D'Espeisses *d. tit. des success. n.* 84. Etenim in hâc 68
juris sanctione *Filia, quæ acceptâ dote futuræ paternæ successioni renunciavit, patri non succedito.* non intelligitur ea, quam dotarit pater ex ipsâ filiæ maternâ bonorum substantiâ, vel aliâ quâ adventitiâ. *Dotandi* siquidem verbum, jus denotat, non simplicem actum, aut nudum ministerium: juxta Ulpiani sententiam *in l. si mater.* 34. *l. si res.* 51. *ff. de jur. dot.* Jason *ad l. quoniam Novella. C. de inoff. testam.* Alexand. *vol.* 7. *consil.* 169. Chassan. *d.* §. 12. *verb. par lesdicts pere. n.* 2. Ferron. *ad consuet. Burdeg. d. tit. des testaments.* §. 13. *vers. sed enim limitandum.* Papon. *ad Burbon. art.* 305. *verb. & appanëe, in fin. idem in arrest. d. tit.* 4. *arr.* 18. *vers. decimus.* Choppin. *ad ll. And. d. tit.* 1. *n.* 12. *vers. Patrii.* Petr. Gregor. *d. lib.* 41. *cap.* 12. *n.* 8. Boguet *ad cons. Burgund. tit.* 3. §. 5. *verb. de pere. n.* 3. Automne *aud. trait. art.* 68. *à princ.* Dauth. *ad d. c. quamvis. n.* 93. Kellenbentz *d. tract. quæst.* 29. Fontanell. *d. gl. un. n.* 9. *& seqq.* Castill. Sotomaj. *d. cap.* 2. *n.* 48.
Hinc quoque Senatus Parisiensis judicio rescissa est filiæ renun- 69
ciatio, paternorum bonorum & fraternorum, quæ illi, tum patris, fratrumque quorundam certæ hæredi per fideicommissum futuræ, adimi non potuerant. Choppin. *d. n.* 12. *vers. Senatus.* Consentiunt Hottoman. *consil.* 15. *per tot.* Dauth. *ad d. c. quamvis. n.* 161. Kellenbentz *d. tract. quæst.* 30. Fontanell. *d. gl. un. n.* 43. *& seqq. & n.* 79.

Oportet quoque hanc dotem non solum cautam, promissam- 70
que, sed etiam ante obitum paternum verè adnumeratam esse, aliàs filia erit admittenda, perinde ac si nulla renunciatio intervenerit.

nerit. Ita Chassan. *d.* §. 12. *verb. vivans ses pere, & mere. & verb. & à laquelle. n.* 1. *& seqq.* Choppin. *ad Paris. d. tit.* 5. *n.* 12. *vers. Ast si puella.* Delommeau *d. art.* 241. *& seqq. vers. Mais à ce.* Giurba *observ. decis.* 28. *n.* 4. Ruremundenses *d.* §. 1. *n.* 26.
71 Adeò ut hæreditatis renunciatio, dote in diem paternæ mortis pactâ, viribus non subsistat. Reipublicæ enim interest, mulieres dotari præsenti pecuniâ, solidumque consequi, quo maturius nubant, ac liberis civitas repleatur. *l.* 1. *ff. sol. matrim. l. interest.* 18. *ff. de reb. auctor. jud. poss.* Dos itidem filiæ alimentis destinatur à quibus subducenda mora omnis atque cunctatio: quanto minus ergo dos, cujus numeratio in diem paterni obitus rejicitur, efficax fuerit ad puellæ renunciationem firmandam, stabiliendamque? quamdiu enim pendet dotis conditio, dotata filia non dicitur. *l.* 1. §. *sub conditione. ff. de collat. dot.* Itaque perinde est, nullam dotem pro dubiâ futuræ hæreditatis spe esse cautam, vel in tempus certæ, nuncque delatæ hæreditatis esse collatam. *arg. l. cætera.* 41. §. *tractari.* 2. *ff. de legat.* 1. quâ ratione, nihil morante præfato pacto de condictâ æris summâ patre mortuo pensitandâ, filiam in sua successionum jura revocarunt Conscripti Patres apud Choppin. *ad ll. And. d. tit.* 1. *n.* 15. Charond. *en ses memor. observ. verb. Fille, vers. pour ceste cause.* Peleum *en ses act. forens. liv.* 7. *chap.* 11. Hinc de
72 eâ facti specie quæsitum est. Filia in contractu matrimonii successioni patris, tum vivi, renunciavit. Pater paulo post, nuptiis nondum celebratis, neque dote solutâ decessit, obstabitne illa renunciatio, quo minus ea filia ad hæreditatem paternam admitti debeat? Proponit dubitanter, sed non definit hanc quæstionem Louetius *d. lit. R. arr.* 18. Negativæ sententiæ hæc suffragatur ratio, quod post renunciationem non amplius res sit integra, conventioque sola efficere videatur, ut renunciatrici filiæ non sit dandus regressus: quam opinionem tuentur Natta *ad d. cap. quamvis. n.* 203. Molin. *sur les coust. d'Auvergne. chap.* 12. §. 37. *verb. fille fiancée.* Choppin. *ad Paris. d. tit.* 5. *n.* 12.
in

in marg. Barry *d. tit.* 25. *n.* 43. Plurimorum tamen calculis 73
placuit, nihil facere renunciationem, quo minus filia ad paterna bona admittatur. Tabulæ enim nuptiales ad tempus consummati matrimonii referri debent, ipso autem nuptiarum & consummati matrimonii tempore delata jam erat, & acquisita patris successio: deferendas verò solummodo, non quæsitas hæreditates continere posse renunciationem, traditum suprà est. Pro hâc sententiâ stant Molinæus *sibi contrarius*, *sur les coust. de Burbon. chap.* 25. *art.* 305. *& in annot. ad Alexand. vol.* 3. *consil.* 13. *lit. h.* Robert. *d. cap.* 4. *vers. Hinc quæsitum est.* Mornac. *ad l.* 3. *§. sed utrum in fin. ff. de minor. & ad d. tit. C. si advers. dot. vers. Quarto.* Brodeau *sur Louet d. arr.* 18. *à pr.* Delommeau *aud. art.* 241. *vers. la seconde.* D'Espeisses *d. tit. des success. n.* 48. *à pr.* Quod & apud Arvernos constitutum est *chap.* 12. *des successions. art.* 37. Verum non displicet aliorum distinctio, ut si matrimo- 74
nium secutum sit, renunciatio firma maneat, cum pater satisfecerit officio suo, quæsitâ filiæ matrimonii conditione, & constitutâ dote, licet ejus solutionem præverterit præmatura & repentina patris mors. Si verò sponsus nuptiis nuncium miserit, vel si alio quo casu per jus accidat, ne nubat filia, redeat ea ad legitimarum hæreditatum jura, perinde ac si nulla renunciatio intervenerit. Argentr. *ad cons. Brittan. art.* 224. *gl.* 4. *n.* 3. *& gl.* 7. *n.* 4. Automn. *ad Burdeg. art.* 66. *vers. mais si le pere.* Ex hisce
ferè liquet, quid respondendum sit ad eam quæstionem quæ est 75
de dote promissâ, non tamen præstituto tempore solutâ. Si disertis verbis exclusoria filiæ stipulatio concepta sit, hâc conditione, ut ni ad præstitutum diem solvatur pecunia dotalis, renunciatio futuræ successionis irrita sit, resque redacta in eum statum, quo foret citrà renunciationem, eo casu certè non solutâ ad diem dote, illæsa manebunt filiæ legitimarum successionum jura, nec enim ista tam conditio est, quam conventio. *l.* 2. *l.* 38. *ff. de O. & A.* Fontanell. *d. gl. un. n.* 83. Grivell. *decis.* 59.
Stockmans *d. tract. cap.* 20. *n.* 1. 2. Magis ambigitur ubi 76

 sim

ſimpliciter in certum diem dos promiſſa eſt. Pro renuntiatione urget Juſtiniani reſcriptum *in l. ult. C. ad Leg. Falcid.* quod pollicitationem ſolutioni adæquat, ut eadem promiſſæ dotis ratio ſit, quæ ſolutæ; cum certa utrobique dos maneat, promiſſa in pretium hæreditatis omittendæ, ideoque idem dicendum videtur, ſi non accepit, ſed promiſſa ſit pecunia: uti aptè loquitur Ulpianus *in l. 24. ff. de acq. vel omitt. hæred.* Moræ enim non hic effectus eſt, ut contractum reſcindat, vel alteri protinus concedat facultatem ab eo reſiliendi; cum adverſus moras nectentem competat actio ad perficiendum contractum, non ad reſolvendum. *l. 14. C. de reſcind. vend.* Quare benignius erit, ut etiam poſt tempus condictum moræ purgationem admittamus, re adhuc integrâ. *l. 73. §. 2. ff. de V. O.* Stockmans *d. cap. 19. n. 6.*

77 Dixi, *re adhuc integrâ*, ſi enim in morâ manſerit pater ad mortis uſque tempus, fruſtrà erit dotis promiſſæ oblatio, poſtquam jam delata fuerit ſucceſſio, nihil namque tum datum vel acceptum invenitur, quod hæreditatis acquiſitionem impedire
78 poſſit: *uti crebrius placuit, & dictum ſuprà n. 66.* Quanquam, ſi rem ipſam penitius introſpicere velimus, vix à verò aberrabit, quisquis affirmaverit etiam hæredibus pactionem illam profuturam. Continet enim hæc pactio commodum pecuniarium, quæ ex ſui naturâ ad hæredes tranſitoria eſt. *l. ex contractibus. 49. ff. de O. & A. l. 1. & tot. tit. C. de hæred. act.* quod eo magis materiæ noſtræ adaptabimus, ubi parens per renunciationem, non tam ſibi proſpicit, quam quidem cæteris liberis, quibus poſt mortem ſuam renunciationis iſtius commodum acquiſitum voluit. Et quid refert an pecunia dotalis adnumeretur, an verò filia fidem patri de pretio habuerit, neque jus ſuum eo vivente proſecuta fuerit, quod in ejus arbitrio poteſtateque fuit? Utique qui actionem habet, rem ipſam habere intelligitur. *l. 15. ff. de R. I. l. 52. ff. de acq. rer. dom. l. 143. ff. de V. S.* Chaſſan. *d. §. 12. verb. conſtituer.* Boguet *d. tr. tit. 3. §. 6. verb. moyennent. n. 3.* Petr. Gregor. *d. lib. 41. cap. 12. n. 4. 5.* Kellenb. *d. tract.*

tract. quæst. 10. Id quod exertè constitutum est apud Burbonios *art.* 310. *verb. s'il veulent payer la dot. a elle constituëe, ou le reste d'icelle. & ibi Papon. in comment. idem ad art.* 305. *verb. & appanëe.* Burdegalenses *art.* 68. *& ibi Automne. Ferron, qui art. ei est.* §. 15. *tit. de testament.* Quin imo & 79
ea dotata dicitur, ut à successione excludatur, cujus dotem maritus acceptam tulit, non tamen solutam, cum ad eum periculum dotis perinde pertineat, ac si pecuniam dotalem receperit. *text. in l. vir ab eo. ff. de jur. dot.* Papon. *d. verb. & appanëe. vers. Addam his.* De quo nos ubertim suprà *tract.* 2. *cap.* 3. *de Damn. Comm. n.* 111. *& seqq.* Cui ferè conse- 80
quenter videas Lutetianos Patres non ante renunciatricem filiam in jura legitimarum hæreditatum revocare, quam postquam hæredibus patris terminum ad promissam dotem solvendam præstituerint frustrà. Judicatum in eam rem profert Brodeau *sur Louet d. arr.* 18. *in fin.:* quod certè fieri nequiret, si, non solutâ dote promissâ, statim cum morte patris renunciatio illius successionis penitus evanuisset.

Renunciatio hæc simpliciter facta intelligitur duntaxat in 81
rem, gratiamque marium liberorum, quorum favore leges municipales pactitiam filiarum renunciationem paternæ hæreditatis sanxerunt, ut familiæ opes & dignitatem masculis potissimum, quamdiu supersunt, pararent. Chassan. *d.* §. 12. *in pr. n.* 6. *& seqq. & in verb. ne retourne. n.* 33. *in fin.* Covarr. *d.* §. 3. *n.* 4. *vers. quinto.* Choppin. *ad ll. And. d. tit.* 1. *n.* 6. Coquille *sur Nivernois. d. art.* 24. *vers. la portion. & en ses quest. & resp. chap.* 128. Petr. Gregor. *d. lib.* 41. *cap.* 11. *n.* 3. Faber *d. tit. de pact. def.* 7. *n.* 10. *& def.* 22. *n.* 1. Automne *sur Bourdeaux, art.* 71. *à pr.* Kellenb. *d. tract. quæst.* 39. *n.* 18. D'Espeisses *d. tit. des successions n.* 70. *Columnæ enim domuum sunt filii masculi.* Euripidæo versu *in Iphigenia Taurica.* Quin imò si vel renunciatio simpliciter in commodum patris 82
concepta sit, intelligitur tamen facta in favorem liberorum marium

rium post patris obitum. Sola enim destinatio voluntatis sufficere potest, ut ei quoque qui nominatus non est, pacti commodum acquiratur. *l. tale.* 40. *§. ult. ff. de pact.* Bertrand. *vol.* 4. *part.* 1. *consil.* 328. Alexand. *vol.* 3. *consil.* 29. *n.* 9. Faber *d. defin.* 7. *n.* 12. Gregor. *d. lib.* 41. *cap.* 17. *n.* 3. Charond. *en ses resol. des quest. part.* 4. *tit.* 13. *vers. par plusjeurs.* Coquille *d. art.* 24. *vers. s'il ny a. verb. Car. exclusion. & vers. la portion. verb. Imo. & en ses quest chap.* 128. *vers. &*
83 *si advient.* Perez. *ad tit. Cod. de pact. n.* 21. Dummodò pater, renunciationis tempore, mares quoque liberos habuerit, si enim tum temporis solas filias susceperit, renunciantis sorores, nulla ratio facit, cur non & in filiarum gratiam renunciatio facta intelligatur. Covarr. *d. §.* 3. *n.* 5. *vers. Illud vero. & n.* 6. *vers. sexto.* Boguet *d. §.* 6. *verb. ne peut revenir. n.* 19. 20. Et in hanc partem judicatum refert Delommeau *aud. art.* 241.
84 *vers. Toutesfois.* Quanquam non desunt, qui universim renunciatricis portionem omnibus cæteris fratribus & sororibus ex æquo accrescere docent. Vasq. *d. §.* 18. *n.* 115. Covarr. *d. §.* 3. *n.* 7. *vers. octavo.* Id quod & Senatoriis decretis confirmatum est apud Paponium. *d. tit.* 4. *in append. arr. ult.* Grivell. *decis.* 120.

85 Ex eo quod diximus in gratiam & commodum liberorum marium intelligi factam esse filiæ renunciationem, sequitur omnium eorum partibus ex æquo renunciatricis portionem accedere, absque ullo primogenituræ jure. Deficiens enim hæreditatis portio reliquis accrescit, nedum uni. *l.* 1. *C. quand. non pet. part. l. un. §.* 2. *C. de Caduc. toll.* Choppin. *ad ll. And. d. tit.* 1. *n.* 4. *&* 16. Charond. *sur Paris, art.* 27. *vers. ce qui est portè. p. m.* 31. Brodeau *sur Louet d. lit. R. arr.* 17. *a la fin.* Buridan. *sur Vermandois, art.* 88. *vers. duquel arrest.* Id quod speciatim cautum est statuto Parisiensi. *art.* 310. *& ibi Tronçon in comm. verb. sans aucune.*

86 Proximè dictis consequens est, non purè exclusam filiam esse

pacto

pacto convento, sed in pendenti, donec mares extiterint, extinctis enim iis quorum gratiâ renunciavit, intestatò repetit justas parentum hæreditates, & cum cæteris sororibus, quæ tempore excessus paterni supererunt, æqualiter succedit. Bald. *ad d. l. pactum quod dotali.* Alexand. *d. cons.* 29. *n.* 9. *lit. c. & ibi Molin. in addit.* Menoch. *tom.* 7. *cons.* 607. *n.* 4. Natta *ad d. c. quamvis. n.* 58. 59. Covarr. *ibid.* §. 3. *n.* 4. 5. Ferron. *d. tit. de testament.* §. 15. *vers. An statuto. &* §. 16. *vers. Præterea.* Boër. *ad cons. Bitur. tit. des testam.* §. 6. *vers. & nota. lit. x.* Labbè *ad easd. consuet. tit. des successions.* 19. *art.* 33. *verb. au profit.* Faber *dd. ll. & ad tit. C. de pact. conv. defin.* 12. Ferrer. *ad Guid. Pap. decis.* 192. Michalor. *de fratrib. part.* 3. *cap.* 12. *n.* 73. *& seqq.* Andreol. *controv. forens. cap.* 232. *n.* 10. Casp. Baëzia *de non melior. rat. dot. fil. cap.* 10. *n.* 6. Fontanell. *d. tract. claus.* 9. *gl. un. part.* 1. *n.* 75. Kellenb. *d. tract. quæst.* 39. *n.* 1. 2. Tulden. *ad d. tit. C. de inut. stipul. n.* 10. *vers. unde etiam.* Ita tamen restituitur filia in hæreditatum jura, 87
ut, sublatis quidem è medio masculis omnibus, futuras hæreditates cernat, non autem præteritas, & jam ante delatas. Molin. *sur les coust. de Bourgogne* §. 72. *& sur Anjou.* §. 245. Choppin. *ad Paris. d. tit.* 5. *n.* 12. *vers. verum.* In quam rem extat Arvernorum statutum. *chap.* 12. *des success. art.* 26. *& ibi Aym. Public. in comm.* Itidem si filia in commodum fratris natu maxi- 88
mi renunciavit, extincto eo, admittetur ad successionem, unà cum reliquis fratribus & sororibus, conferendo id quod dotis nomine accepit, cum mortuo eo in cujus favorem renunciatio facta est, evanuerit, nullasque amplius vires in aliorum personis habere renunciatio possit. Boër. *decis.* 104. *n.* 9. Vasq. *d.* §. 18. *n.* 146. Grassus *d.* §. *successio. quæst.* 10. *n.* 11. 12. Gutierr. *ad d.* §. *quamvis. à pr. n.* 7. Faber *ad Cod. d. defin.* 22. *vers. Itaque.* Zoesius *ad d. tit. Pand. de pact. n.* 50. D'Espeisses *d. n.* 70. *vers. & si la renonciation.* Tantundem dicen- 89
dum est, si ille frater, in cujus gratiam renunciatio facta est, fuerit

rit exhæredatus, aut ſuccedere noluerit, yel non potuerit. Molin. *d. conſil.* 55. *n.* 6. Boër. *d. deciſ.* 104. *n.* 13. Seraphin. *de juram. confirm. privil.* 21. *n.* 33. Surdus *de aliment. tit.* 2. *quæſt.* 15. *n.* 91. *& ſeqq.* Dauth. *ad d. c. quamvis. n.* 117. Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 279. *n.* 28. Zoeſ. *ad d. tit. n.* 51. Exin
90 & illud affirmandum eſt, ſi hic frater deceſſerit, poſtquam ſororis portionem hæreditariam, renunciationis poteſtate, acquiſiverit, ſublato tum per ejus mortem vinculo & impedimento renunciationis, poſſe hanc filiam renunciatricem, collatione dotis factâ, reclamare ſolam, eam portionem, à quâ in gratiam ſolius ſenioris fratris pacto excluſa erat. ***In omnibus enim cauſis, ubi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente eâ, beneficium quoque deficit.*** *l.* 68. *ff. de R. I.* quod ergo illius perſonæ præſtaretur, hoc nequaquam ad alios pertinere debet: inquit JC.tus Marcellus *in l. cum patronus.* 28. *ff. de legat.* 2. *l. pen ff. de ſerv. leg.* Coquille *d. art.* 24. *verſ. tant qu'il y aura, & en ſes queſt. & reſp. chap.* 126. *poſt Bart. & Socin alleg.* Quanto magis hæc
91 ſoror in iſtâ portione præferetur Fiſco, ſi propter delictum fratris bona publicari contigerit. Coquille *d. art.* 24. *verſ. la queſtion.* D'Eſpeiſſes *d. tit. des ſucceſſions. n.* 69. Quod tamen
92 ità accipi velim, ſi portio ſororia à fratre percepta adhuc extet: ſi enim eandem bonâ fide alienaſſet, crediderim alienationem tenere. *arg. l. his ſolis.* 7. *C. de revoc. donat.* Delommeau *aud. art.* 241. *à pr.* Kellenb. *d. tract. quæſt.* 23. *per tot.* Cæterùm
93 ſi frater eam portionem teſtamento legaverit alii, potior erit cauſa ſororis, rem ſuam perſequentis. *arg. l. vivus.* 9. *ff. ſi quid in fraud. patron.*: effectus enim legati excurreret in illud tempus quo per obitum fratris, jus ad portionem excluſoriam ſorori jam erat acquiſitum, cum ipſo mortis momento incipiat dominium ab eo diſcedere. *l.* 51. *ff. de uſufr.* Gomez. *ad d. l. Taur.* 22. *n.* 11. Boër. *ad conſuet. Bitur. tit.* 11. *de teſtam.* §. 6. *verſ. Et nota, lit. b.* Ferron. *ad Burdegal. eod. tit.* 16. *verſ. Idem eſſet ſi extraneus, &* §. 18. *verſ. lateque diſputatum.* Surdus
de

de aliment. tit. 2. quæst. 15. *n.* 91. Coquille *d. art.* 24. *vers. ce qui s'entend. & d. chap.* 126. *vers. mais bien croy.* Idem est si 94
frater eandem portionem, vel quod exinde reliquum est, inter vivos cuidam donaverit, cum nulla probabilis meritorum causa subesset. *d. l.* 9. *& l.* 1. *§. si pluribus.* 11. *ff. eod. tit.* Coquille *d. vers. ce qui s'entend. & d. quest.* 126. *vers. antant me semble.*
Quod si eandem vendiderit vili pretio, hoc casu, cum doli suspi- 95
cio subsit, concedetur sorori actio ad justum rei venditæ pretium. Etenim cum frater jus vendendi habuerit, non omnimodò venditio rescindi, verum in re distractâ conditio emptori deferri debet, utrum malit rem emptam habere justo pretio, an verò à re discedere recepto pretio, maximè cum de dolo ejus non disputetur, sed de dolo venditoris. Verba sunt JC.ti Ulpiani, *in d. l.* 1. *§. si quis in fraudem.* 12. *ff. eod. tit.* Coquille *d. art.* 24. *vers. ou bien. & d. chap.* 126. *vers. ou bien.* Quinimo
si vel contractu inter vivos frater alienasset, sine ullâ fraudis su- 96
spicione, appareat autem ex temporis propinquitate, vel alio argumento, de pretio rerum venditarum alias eum comparasse, quod inde comparatum est, vice permutati dominii cedet, cum non absumptum videatur, quod in corpus patrimonii versum est: quâ ratiocinatione utitur JCtus Papinianus, in materiâ non multum dissimili. *in l. Imperator.* 70. *§. ult. & l. seq. ff. de legat.* 2. *l. si pater.* 23. *ff. de adimend. leg.* Coquille *d. art.* 24. *vers. comme aussi, & d. chap.* 126. *vers. Mais si selon.*
Itidem si, cum frater bonâ fide alienasset, rerum venditarum pre- 97
tia nondum soluta sint, æquum erit, ut pretia, loco corporum, sorori addicamus, cum quæ vendidit nondum diminuisse videatur. *arg. d. §. ult. l.* 70. *ff. de leg.* 2. Coquille *d. art.* 24. *vers. ou bien. & d. chap.* 126. *à la fin.*

Ut autem filius, in cujus gratiam renunciatio facta est, ad ex- 98
clusoriam sororis portionem admittatur, requirimus ut ille hæres sit stipulantis patris. Nam portio, quæ ad filiam erat perventura, intelligitur deficere, & in hæreditate manere, mortuo quando-

cunque patre. Proinde cum hæreditati, & successioni universali accreverit, non aliàs in personam fratris confluere potest, quam si hæres patris extiterit. Aym. Public. *ad consuet. Arvern. tit.* 12. *art.* 25. *n.* 29. Chassan. *d.* §. 12. *verb. tant qu'il y a fils. n.* 2. *vers. Intellige.* Boguet *ad easd. consuet.* §. 6. *verb. tandis qu'il y aura. n.* 2. Coquille *d. art.* 24. *vers. Pour l'effect.* Faber *de error. Pragm. decad.* 12. *err.* 8. *n.* 11. *& err.* 9. *n.* 3.
99 Quâ ratione & illud dicendum est, in fideicommissum venire eam quoque portionem, quasi hæreditariam, si filius à patre institutus, hæreditatem post mortem suam restituere rogatus sit: id enim omne videtur rogatus reddere quod aliquando fuit hæreditatis. *l. in fideicommissariâ.* 18. *vers. quoties. ff. ad SC. Trebell.* Faber *d. err.* 9. *n.* 4. *idem ad Cod. d. tit. de pact. def.* 28. Fontanell. *d. claus.* 9. *gl. un. part.* 2. *n.* 38. Ferrer. *in annot. ad Guid. Pap. decis.* 295. *in fin. & decis.* 599. Nisi frater hæres
100 ipse post mortem patris dotem de suo solverit sorori, aut in ejus solius favorem pater stipulatus sit filiæ renunciationem: his enim duobus casibus, hæredi, non hæreditati acquiritur portio filiæ, ideoque nec in fideicommissum venit: uti judicatum refert Faber *d. defin.* 28. *n.* 3. *in not.* Consentit Coquille *d. art.* 24. *verb. s'il ny à. sur la fin. & en ses quest. & respons. chap.* 129. *vers. car si le fils.*

101 Ponamus filiam in gratiam omnium liberorum renunciasse; fato functis omnibus ante patrem, restituitur ea suis legibus adeundæ parentum hæreditatis. Covarr. *d.* §. 3. *n.* 8. *vers. decimo.* Marant. *in specul. disp.* 10. *n.* 29. Argentr. *d. art.* 224. *gl.* 7. *n.* 10. Gomez. *ad d. l.* 22. *n.* 11. Seraphin. *d. tract. privil.* 21. *n.* 24. *& ibi Benekend. in not. n.* 27. Brodeau *ad d. arr.* 17. *vers. Que les Docteurs.* D'Espeisses *d. tit. des success. n.* 70. Mev. *d. tit.* 1. *n.* 81. 82. Ruremundenses *d.* §. 1.
102 *n.* 23. Non enim verosimile est, patrem, qui filiam adegit ad renunciandum, ei tam malè affectum fuisse, ut eandem vel aliis cognatis postpositam voluerit. Covarr. *d.* §. 3. *n.* 6. *vers. quartò*

Vasq.

Vasq. *d.* §. 18. *n.* 118. Gomez. *ad d. L. Taur.* 22. *n.* 10. *in fin.* Charond. *liv.* 13. *resp.* 96. Faber *ad d. tit. Cod. defin.* 24. *n.* 3. Cancer. *lib.* 3. *var. resol. cap.* 15. *n.* 17. *& mult. seqq.* D'Espeisses *d. l.* Si verò pater istius renunciationis commodum 103
pro se suisque successoribus quibuscunque stipulatus sit, jam nullus præsumptioni locus relinquitur, nec proinde dubitationi, quin non solum pro filiabus sicut & masculis, sed etiam pro extraneis hæredibus stipulatus videatur, cum hæredum appellatione etiam extranei contineantur. *l.* 11. *Cod. de hæred. instit.* Chassan. *d.* §. 12. *verb. ou enfans masles. n.* 9. 10. Faber *d. defin.* 22. *vers. Sed si.* Automne *sur Brodeaux art.* 71. *in fin. primæ period.* Kellenb. *d. tract. quæst.* 39. *per tot.* D'Espeisses *d. tit. n.* 71. *vers. quarto.*

Quod diximus filiam, quæ in commodum marium libero- 104
rum renunciavit, extinctis iis rursus admitti ad successionem, id intelligendum est, dummodo illi absque liberis decesserint. *l. justa.* 201. *l. liberorum.* 220. *ff. de V. S. l. Lucius.* §. *fin. de hæred. instit.* Nam per liberos idem familiæ splendor, dignitasque conservatur, cujus initium in eorum parentibus constituerat dotalis pactio : quæ propterea & liberis proderit. Ferron. *ad d. tit. de testament.* §. 16. *vers. Illud dubitatum est.* Kellenb. *d. quæst.* 39. *n.* 4. *& seqq.* Mev. *d. part.* 2. *tit.* 1. *n.* 81. Ruremundenses *d.* §. 1. *n.* 23. Inde quæsitum est, utrum filia, quæ re- 105
nunciavit, quousque supervixerit aliquis masculus, ad successionem sit revocanda, si masculus ille solam filiam reliquit? Videtur cessare causa prærogativæ masculi ad fœminam, si neptis tantum extet. Causa enim sola, eaque perpetua fuit, nominis, domus, & familiæ conservatio, quæ nisi per masculum fieri non potest. *l.* 1. §. *si hæres. ff. de ventr. inspic.* Fœmina namque id præstare nequit, cum ejus posteritas non suam, sed mariti conditionem & familiam sequatur, *& soror ex sententia Labeonis dicta sit, quasi seorsim nascatur, separeturque ab eâ domo, in quâ nata est, & in aliam familiam transgrediatur.* Aul. Gell.

 lib. 13.

lib. 13. *noct. Attic. cap.* 10. Ita Marant. *d. disp.* 10. *n.* 17. *&* 27. Ferron. *d. tit. de testam.* §. 14. *vers. responsum est.* Automne *ad d. art.* 67. *vers. A fin.* Gregor. *d. lib.* 41. *cap.* 17. *n.* 5. Berault *sur Normand. art.* 258. *vers. autre arrest.* Godefroy *au mesme art. verb. le pere. à la fin.* Kellenbentz *d. tract. quæst.* 19. *per tot.* Burgundi *tit. des successions.* §. 12. *& ibi Chassan. verb. ou enfans masles. n.* 2. *& seqq.* Frequentius
106 tamen isti sententiæ acclamatum est, quæ affirmat sufficere eo casu relictam esse à masculo filiam. Bartol. *in l. ult.* §. 1. *ff. ad SC. Tertull.* Natta *ad d. c. quamvis. n.* 182. *& seqq.* Charond. *en ses resol. des quest. part.* 3. *tit.* 12. *vers. j'ay monstrè.* Mornac. *ad d. l.* 36. *ff. famil. ercisc. in fin.* Id quod definitum est Nivernensi constitutione *d. art.* 24. Arverniâ *chap.* 12. *art.* 25. 26. *& ibi Aym. Public. n.* 31. Burboniâ *art.* 305. *& ibi Papon. verb. au descendant.* Aurelianensi §. 321. *& ibi Duret.* Fortè propter lineæ agnatorum favorem, qui valuit etiam in fœminis, contra cognationis masculos. *l.* 14. *C. de legit. hæred.* §. *item vetustas.* 16. *Inst. de hæred. quæ ab intest.* ideo exclusâ fœminâ in consequentiam excluduntur omnes ex eâ descendentes, quia alienam familiam subingressi sunt. *dd. ll.*
107 Observandum quoque est, quoties primogenito obvenit renunciatricis sororis hæreditaria portio, illud oneris ei imponi, ut in eam partem imputare, vel alias de suo in medium conferre cogatur, datam, nuptiarum tempore, sorori dotem. *l. filiam.* 7. *l. seq. C. de Collat.* Succedit enim in jus sororis, surrogatione per renunciationem abnutivam factâ, atque ita in divisione hæreditatis cum cohæredibus, partem sororis secernit, & sibi seponit: quocircà non alio jure, sororis portio penes primogenitum esse debet, quam quo fuisset penes ipsam filiam, si non renunciasset. Argentr. *d. tit. art.* 225. *gl.* 3. *n.* 4. Choppin. *ad ll. And. d. tit.* 1. *n.* 9. *vers. Uni itaque.* Coquille *en son instit. au droict. Franc. tit. des successions. vers. Par aucunes. & en ses quest. & resp. chap.* 128. *verb. Et comme les freres.* Charond. *en ses*

ses Pand. liv. 3. *chap.* 12. *p. m.* 449. *à la fin.* Maynard. *lib.* 4. *decis.* 24. *n.* 2. Quod & sancitum est apud Arvernos *aud chap.* 12. *art.* 31.

Hæc filiæ renunciatio futuræ paternæ successionis, non exclu- 108
dit eandem ab hæreditatibus fratrum, sororumque, post mortem patris delatis, etiamsi eorum relicta solum constiterint in bonis, quæ ex patris successione ad eos devenerant: mutatione enim personæ desierunt esse paterna bona. *l.* 90. *ff. de acq. vel omitt. hæred. l. fin. in pr. ff. de legat.* 3. Strictissimè quoque præfata renunciatio interpretanda est; ut non comprehendat jus, quod ex novâ causâ supervenit, ideoque paternæ hæreditatis renunciatio ad fraternam extendi nequit. Covarr. *d.* §. 3. *n.* 2. Chassan. *d.* §. 12. *verb. & n'entend-on point.* Menoch. *tom.* 4. *consil.* 335. *& tom.* 9. *cons.* 848. *n.* 15. Gomez. *ad L. Taur.* 22. *n.* 13. Gutierr. *ad d. cap. verb. omnino servari. n.* 7. 8. Vasq. *d.* §. 18. *n.* 176. Aym. Public. *ad d. art.* 25. *n.* 33. Grassus *d.* §. *successio. quæst.* 10. *n.* 16. *&* §. *hæreditas, quæst.* 2. *n.* 3. Baëzia *tract. de non melior. rat. dot. filiab. cap.* 12. *n.* 24. Charond. *liv.* 5. *resp.* 59. Gail 2. *obs.* 148. *n.* 12. Faber *de err. Pragm. decad.* 14. *err.* 3. *& ad Cod. tit. de pact. conv. def.* 12. *n.* 4. *& seqq.* Hartm. Pistor. *part.* 4. *quæst.* 8. *per tot.* Wames. *cent.* 5. *cons. Civ.* 47. *n.* 9. 10. *& cent.* 6. *cons.* 99. *n.* 6. Gratian. *tom.* 4. *discept. forens.* 685. *n.* 1. *& seqq.* - Delommeau *d. art.* 241. *vers. Nostre coustume.* Fontanell. *d. claus.* 9. *gl. un. part.* 1. *n* 76. Michalor. *d. cap.* 12. *n.* 99. Barry *d. tit.* 25. *n.* 18. Gregor. *d. cap.* 17. *n.* 9. Carpzov. *d. const.* 35. *def.* 15. Tulden. *ad d. tit. C. de inut. stip. n* 7. Zoes. *d. tit. de pact. n.* 52. D'Espeisses *d. tit. n.* 74. Ruremundenses *d.* §. 1. *n.* 27. Quidam tamen brevem illam juris immutationem 109
non attendunt, paternæque hæreditatis renunciatione etiam includunt collateralium successiones, quæ intra repræsentationis gradum obvenire possent, non solum respectu bonorum paternorum, sed aliorum quorumcunque, aliunde quæsitorum. Burbonii

bonii *d. art.* 305. *& ibi Papon. verb. ny venir à succession collaterale.* Pictavienſes *art.* 221. *& ibi Rat. verb. & est entendu. n.* 2. Burdegalenſes *art.* 71. *& ibi Automne. à pr.* Ferron. *d. tit. des testaments.* §. 18. Quid ergo ſi filia, eodem matrimonii
110 contractu, non paternæ tantum, ſed & fraternæ ſororiæque futuræ ſucceſſioni renunciaverit? Non deſunt, qui putant hanc fratrum, ſororumque hæreditatum renunciationem inutilem eſſe; intuitu enim conſtitutæ dotis ſtabilitur ea renunciatio: cum itaque hæc filia nihil dotis à fratribus ſororibusque accepit, vana fruſtratoriaque manet illarum hæreditatum abdicatio, quaſi ſine cauſâ interpoſita. Papon. *d. tit.* 4. *arr.* 10. Boguet *d. tit.* 3. §. 8. *n.* 1. Fontanell. *d. gl. un. part.* 1. *n.* 7. Barry *d. tit.* 25. *n.* 16. Maynard. *lib.* 4. *deciſ.* 21. Caſtill. Sotomaj. *lib.* 3. *quotid. contr. cap.* 2. *n.* 85. Mev. *d. tit.* 1. *n.* 79. Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ. Cur. Belg.* 279. *n.* 21. D'Eſpeiſſes *d. tit. des ſucceſſ. n.* 82. Confer Argentr. *d. art.* 224. *gl.* 2. *n.* 7. Contra-
111 riæ tamen partis ſententia mihi magis placet, renunciationem hanc fraternæ ſucceſſionis, paternâ ſtipulatione, licet abſente fratre, nec tantillum dotis nomine erogante, contractam tenere, quoad ea poſſeſſionum genera, quæ à patre & ex paternâ ſubſtantiâ ad fratres devolverentur. *arg. l. ſi is qui.* 6. *ff. de vulg. & pupill*: propterea quod permittendum ſit patri, ut, quam vult, legem dicat doti à ſe conſtitutæ. *l.* 7. *ff. de pact. dotal.* qui nec niſi optimum pro filia, liberiſque omnibus conſilium capere velle cenſendus eſt. *l. ult. C. de curat. furios. l. pen.* §. 1. *ff. de rit. nupt.* Valla *de reb. dub. tract.* 19. *n.* 1. Faber *ad d. tit. C. de pact. defin.* 9. *&* 26. Choppin. *ad ll. And. d. tit.* 1. *n.* 11. *vers. huic enim.* Charond. *liv.* 5. *reſp.* 8. *verſ. Et à eſtè jugè. & en ſes memor. obſ. verb. Fille, vers. Et qui plus eſt.* Delommeau *aud. art.* 241. *verſ. Toutesfois.* Cui ſuccinunt mores Arvernorum *tit.* 12. *art.* 25. *& ibi Aym. Publicius.* Ruremundenſium *d. n.* 27.

112 Ex eo quod diximus fœmineam hanc paternæ hæreditatis renun-

nunciationem non excludere filiam ab iis bonis quæ non ex ipsâ patris successione, sed ob novam causam obveniunt, & illud dicendum est, non summoveri filiam à proprietate, quam parens transitu ad secundas nuptias amittit, hanc enim filia non successionis jure, sed legis beneficio lucrifacit. Covarr. *d.* §. 1. *n.* 1. Imbert. *in Enchir. verb. Filia quæ paternæ.* Baëzia *de non melior. dot. rat. filiab. cap.* 10. *n.* 73. Charond. *en ses memor. observ. verb. Fille, vers. ce qui revient.* Faber *ad C. tit. de secund. nupt. def.* 15. *vers. hinc fit. idem de error. Pragm. decad.* 14. *error* 3. *n.* 11. Delommeau *aud art.* 241. *vers. La troisieme.* Maynard. *lib.* 4. *decis.* 22. Petr. Gregor. *d. cap.* 17. *n.* 12. Kellenbentz *d. tract. quæst.* 32. Barry *de success. lib.* 18. *tit.* 1. *n.* 14. *& quos citavimus in comment. nostro ad Novell. const. Ultraj. art.* 11. *n.* 112.

Huic loco non inconvenienter intertexuero quæstionem quæ 113
de feudo est, contineatur illud, nec ne, generali filiæ renunciatione futuræ hæreditatis paternæ? Et non contineri tradunt Grammat. *decis.* 10. *n.* 10. Covarr. *d.* §. 3. *n.* 9. *vers. decimo octavo.* Chassan. *d.* §. 12. *verb. ne retourne. n.* 9. Rosenthal *de feud. cap.* 9. *concl.* 13. *n.* 15. Dauth. *ad d. c. quamvis. n.* 147. Kellenbentz *d. tract. quæst.* 26. *n.* 5. *& seqq.* Faber *d. error.* 3. *n.* 12. Christin. *vol.* 1. *decis. Cur. Belg.* 238. *n.* 3. eo quod bona feudalia non omninò sunt paterna. Verius tamen 114
est, etiam à feudalibus fœminam renunciatricem arceri, cum & hæc sub hæreditate contineantur, ferèque redacta sint adinstar cæterorum bonorum patrimonialium: imò major ratio facit, ut à feudis fœminæ repellantur, quam à reliquis patrimonialibus, cum feuda antiquitus constituta sint masculis, in clientelare beneficium, & ad expedienda servitia militaria, eaque præcipuè faciant ad splendorem dignitatemque familiæ, cui tuendæ inducta, & sustentata est, contra communis juris regulas, renunciationis istius virtus, & potentia. Ita prolato judicato Charond. *liv.* 4. *resp.* 17. Everhard. *cons.* 146. *n.* 3. Papon. *d. tit.* 4. *arr.* 4.

Boguet *d. §. 6. verb. tandis qu'il y aura enfans masles. n. 16.* Id quod nostris hominibus eo magis placeat, quorum moribus
115 filius, vel filia, repudiato allodio, feudum retinere nequit. Fred. à Sande *de feud. Gelr. tract. 2. cap. 2. §. 5. n. 4.* Jo: à Sande *lib. 4. tit. 9. defin. 2.* Neostad. *de feud. Holland. successſ. cap. 6. n. 5.* Bort *de feud. cap. 12. quæst. 6.* Groenew. *ad tit. Feud. an agn. vel fil.* D. Ant. Matthæus *parœm. 8. n. 30.* Transisu-
116 lani *lantr. lib. 2. cap. 25. art. 26.* Quis verò probare posset eorum acumen, qui docent non contineri renunciatione feudum, si renunciatum sit hæreditati, at si bonis paternis, tum contineri. Inter quos sunt Sainson. *ad consuet. Turon. tit. des successſ. de fiefs. §. 26. verb. fille noble, fere in fin. & verb. Est forclose.* Choppin. *de sacr. Polit. lib. 3. cap. 7. n. 15.* Seraphin. *d. pri-*
117 *vil. 21. n. 35.* Barry *d. tit. 25. n. 23.* Cum contra potius, vel ex ipsâ adversariorum doctrinâ, dicendum foret, plus continere hæreditatis renunciationem, quam bonorum, eo quod, secundum illos, bonorum appellatione feuda comprehendi non possint, cum paterna non sint: hæreditas autem sit nomen juris omnis, quod defunctus tempore mortis habuit.

118 Renunciationem hanc, congruâ dote acceptâ, statim firmitatem juris nactam, eâque filiam à reliquâ hæreditate exclusam esse, diximus sæpè. Quapropter nec filiæ hujus refert, quid pater postea de rebus suis egerit, vel disposuerit; cum enim ei nec legitima debeatur, utique nec impugnare testamentum patris ex causâ præteritionis, nec inofficiosi querelam movere potest; evidens namque est, ubi nulla successio, ibi necessariam non esse institutionem, cum jus impugnandi testamentum ex jure succedendi oriatur. *l. pater filium. 14. ff. de inoffic. testam. l. 1. §. 1. & pen. l. 4. §. 1. ff. de bon. possesſ. contr. tab.* Chassan. *d. §. 12. verb. ne retourne point.* Guid. Pap. *decisſ. 598.* Vasq. *d. §. 18. n. 111. & 112.* Gomez. *ad L. Taur. 22. n. 9.* Papon. *d. tit. 4. arr. 7. & arr. 18. versſ. tertius. idem ad consuet. Burbon. art. 305. verb. ny supplement.* Forster. *lib. 1. de successſ. cap. 34. n. 4. & seqq.*

ſeqq. & lib. 7. cap. 4. concl. 4. n. 17. & ſeqq. Boguet *d.* §. 6. *verb. à leurdite ſucceſſion. n.* 5. Petr. Gregor. *d. lib.* 41. *cap.* 11. *n.* 4. *& cap.* 16. *n.* 4. Automne *ſur Bourdeaux, art.* 67. *verſ. Nercam.* Cancer. *var. reſol. lib.* 3. *cap.* 15. *n.* 6. Fachin. *lib.* 8. *controv.* 71. *vers. Sedcum.* Kellenb. *d. tract. quæſt.* 1. *n.* 21. *& ſeqq.* Deckher. *lib.* 2. *diſſert.* 11. *n.* 41. *verſ. Quartus.* Mev. *ad jus Lub. d. part.* 2. *tit.* 1. *n.* 65. *& art.* 8. *n.* 23. Buſius *ad l.* 6. *ff. de inoff. teſtam.* §. 1. Perez. *ad tit. Cod. de liber. præter. n.* 5. Cum hâc quoque ſententiâ tranſit Faber *ad d. tit. C. de pact. def.* 8. *n.* 2. *& def.* 14. *n.* 20. *& de error. Pragm. decad.* 13. *err.* 1. Cæterum quod idem Faber tradit, hanc præteritionem, utut 119
ipſi filiæ nullum lucrum adferre poſſit, prodeſſe tamen fratribus in patris quidem teſtamento inſtitutis, ſed ex diſparibus portionibus, vel ſi extraneus, aut agnatus remotior cohæres ſcriptus eſt, ut ex perſonâ filiæ teſtamentum nullum dicere poſſint, in eo inſigniter fallitur. Verum cum inſtitutum noſtrum potiſſimum ſit, tractare jura filiarum renunciatricum, non quæ cæteri liberi, occaſione iſtius renunciationis, ex perſonis earum, prætendere poſſint, non immorabimur hoc loco ipſius ſententiæ refutandæ.

Illud jam affirmandum eſt, non obſtare hanc renunciationem, 120
quo minus pater renunciatricem filiam, teſtamento poſtea confecto, ad legitimarum ſucceſſionum jura, unà cum cæteris liberis, revocare, vel, alio recentiori judicio, eandem renunciationem filiæ ſuæ remittere poſſit. Non tam enim de maſculorum, quam de patris favore potiſſimum agitur, qui filiam ad renunciandum adegit, & ſi pater id egerit maximè, ut maſculis ſuis proſpiceret, intelligitur tamen id feciſſe quaſi ſuis futuris hæredibus, & à ſe cauſam habituris. Nec enim filiam poſt renunciationem pejori jure cenſere poſſis, quam quemlibet extraneum, quem certè pater cohæredem ſcribere, & liberis maſculis miſcere poſſet. Menoch. *lib.* 1. *conſil.* 6. *n.* 20. Surdus *conſil.* 244. Michalor. *d. cap.* 12. *n.* 78. *in fin.* Barry *d. tit.* 25. *n.* 28.

 Cum-

Cumque patri liceat ea quæ pleno jure hæredis sunt, testatò in alios transferre. *l. unum ex familia. 67. §. si rem. ff. de legat. 2.* multò magis ei id licebit in iis, in quibus successionis saltem spes liberis maribus affulget: facilius enim jus alteri quærendum, quam jam acquisitum tollitur. *facit l. qui autem. 6. in pr. ff. quæ in fraud. cred.* Quapropter pater, etiam invitis masculis, filiam capacem reddere potest successionis legitimæ, perinde ac si nunquam renunciasset, nam quod masculi habent ex pacto & providentiâ patris, illud ipsum potest pater iis pro arbitrio auferre, quasi iis destinatum verius, quam acquisitum. *l. patronus 33. in fin. ff. de bon. libert.* Alias enim foret, ut per filiæ renunciationem adimeretur libera testandi facultas patri; Quid autem absurdius, quam si quis dicat, stipulatorem, qui, renunciationem urgendo, id egit, ut liberiorem haberet testandi facultatem, hoc ipso minus liberam habere, & prohiberi, ne filiam, quæ renunciavit, possit instituere, si hoc malit? Nec est quod prætendant fratres deteriorem suam fieri conditionem, per illud patris judicium: quoties enim ad jus, quod lex naturæ ejus tribuit, actio redit, non fit causa rei deterior, sed formæ suæ redditur, inquit JCtus Paulus *in l. 27. §. pactus. 2. ff. de pact.* Guid. Pap. *decis.* 599. Boër. *ad consf. Bitur. tit.* 11. *de testam. §. 6. vers. per quæ dico.* Covarr. *ad rubr. d. c. quamvis. n.* 10. Vasq. *d. §. 18. n. 138. & seqq. & n.* 182. Gomez. *ad d. l. Taur. 22. n. 10. vers. secundo & melius.* Choppin. *de morib. Paris. lib. 2. tit. 4. n. 8. & de priv. rustic. lib. 3. part. 3. cap. 7. de ult. volunt. n.* 1. Charond. *liv. 5. resp. 44. vers. mais l'autre. & en ses memor. observ. verb. Fille. vers. mais le pere.* Coquille *sur Nivern. d. art. 24. vers. s'il ny a convenance, & en son instit. tit. des success. vers. par aucunes, & en ses quest. & resp. chap.* 129. Delommeau *d. art. 241. vers. mais si en faisant.* Faber *ad d. tit. C. de pact. def. 23. n. 1. & def. 27. n. 5. & de error. Pragm. decad. 14. err. 4. n.* 1. 2. Wames. *cent. 5. cons. Civ. 36. n.* 10. 11. Louet *en ses arrests. lit. R. arr. 9. & ibi Brodeau*

in not. Cancer. *d. cap.* 15. *n.* 36. Maynard. *lib.* 4. *decis.* 20. *n.* 2. Mynsing. 2. *obs.* 7. Gail 2. *obs.* 148. *n.* 11. Gratian. *tom.* 3. *discept. forens.* 565. *n.* 60. *& seqq.* Gregor. *d. cap.* 17. *n.* 7. Papon. *d. tit.* 4. *arr.* 18. *vers. octavus.* Mev. *d. tit.* 1. *n.* 71. *& seqq.* Christin. *vol.* 1. *decis.* 279. *n.* 19. *& vol.* 4. *decis.* 28. *n.* 2. Tulden. *ad tit. C. de inut. stipul. n.* 8. Zoes. *ad d. tit. de pact. n.* 48. Id quod speciatim statutum est apud Burgundos *tit. des successions.* §. 12. *& ibi Chaßan.* Pictones *art.* 221. *& ibi Rat.* Bituriges *d. tit. des success. act.* 35. *& ibi Labbe.* Burdegalenses *art.* 66. 67. *& ibi Ferron. & Automne.* Ecquid si filia expressim unà cum legitimâ etiam testamentariæ successioni renunciaverit? Sunt, qui docent hoc casu testamenti commodum per filiam illi acquiri, in cujus gratiam renunciatum est. Afflict. *decis.* 350. *n.* 12. Casp. Ant. Thessaur. *lib.* 1. *quæst. forens. cap.* 95. *n.* 3. 9. 10. 15. Niger Cyriac. *tom.* 2. *controv.* 351. *n.* 21. 121
Ex superioribus tamen planum est, hoc quoque casu ipsi filiæ testamenti commodum acquiri. Pater enim est qui filiam suam in eum modum à successione suâ excluserat. Pater rursus est, qui, pœnitentiâ ductus, eandem suam filiam ad hæreditatem revocat. Quî ergo ei in cujus favorem renunciatum primo erat, institutionis commodum acquireretur, adversus quem potissimum paterna testamenti factio tetendit, ne sororiam portionem lucrifaceret? Utique si eidem eandem portionem ex priori illâ voluntate cedere voluisset, commodiori nullâ viâ id efficere potuisset, quam citra testamentum, quando renunciationis potestate sororia portio continuo defluxisset in eum, in cujus gratiam renunciatum erat. Postquam igitur pater ultimo suo elogio renunciatricem suam filiam institutione suâ honoravit, vinculis omnibus remissis, ac solutis, admittetur ea ad illam portionem, ad quam testamento paterno vocata reperitur. Et in hanc sententiam frequentius itum est. Natta *ad c. cap. quamvis. n.* 21. 22. Chassan. *d.* §. 12. *verb. sans titre d'hoirie, in fin.* Grassus §. *successio. quæst.* 10. *n.* 9. Menoch. *tom.* 9. *cons.* 806. *n.* 12. Vasq *d.* §. 18. 122

 n. 144.

n. 144. *vers. prædicta.* Hartm. Pistor. *d. quæst.* 6. *n.* 38. *& seqq.* Gutierrez. *ad d. cap. quamvis. verb. omnino servari. n.* 12. Boguet *d.* §. 6. *verb. si par lesdicts pere. n.* 1. Bouvot *en ses arrests, tom.* 1. *part.* 2. *verb. renonciation, quest.* 1. Cancer. *d. cap.* 15. *n.* 37. Kellenbentz *d. tract. quæst.* 31. *n.* 4. *& seqq.* Barry *d. tit.* 25. *n.* 31. Mevius *d. tit.* 1. *n.* 75.

123 De eo quæsitum est. Pater qui filiam suam à paternorum fraternorumque bonorum successione per renunciationem excluserat, testamento suo filium masculum hæredem scripsit, huicque, si quandoque sine liberis decederet, filias substituit, fratre absque prole mortuo, admittetur, nec ne, filia renunciatrix unà cum cæteris filiabus ad hæreditatem fratris? Et placuit admitti. Nam sicut futuræ successionis renunciatio non excludit renunciantem à petitione ejus quod testamento relictum est, ita illud interpretationem accipit ab ejusdem patris voluntate, ut videatur noluisse plus juris habere filias, quæ non renunciaverunt, quam eam quæ renunciavit: cum omnes filias absque ullâ renunciationis mentione vel consideratione, simul per fideicommissum ad successionem vocaverit. Ita Faber *d. tit. C. de pact. defin.* 23.

124 Barry *d. tit.* 25. *n.* 18. Quin imò ex eâ ipsâ patris ordinatione, credendus est voluisse, ut filius eos sibi ab intestato hæredes eligeret, quos lex ei daret, patrisque votum, sive expressâ, sive tacitâ institutione subsequeretur, id est sive testatus decederet, sive intestatus. Itaque universim, & in omnem fratris hæreditatem, unà cum cæteris, hæc filia renunciatrix admittetur ex æquo, nullâ habitâ legitimæ vel Trebellianicæ consideratione. Etsi enim jus fideicommissi non impedit jus successionis intestati, ut quæ separatam causam habeat, *l. cohæredi.* 41. §. *cum filiæ. ff. de vulg & pupill. l. sequens.* 68. *ff. de legat.* 2. Tamen ex fideicommisso colligitur, patris voluntatem illam fuisse, ut filiæ omnes ex æquo admitterentur, eo quod simul vocatæ sunt. *l. omnia.* 32. §. *in fideicommisso. ff. de legat.* 2. Faber *d. defin.* 23. *n.* 4. *& seq. & def.* 27. *n.* 6. *& seqq.*

Dixi-

Diximus ſupra, patrem poſſe filiam ſuam ad ſucceſſionis jura 125
revocare, *teſtamento*, vel *alio recentiori judicio*; Sola namque voluntas patris eſt, quæ filiam pacto ſuo excluſit, quem ſi poſtea prioris voluntatis pœniteat, quolibet actu inter vivos declarato, quaſi obice remoto, filiæ ſua ſuccedendi jura reſtituuntur. *l. ult. C. de pact.* Habent enim omnes iſtæ renunciationes tacitam illam conditionem, ſi is, in cujus favorem renunciatum eſt, perſeveret in eâdem voluntate: cum nemo cogatur uti jure ſibi quæſito. *l. pactum.* 46. *ff. de pact. l. pen. C. eod. l.* 28. *ff. de minor.* Molin. *ſur. les couſt. de Blois. art.* 139. Petr. Rat. *ad cons. Pictav. art.* 221. *verſ. toutesfois, verſ. ex quo fit.* Menoch. conſil. 6. *n.* 4. Covarr. *ad d. rub. n.* 9. 11. Gutierr. *ad d. cap. in pr. n.* 3. Argentr. *d. art.* 224. *gl.* 6. *in fin.* & *art.* 225. *gl.* 4. *n.* 13. Coquille *d. art.* 24. *verſ. je ne diray*, & *en ſes queſt. chap.* 129. *verſ. par ces raiſons.* Buridan. *ſur Vermand. art.* 75. *vers. Chopin.* Boguet *d.* §. 6. *verb.* & *qui à renoncè.* Faber *ad tit. C. de pact. conv. def.* 10. *n.* 7. Barry *d. tit.* 25. *n.* 30. Dauth. *ad d. cap. quamvis. n.* 42. D'Eſpeiſſes *d. tit. des ſucceſ-*
ſions n. 77. Itaque ſi pater ultimum ſuum elogium condiderit, in 126
eoque filiam in ſucceſſionis jura revocaverit, utut illud teſtamentum non omni ſui parte fuerit perfectum, imò invalidum, admittetur ea, unà cum cæteris, ad inteſtati ſucceſſionem; cum etiam ex actu nullo declaretur voluntas. *l. ult. ff. de reb. eor. l. licet.* 20. *ff. de adim. leg.* Ita Iudicatum refert Faber *ad d. tit. Cod. de pact. def.* 27. *n.* 4. *in not. idem de error. Pragm. decad.* 14. *err.* 4. *n.* 11. Guil. Bened. *in d. repet. verb. duas habens filias, n.* 288. 290. Aym. Public. *ad conſuet. Arvern. tit.* 12. *art.* 25.
n. 20. Coquille *dd. ll.* Fallitur ergo Forſterus, dum docet non 127
aliàs filiam hoc caſu ad ſucceſſionem eſſe admittendam, quam ſi patris nuncupatio vicem teſtamenti juſti obtineat, ſin verò ad cauſam inteſtati pertineat, eſſe eam hæreditate paternâ arcendam. *lib.* 1. *de ſucceſſ. cap.* 23. *n. ult.*

Superiori & hoc affine eſt, ut ſi pater filiam ad renunciandum 128
adege-

adegerit in commodum ejus ex filiis, quem posteà testamento hæredem scriberet, ipseque deinde nullum nominaverit, verum intestatus decesserit, admittendam esse filiam ad ejus successionem, unà cum cæteris liberis: cum præsumendus sit pater sententiam mutasse non designando eum, cui commodum renuntiationis acquisitum voluerit. Bertrand. *lib.* 1. *cons.* 90. Cald. de Pereira *de nominat. Emphyt. lib.* 2. *quæst.* 7. *n.* 37. Maynard. *d. de-*
129 *cis.* 20. *n.* 2. *in fin.* Barry *d. tit.* 25. *n.* 29. Quod autem Molinæus *in not. ad Alexand. vol.* 3. *consil.* 29. *lit. a. verb. reliquisse.* monet, cavendum esse ab isto Bertrandi consilio quasi pugnaret cum *l.* 4. *C. de contrah. & committ. stip.* in eo cum semetipso pugnat. Edixerat in eâ lege Imperator. *Secundum responsum Domitii Ulpiani, Præfecti annonæ, Jurisconsulti, amici mei, ea quæ stipulata est; cum moreretur, partem dimidiam dotis, cui velit relinquere, reddi sibi, cum moreretur, eam partem dotis stipulata videtur.* Responsum hoc in Pandectis non extare admonuit jam dudum Cujacius. Casum rectè proponit Dion. Gothofredus. Mulier, auspiciis nuptiarum dotem adferens, in hunc modum stipulata fuit. Cui moriens dimidium dotis reliquero, eidem dare spondes? Mulier intestata mortua est, aut certè nulli dotem reliquit, quid juris? Respondet Imperator videri mulierem hæredi suo esse stipulatam. Ideoque si mulier decesserit, eâ parte dotis nulli adscriptâ, nihilominus ea stipulatio transmittitur ad ejus hæredes legitimos. *Cujacianâ glossâ ad eand. leg.* Verum ejus rei ratio hæc est, quod ista mulieris stipulatio non conditionem contineat, sed causam. *l.* 25. *C. de jur. dot.* Defectus autem causæ impulsivæ non impedit jus agendi. Gl. & Gothofr. *ad eand. l.* 25. Perez. *ad d. tit. C. de jur. dot. n.* 15. Nostro autem casu, conditio potius est, quam causa: non enim pater omnium liberorum parem rationem habuit, sed ejus solius quem postea nominaret, quod si non fecerit pater, evanuit stipulatio, cum nemo liberorum affirmare possit, in se judicium paternum desiisse. Itaque nec huic

huic rei adaptare possis, intestato moriente patre credi eum sponte sua reliquisse hæreditatem proximioribus. *l.* 8. §. 1. *ff. de jur. Codicill. l.* 2. *C. de bon. matern.* Non enim ex eo evincere possis, censeri quoque patrem eos hæredes nominasse. Quod autem pater renunciatricis portionem omnibus omnino liberis cedere noluerit, ex eo manifestum est, quod non in gratiam omnium stipulatus fuerit, tum temporis incertus animi, cui tandem ex liberis sororiam illam portionem destinaret, quem cum non elegerit, admittetur illa liberè ad eam portionem, ad quam liberorum alius, ejus loco, substitutus non invenitur. Quin imò ex illo Molinæi argumento necessariò sequeretur, debere istam portionem ex æquo pervenire ad omnes liberos, qui patri intestato succedunt, sicuti evenit in dote, ex stipulatione dictæ legis quartæ, ab omnibus hæredibus lucrifaciendâ, cum contra idem statuat, solos masculos ad eam portionem esse admittendos, reliquas filias non item. Nec rationem video, cur Molinæus, præfatæ legis argumento usus, portione istâ sororiâ nulli liberorum alii adscriptâ, tum filiam ex Bertrandi rescripto admittat, ubi paterni excessus tempore solæ filiæ existunt, cum sufficeret, ad excludendam renunciatricem, reliquas quoque filias patris sui hæredes esse. Pergamus ad alia.

Oportet scire filiam, posteriorem patris declarationem, quâ 130
jura successionis ei restituit, non statim infringere effectum renunciationis, sed ita demum, si is in revocatoria illa voluntate, ad mortis horam usque, perstiterit. *arg. l. ult. C. de pact.* Itaque si pater, pœnitentiâ ductus, testamento postea confecto, vel alio quo modo, declaret se nolle filiam suam sibi fore hæredem, velle eam, renunciationis potestate, successione suâ summoveri, jam nihil omnino proderit filiæ intermedia ea patris voluntas: cum tempore delatæ hæreditatis, duæ extremitates obsint, initialis nempe illa per renunciationem factam incapacitas, & suprema patris voluntas, successionis exclusoria, quæ faciunt evanescere conceptam medio tempore acquirendæ hæreditatis spem. Ita

prolatis arrestis Choppin. *de privil. Rustic. d. cap.* 7. *n.* 3. *&* 4.
131 Charond. *liv.* 5. *resp.* 60. Observandum quoque est, non in plus filiæ renunciatrici prodesse testamentum patris, quam quatenus mutationem prioris voluntatis testator ipse expresserit. Rejicienda enim omnino est sententia existimantium, hoc ipso quod pater aliquid, vel minimum testamento reliquit, renunciationis potestatem usque adeo extinctam esse, ut possit filia perinde agere ad supplementum legitimæ, ac si nunquam renunciasset. Inter quos Maranta *d. disput.* 10. *n.* 26. Chassan. *ad cons. Burgund. rub.* 7. §. 12. *vers. ne retourne. n.* 27. Mynsing. *cent.* 2. *ob-*
132 *serv.* 7. *n.* 1. Quanquam enim fassi sumus, renunciationes has locum habere duntaxat quoad successionem intestati, nec excludere renunciantem à commodo tèstamentario, nulla tamen ratio facit, cur testamento sublatum dicamus renunciationis vinculum, nisi ad eam usque quantitatem, aut portionem, quæ testamento relicta est. *arg. l.* 3. *ff. de testam. milit.* Ratio namque supplementi legitimæ, quod condictione ex testamento petitur, etiamsi testamento non fuerit relictum, in eo consistit, quod ei cui testator minus reliquit, quam legitimæ suffecerit, id quoque debeatur, quod relinqui oportuit, nec relictum fuit. At filiæ, cui propter renunciationem nihil debebatur, non potest videri minus relictum esse quam deberetur. Igitur si quid pater huic renunciatrici filiæ præterea testamento, vel alio quo modo, dederit gratuitò, illam accessionem, quantulacumque ea fuerit, in lucro ponere debet. Faber. *d. err.* 4. *n.* 5. *& seqq.* Automne *sur Bourdeaux, art.* 66. *vers. cette question.* Kellenbentz *d. tract. quæst.* 31. *n.* 7. Fontanell. *d. gl. un. part.* 1. *n.* 70.

133 Restabat agendum de effectu hujus renunciationis, in statutorum conflictu. Puta, filia, acceptâ dote, renunciavit paternæ successioni, in patria, cujus ritu nullum postea regressum ad paternam hæreditatem habet; reliquit pater quædam bona in ea Provincia, ubi nihil morante renunciatione, ad hæreditatem, collatâ dote, regredi, vel ubi, auctis facultatibus, supplementum legi-

legitimæ ex bonis, tempore paternæ mortis relictis, petere potest, quid juris? Et puto filiam, quæ renunciationis suæ potestate, ex patrio ritu, à paterna successione penitus removetur, excludendam quoque esse à cæteris bonis, vel in iis locis sitis, qui contrariâ consuetudine reguntur. Tota enim exclusionis vis à pacto & voluntate ipsius filiæ profluxit, pactio autem nullis Provinciæ metis, ac septis circumscripta, sed ad res cujusvis territorii transitoria est. Molin. *consil.* 53. *n.* 13. *& seqq. Sainson. ad cons. Turon. tit.* 25. *des success. de fief. art.* 26. *n.* 6. Coquille *en ses quest. & respons. chap.* 131. Charond. *en ses resol. des quest. part.* 4. *tit.* 13. *vers. Par plusjeurs. & sur Paris. art.* 302. *à la fin.* Boguet. *d.* §. 6. *verb. à leur dicte succession. n.* 1. Papon. *d. tit.* 4. *arr.* 4. Automne *sur les coust. de Bourdeaux. art.* 67. *vers. mais voicy.* Verùm non immorabor huic sententiæ operosius hoc loco adstruendæ, quandoquidem id, in materia non dissimili, plenâ manu factum est supra. *tractat.* 2. *Cap.* 2. *de Quæst. int. conjug. commun. n.* 219.

Finiamus hanc tractationem in ea inspectione, quæ de nepo- 134
te est, ex filia, per renunciationem favore masculorum exclusâ, eâque ante patrem mortuâ. Divexatissima hæc quæstio est, si qua alia, quæ non tantum primæ notæ Doctores, sed & Suprema Tribunalia in contrarias scidit partes. Sunt qui universim hunc nepotem à successione avi removent. Cum enim ipsa mater, si viveret, repelli deberet, quidni ejusce præmortuæ filius, qui ex radice infecta processerit? neque enim matris exclusæ filius censetur legitimus, ac genuinus fructus istius arboris, unde mater excidit: quare cum mater sit succisa à successionis stipite, neque amplius radices agat, cum cæteris liberis, in familia patris, utique palmes, qui ex ea vite succrevit, eodem jure repelli debet. Alioquin fieret, ut & mater, dotis nomine, pretium omittendæ olim hæreditatis referret, & ex eadem succesſione, filius quoque, matrem repræsentans, portionem hæreditariam consequeretur. Ita prolatis rebus pariter judicatis Robert. *lib.* 2. *rer. ju-*

dic. cap. 5. Charond. *d. liv.* 5. *resp.* 8. *& resp.* 60. *vers. Monsieur Chartelier. & liv.* 7. *resp.* 106. *& sur Paris. art.* 308. *vers. ny paerillement, p. m.* 227. *& en ses memor. observ. verb. fille. vers. l'exclusion.* Ferron. *ad cons. Burdeg. tit. des testaments.* §. 13. Automne *ad d. tit.* §. 66. *vers. on demande.* Chassan. *d.* §. 12. *verb. ne les descendans. n.* 1. Gomez *ad d. L. Taur.* 22. *n.* 10. *vers. sed his non obstantibus.* Coquille *en ses quest. & respons. chap.* 127. Montholon. *en ses arrests. chap.* 11. *à la fin. & chap.* 79. Louet *d. arr.* 17. *& ibi Brodeau. in annot. lit. d.* Maynard. *lib.* 4. *decis.* 23. Peleus *act. forens. lib.* 4. *act.* 57. Boguet *ad d. tit. des success.* §. 6. *verb. fille mariée. n.* 1. Duret. *sur Orleans.* §. 320. Bouvot *en ses arrest. tom.* 1. *part.* 1. *verb. renonciation aux biens. quest.* 1. Buridan. *sur Vermand. art.* 73. *vers. voire mesme.* Busius *ad l.* 61. *ff. de V. O n.* 9. Cui congruit statutum Arverniæ *chap.* 12. *des success. art.* 25. *& ibi Bessian.* Alii, quorum antesignanus est
135 Bartolus, *in l. qui superstitis.* 94. *n.* 2. *ff. de acq. hæred.* distinguunt, an nepos ex filia succedat cum suis consobrinis, seu aliis nepotibus avi, an verò cum patruis aut avunculis; ut priori casu non noceat ei renunciatio matris, quia nepos hic veniret jure suo & proprio: posteriori casu noceat, quia inquit Bartolus, non potest hic nepos succedere cum patruis aut avunculis, nisi succedat in locum matris suæ, jam autem mater pacto invenitur exclusa. Et secundum hanc distinctionem judicatum esse refert.
136 Choppin. *de morib. Paris. lib.* 2. *tit.* 5. *n.* 10. Verum hæc opinio à plurimis rejicitur, qui existimant, nepotem hunc semper venire jure matris. *per* §. 1. *Inst. de hæred. quæ ab intest. De quo paulo post uberius.* Quare alii ita distinguunt, an filia, quæ renunciavit, perceperit dotem, aut quid aliud, quod sit vice portionis hæreditariæ, aut nihil, ut posteriori casu non noceat nepoti, quamvis hæredi, matris renunciatio, priori verò casu noceat, etiam non hæredi, quasi filia, quæ renunciavit, successisse videatur. Castrensis *d. l.* Natta *ad d. cap. quamvis. n.* 131.
Gomez

Gomez *ad d. L. Taur. 22. n. 10. verſ. Quod tamen notabiliter.* Gutierrez *lib. 2. canon. quæſt. 1. n. 56.* Seraphin. *d. privil. 21. n. 29.* Quam quoque diſtinctionem arreſtis comprobatam eſſe dicunt Choppin. *de priv. ruſtic. d. cap. 7. n. 5.* Delommeau *en ſa juriſpr. Franc. liv. 2. art. 241. verſ. & fait à remarquer.*
Verùm nec ea ſententia placuit. Quemadmodum enim viventis 138
nulla hæreditas eſt, ita nec retrofingi poteſt aliqua fuiſſe. Et quî mater excluſa, aliquo accepto in vicem & locum portionis hæreditariæ, hoc ipſo cenſenda foret ſuccesſiſſe, quæ, ſi voluiſſet, ſuccedere tamen non potuiſſet? Cancer. *d. cap. 15. n. 47. & ſeqq.* Michalor. *d. tract. de fratr. part. 3. cap. 12. n. 34. & ſeqq.* Zoeſ.
ad d. tit. de Pact. n. 44. Rurſus alii hâc diſtinctione rem expe- 139
dire conantur, an nepos hic ſit hæres matris ſuæ, nec ne, ut ſi hæres non ſit, non noceat ei matris rennnciatio, ſi hæres ſit, tum noceat, cum ſuccedere vult cum patruis & avunculis; hoc enim caſu hunc nepotem non tantum gradum, ſed & perſonam matris repræſentare, neceſſe eſt, cum, & filius & hæres renunciantis inveniatur, ac proinde talis, cui matris renunciatio omnimodo nocere debeat: non verò noceat, ſi nepos hic ſuccedere velit cum aliis nepotibus, in pari gradu conſtitutis, multo minus, ſi cum pronepotibus, qui gradu remotiores ſunt; quoniam his omnibus caſibus ſuccedit jure ſuo, & ex propria perſona. Etſi enim iiſdem caſibus non minus verum eſt, & filium eum eſſe, & hæredem matris, nulla tamen neceſſitas urget, habendam jam eſſe rationem matris, ne quidem gradum ejus eſſe repreſentandum. Etenim repræſentatio, cum ſit fictio, nunquam niſi ex neceſſitate inducitur, hic autem nepos proprium jus ſuccedendi habet cum aliis nepotibus: itaque ejus conditio deterior fieri non poteſt, quod & hæres, & filius ſit ejus perſonæ quæ renunciavit, quia neque tanquam filius ſuccedit, neque tanquam hæres matris, ſed tanquam nepos. Vide Salicet *ad d. l. pactum quod dotali. C. de pact.* Guid. Pap. *deciſ. 227. n. 2.* Petr. Gregor. *d. lib. 41. cap. 16. n. 3.* Hottom. *lib. 5. obſerv. 25.* Caſp.

140 Ant. Thessaur. *lib. 2. quæst. 90. n. 20. & seqq.* Postremæ classis alii indistinctè nepotem hunc admittendum docent, sive matris hæres sit, sive non sit, sive cum aliis nepotibus succedere velit, sive cum patruis & avunculis. Etenim cum sermo sit de filia, quæ, postquam renunciavit, decessit vivo patre, certum est evanuisse renunciationem, quippe quæ tacitam hanc habet conditionem, si hæreditas, cui renunciatum est, quandoque ab intestato deferretur, quæ conditio apertè defecit, ubi præmortua est filia quæ renunciavit, nec enim viventis patris ulla unquam fuit hæreditas, quæ huic filiæ deferri potuerit: & rursus, cum, mortuo patre, demum aliqua hæreditas esse cœpit, non potest illa deferri filiæ, jam tum defunctæ, quia mortuo neque deferri, neque acquiri quicquam potest. *l. 4. ff. de his quæ pro non script.* Quanquam ergo renunciatio hæc futuræ hæreditatis vires acceperit ex ipsa conventione, ut delatâ hæreditate acquisitio ejusdem impediatur ex causa retroagente, oportet tamen tempore existentis conditionis superesse personam, quæ per renunciationem obligata est. Quemadmodum accidit, *cum id quod sub conditione debetur, purè quis, novandi causa, stipulatur, non enim statim ille novat, licet pura stipulatio aliquid egisse videatur, sed tum demum cum extiterit conditio. Etenim existens conditio primam stipulationem committit, commissamque in secundam transfert*: uti loquitur Ulpianus *in l. quoties. 14. §. 1. ff. de novat. & deleg.* Ex quo idem infert, *Et ideo si fortè persona promissoris, pendente conditione, fuerit deportata, nequidem existente conditione ullam contingere novationem, quoniam nunc, cum extitit conditio, non est persona, quæ obligetur.* Eâdem ergò ratione dicendum est, factâ renunciatione futuræ successionis, sub ea conditione necessaria, sive expressa, sive tacita ea sit, *si quandoque hæreditas deferetur*, nullam vim esse renunciationis, si interea, id est, ante conditionem existentem, & vivo patre moriatur filia; quia non superest persona, quæ per renunciationem obligetur; cum obligatio in persona matris effectum demum sortiatur delatâ hæreditate; eo enim instanti ab acqui-

acquirenda ea hæreditate renunciatrix filia repelletur hoc argumento, percepisti jam modò hæreditariam tuam portionem, acceptâ dote, quâ tu, vice istius partis hæreditariæ, contracti matrimonii tempore, contenta fuisti. Atque hanc solam, nullam- 141
que aliam esse causam arbitror, cur filia, quæ propter renunciationem non admittitur ad partem, faciat nihilominus partem in legitimæ computatione, id est, cur ejus quoque persona computetur in partibus faciendis, *ut loquitur Ulp. in l.* 1. §. *ult. ff. de collat.* ut tanto minor sit portio, quæ legitimæ jure debetur cæteris liberis, qui non renunciarunt; quæ tamen sententia, & adversæ, primæque partis assertoribus placuit. Maynard. *lib.* 4. *decis.* 24. Charond. *en ses Pand. liv.* 3. *chap.* 12. *vers. si pour le reguard p. m.* 449. *& liv.* 2. *resp.* 60. *&* 4. *resp.* 73. *vers. d'avantage &* 8. *resp.* 27. Adstipulantur Guid. Papa *decis.* 295. 299. Boër. *decis.* 104. *n.* 10. Choppin. *ad ll. And. d. tit.* 1. *n.* 4. Mornac. *ad d. tit. C. si adv. dot. vers. tertio.* Coquille *en son instit. des success. vers. par aucunes. à la fin. & en ses quest. & resp. chap.* 164. Papon. *d tit.* 4. *arr.* 11. Petr. Gregor. *d. tit.* 41. *cap.* 11. *n.* 4. Boguet. *d.* §. 6. *verb. à leur dite succession. n.* 6. Fontanell. *de pact. antenupt. claus.* 9. *gl. un. part.* 2. *n.* 28. *& seqq.* Arverni *chap.* 12. *des success. art.* 32. *& ibi Aym. Public. & Bessian.* Burbonii *art.* 310. *& ibi Papon. in comm.* Quæ certè ratiocinatio cessat, ubi mater ante de- 142
latam hæreditatem vita decessit. Itaque quamvis nepotes omni casu repræsentationis jure succedant, non est tamen ea repræsentatio personæ maternæ, sed gradus, quasi remotâ, & circumscriptâ matris personâ, cum à lege habeant nepotes, non à matre, quod in matris gradum succedant. §. *cum filius. I. de hæred quæ ab intest. Novell.* 118. §. *si igitur defunctis.* Idque ex eo apparet, 143
quod (*uti supra demonstravimus*) renunciatrix filia impune à patre testamento præteriri possit, nec necessariò instituenda ea sit, vel exhæredanda, nepotes autem ex ea omnino instituendi, vel exhæredandi sint, ne alioquin testamentum nullum injustum-
que

que sit. *Novell.* 115. *§. aliud quoque capitulum.* quod utique falso, vel sine ratione diceretur, si matris personam repræsentarent, nec nisi ex ea admitti possent. *l. si viva matre.* 3. *C. de bon.*
144 *matern.* Quod si autem filia renunciatrix patri suo supervixerit, nocebit nepoti non tam ipsa matris renunciatio, quam ipsius sola superexistentia, quæ facit, ut etiamsi nunquam renunciasset, admitti tamen non posset hic nepos ad hæreditatem, quæ matri delata fuisset. Ut proinde, vel ad admittendum, vel ad excludendum nepotem, illud solummodo inspiciendum veniat, an mater patri præmortua fuerit, an verò supervixerit: ut si supervixerit, excludatur propter solam qualitatem matris, si præmortua sit, admittatur propter non existentiam & defectum conditionis, quæ facit, ut renunciatio penitus evanuerit. Hujus sententiæ ducem se præbuit Baldus *in l. fin. C. de pact.* Asseclas videas Boër. *ad cons. Bitur. tit.* 11. *des testam.* §. 6. *vers. & nota. lit. z.* Bertrand. *vol.* 2. *part.* 1. *cons.* 226. *n.* 2. *& seqq.* Menoch *tom.* 1. *cons.* 89. *n.* 15. Covarr. *ad d. c. quamvis.* §. 2. *n.* 4. *&* §. 3. *n.* 10. Gutierr. *ad idem c. à pr. n.* 61. *& verb nec redundet. n.* 2. *& seqq.* Grammat. *decis.* 57. *n.* 39. Marant. *d. disp.* 10. *n.* 8. *& seqq.* Imbert. *in Enchir. verb. filia quæ paternæ.* Wames. *cent.* 2. *cons. Civ.* 11. Casp. Baëzia *de non melior. dot. rat. fili ab. cap.* 10. *n.* 110. *& seqq.* Mornac. *ad d. l.* 36. *ff. fam. ercisc. vers. notandum, & ad d. tit. C. si adv. dot.* Faber. *ad d. tit. C. de pact. defin.* 1. *& def.* 14. *n.* 10. *& seqq. &. def.* 15. *idem de error. Pragm. decad.* 28. *err.* 6. Cancer. *d. cap.* 15. *n.* 44. *& mult. seqq.* Kellenb. *d. tract. quæst* 33. *per tot.* Fontanell. *d gl. un. part.* 1. *n.* 52. *&. seqq.* Hect. Cap. Latro *decis. Neap.* 4. Barry *d. tit.* 25. *n.* 13. Carpzov. *d. const.* 35. *defin* 11. Mev. *d. tit.* 1. *n.* 88. Christin. *vol.* 1. *decis.* 279. *n.* 23. Tulden. *ad tit. C. de inutil. stipul. n.* 9. Deckher. *d. dissert.* 11. *n.* 41. Zoes. *ad d. tit. ff. de pact. n.* 42. Perez. *ad tit. de liber. præterit. n.* 6.
145 Suadet tamen æquitas, ut hic nepos, si hæres matris extiterit, atque cum patruo superstite concurrat ad præmortuæ successio-
nem,

nem, non habent præcipuam eam pecuniam, quæ dotis nomine & in eam causam data fuerat, ut renunciaret: quapropter pro re natâ, vel collationis remedio, vel arbitri familiæ ercifcundæ officio cogetur hic nepos in portionem suam hæreditariam imputare, quicquid ex personâ matris, & ob renunciationem maternam, ex hæreditate ad eum pervenit. *L. quoniam.* 29. *C. de inoff. testam.* Castrens *.d. l. qui superstitis.* Hartm. Pistor. *lib.* 4. *quæst.* 7. *n.* 9. Wames. *d. consil.* 11. *n.* 14. Faber *d. tit. de pact. defin.* 2. *&* 16. Fontanell. *d. gl. un. part.* 1. *n.* 63. 64. Ant. de Amato *var. resol. jur. part* 1. *resol.* 23. *n.* 4. Carpzov. *d. const.* 35. *def.* 13. *n.* 1. 2. 3. Zoes. *d. tit. ff. de pact. n.* 44. *in fin.* At si nepos hæreditatem matris repudiaverit, non videtur 146
fieri posse, ut conferat id quod non habet. *l.* 1. *§. de illis. ff. de collat. bon.* cum iniquum videatur, minus eum percipere ex hæreditate, ob id solum quod mater dotem, aliudve quippiam habuerit, cum neque ex personâ matris veniat ad successionem, sed ex propria. *Novell.* 118. *§. cum filius, & §. si igitur defunctus.* neque ex facto matris lucrum sentiat, cujus non est successor, ut proinde nec ejus factum præstare teneatur. *arg. l. ex qua persona.* 149. *ff. de R. I.* Ita judicatum refert Carpzov. *d. defin.* 13. *n.* 4. *& seqq.* Quod tamen idem tum solum admittere videtur, 147
ubi cum cæteris intestati successoribus, in eodem gradu constitutis, id est, consobrinis, vel etiam cum remotioribus succedit nepos. At si cum patruis, vel avunculis, æquum erit ut is tanto minus ex bonis avi percipere debeat; ut si cæteri liberi, ex sororis renunciatione, commodum non sentiant, damnum saltem subire non debeant: nec enim fieri potest, ut quod salubriter pro utilitate alicujus introductum fuerat, contra dictamen juris, contrarium ejus operetur *l.* 25. *ff. de legib.* Quis namque ferat deteriorem esse conditionem avunculorum, qui nihil acceperunt, quam fuisset, si eorum soror viveret, nec renunciasset? tum enim quod habuisset illa, conferre cogeretur. *tit. C. de collat. dot.* Ergo cum non alia fuerit dotis dandæ causa, quam quia in eo gradu

du erat, ut patri esset successura, consequens est, ut nepos, qui in gradum locumque matris succedit, non plus juris habeat, quam haberet hodie mater, si viveret, & succederet. Quid enim aliorum liberorum interest, qui cum filiâ ex æquis portionibus essent successuri, an illa vivo patre decesserit, an post patrem, relictis liberis, an sine liberis? Igitur minus percipere nepotem oportebit, etiamsi non sit hæres matris, ut quod alias faceret collationis necessitas, id, cessante collationis potestate, suppleat in minus percipiendo æquitas. *arg. l. 1. §. sed et si. 12. ff. de collat. bon.* Et in hanc partem Senatoriis decretis itum esse, tradunt Faber *ad d. tit. C. de pact. def.* 17. Carpzov. *d. def.* 4. *in fin. juncta def.* 33.
148 *part.* 3. *const.* 11. Barry *d. tit.* 25. *n.* 13. *fere in fin.* Quæ posteriora cum ita vera sint, rationem non video, quare nepos etiam eo casu non minus percipere debeat, quo cum ejusdem gradus successoribus, id est consobrinis succedit. Falsum enim est, eum tum succedere ex propriâ personâ, imò verò succedit jure repræsentatæ matris, cum in stirpes cum cæteris nepotibus succedat. *§. cum filius.* 6. *Inst. de hæred. quæ ab int. def.* aliàs enim si proprio jure eum succedere velimus, in pari gradu constitutus cum aliis nepotibus, numero inæqualibus, seu pluribus ex hac vel illâ stirpe concurrens, in capita hæreditatem divideret. *l.* 2. *C. de suis & legit.* In ratione autem succedendi in stirpes maximé perspicua est repræsentationis vis, quæ facit, ut liberi, vivo etiamnum patre vel matre, domini quodammodo bonorum parentum habeantur. *l.* 11. *ff. de liber. & posth.* §. 2. *I. de hæred. qual. & differ.* Hinc filio è familià patris sublato; statim nepotes ex eo in locum ejus, & gradum intrant, & jus sui hæredis idem illud quod pater ante habuit, quasi personâ ejus indutâ, in familiâ avi nanciscuntur *l.* 1. §. 4. *ff. de suis & legit.* §. 2. *Inst. de exhæred. lib. l. si nepotes.* 7. *ff. de collat. bon.* Itaque cum hic nepos non alio quam repræsentatæ matris jure cum cæteris nepotibus succedat, non debet minus percipiendi necessitas variari ex accidenti aliquo, præmaturâ sc. patrui morte, in cujus tamen locum & jus, iti-

itidem liberi ejus ſuccedunt, ut quanto majorem hæreditatem ob diminutam hujus conſobrini portionem habuiſſent, ſi per patrem bona ad eos perveniſſent, eandem partem hæreditariam, indutâ patris perſonâ, conſequantur. Nec enim æquum eſt, nepotem hunc, qui in matris gradum tanquam vacuum ſuccedit, plus ex avi hæreditate auferre, quam mater unquam habere potuiſſet: itaque oportet ut hic nepos eundem gradum, etiam reſpectu cæterorum cohæredum nepotum faciat vacuum, id eſt talem, ut, quod ad cauſam ſuccedendi attinet, mater nunquam in rerum natura fuiſſe videatur, quod fiet, ſi omnia quæ mater percepit, ex cauſâ prorogatæ vel repræſentatæ ſucceſſionis, reſtituantur in integrum, id eſt in eum ſtatum, in quo eſſent, ſi mater nihil percepiſſet, quod eveniet, nepotibus tanto minus percipientibus. Ex quibus omnibus evidentiſſimum eſt, de eo quærendum non eſſe, an nepos matris hæres ſit, nec ne, cum utroque caſu ſubſit eadem ratio æqualitatis conſtituendæ, minus accipiendo ex parte hujus nepotis. Hanc ſententiam probant Charond. *ſibi contrarius. lib. 2. reſp.* 58. *à la fin.* Choppin. *lib.* 3. *de privil. ruſt. part.* 3. *cap.* 9. *n.* 1. Papon. *d. tit.* 4. *arr.* 17. *in pr. verſ. alter eſt. & in not. ad idem arr.* Chenu *en ſes notabl. queſt. chap.* 26. Faber *d. tit. de pact. def.* 15. *n.* 23. *& def.* 18. *n.* 9. *& ſeqq.* Automne *en ſa confer. ad tit. ff. de acquir. vel omitt. hæred. in fin. & ad l. ſi cum avi. C. ſi min. ſe hæred. abſtin.*

F I N I S.

INDEX

Rerum quæ in hoc Tractatu continentur.

Prior numerus paginam, Alter numerum marginalem denotat.

A.

Allu-

INDEX.

INDEX.

D. Dam-

INDEX.

D.

Do-

E.

F.

Fide-

INDEX.

I.

Jus

L.

M.

Q.

R.

S.

Spes

T.

V.

INDEX.



BENEVOLE LECTOR.

PRopter belli calamitatem hæc mea peregrè imprimenda curavi, cumque mihi non licuerit correctioni editionis speciminum interesse, factum est, ut menda expectatione plura irrepserint, quæ manus emendatrices meas non effugissent, quorum indiculum hic ferè habes. Pag. 15. lin. 1. leg. exigamus. 18.13. l. judico. 21. ult. l. ei ex defunctæ. 25.4. l. redacta. 27. 12. pro quæ. l. quos. 32. 2. ante verba d. cap. 3. pone, Sande. 33. 15. l. nequeunt. 37. 31. l. extinctâ. 42. 27. l. detrahimus. 55. 9. l. uxorisve. 63. 27. l. pati. 69. 29. l. obligatio nunquam cœpit. l. 71. 2. l. posse. 85. 25. l. uxorem. 94. 8. l. ampliorem. 95. 25. l. corradenda. 98. 2. l. Bergizomios. 101. 24. l. distraxerit. 120. 2. l. irrogatum. 133. 9. l. Matthæo. 134. 29. l. renascitur. 139. 14. l. appellemus. 142. 5. l. ingentem. 145. 7. pro malè. l. non malè. 149. 27. l. quæstorium. 155. 1. l. patrimonio. 169. 16. l. ipsius. 173. 12. l. ij. 179. 26. l. necessariò. 211. 24. l. in eo consistit. 219. 5. l. separatamque. & 24. l. utrumque. 221. 2. l. promisso. 223. 2. pro tamen. l. autem. & 29. l. supinæ. 224. 7. pro Coquille. l. Bacquet. 230. 6. l. districté. 234. 27. l. statuit. 235. 16. l. parentem. 245. 31. l. dissociationem. 254. 25. l. prohibitoriæ. 262. 31. dele & 263. 19. pro quale. l. æquale. & 27. l. elogio. Reliqua per te corriges.

7

Rest rapport R 57